Ponte

1623

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
10 A
15

Collegij Rom. Soc. Jesv. cat. Insc.

IHS

COMPENDIVM
seu
BREVIARIVM ABSOLVTISSIMVM
omnium
MEDITATIONVM
DE PRAECIPVIS FIDEI NOSTRÆ MYSTERIIS
Vitæ ac Paſsionis D.N.IESV CHRISTI; ET B.V. MARIÆ etc.

Ex maiori opere Meditationum R.P. LVD. DE PONTE Hispani, Societatis IESV Theologi, collectum per quendam Eiusdem Societatis Sacerdotem in Austriaca Prouincia; servato ordine ac numero Meditationum quæ in VI. Eiusdem R.P. partibus continentur.

Addito indice triplici, 1. Meditationum cuiusq; partis. 2. Euangeliorum Dominicalium, tam secundum ordinem Romanæ, quam Gallicanæ Ecclesiæ. 3. Euangeliorum pro præcipuis quibusq; festis diebus, et per quadrages.

COLONIÆ
APVD
Ioannem
Kinckiū
sub
Monocerote
A° MDCXXIII

Permissu superiorum et cum grat. priuil. sac. Cæs. Maiest.

B. 5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. IOANNI BERNARDO

Schenck à Schweinßbergh/

ECCLESIÆ FVLDENSIS RECENS ABBATI,

S. Rom. Imperij Principi,

DIVÆ AVGVSTÆ ARCHICANCELLARIO, PER Germaniam Galliamq́ Primati, &c.

DOMINO SVO CLEMENTissimo

D. C. Q.

Ioannes Kinckius.

Vanta nunc illo tam turbido sæculo, Illustrissime, Reuerendissimeq́; Domine, multorum tamen in Ecclesia Catholica pietas sit & studium pietatis, vel ex illa cognoscere li-

cet adeò frequentatâ editione piissimorum scriptorum R.P. Ludouici de Ponte, optimi illius in ludo Mysticæ Theologiæ, nec ob hoc ipsum vlli non noti Magistri. Iam & Epitomen illorum, seu Compendium elaborauit aliquis sanctæ IESV Societatis æquè Presbyter, quò occupatioribus, aut multa legendi indiligentioribus ad manum esset libellus, quò facile breuiterq́ operum illorum ad exercitium pietatis atque profectum sic vtilium quasi succus omnis ipsaq́ medulla exprimeretur. Eundem & ego nunc iure quodam meo, cùm hactenus ipsa transferri in Latinum opera curarim, meisq́ typis euulgari, ex officina itidem mea prodeuntem iubeo primùm adire pro me Illustrissimam Tuã, Reuerendissimamq́ Dominationem, ab illiusq́ pia manu & magno Nomine gratiorem venire Germaniæ oculis, & tanto magis commendabilem. Quis enim non amet cupiatq́ librum illo salutifero T. in limine prænotatum? Nomine (inquam)

Illuſtriſſime Princeps, TVO, cuius omnes ſacris Auſpiciis gaudent, & in immenſum ſpes ſuas extendunt, non Fuldenſes modò, peculiare Tuum ouile, ob vitæ præſertim integritatem, in fide & Religione zelum, amoremq́ in ſubditos paternum, & morum, qui temporum iniquitate non optimi irrepſere reformandorum ſtudium: ſed etiam (qua nota neſcio quæ melior venire recens initiato Antiſtiti, vel glorioſior,) quidquid in Germania bonarum mentium eſt, & exſpectantium redemptionem Iſrael. O quàm benè cũ Regnis agitur, imis, ſummis, ſacris, profanis, vbi Rectores & ſapiũt, & vtuntur auidè, fruunturq́ ſapiẽtibus! Multitudo enim ſapientum *(inquit Sapiens)* ſanitas orbis terrarum. *Proſperet, qui dedit, illud in Manu TVA Sacrum Regnum, vt olim ipſum, auctâ: primùm ſatis Virtutibus TVIS inclytæ, priſtinæq́ Familiæ, quam ſanè vehementer illuſtras, gloriâ: Eccleſiæ quoque totius & Imperij communi bono*

procurato plenus dierum & boni meriti in manum euocantis ad mercedem ac præmium Dei reponas.

Euge, Præsul Illustriß. & hæc vota mea, indicemq́; votorum ac testem libellum accipe animo, quo offeruntur; & officinam Kinckij patere radiolo aliquo ab illa Nominis inclyti TVI luce sibi decisa fulgere tantisper ac gloriari.

Coloniæ Agrippinensium, ipso S. Ambrosii Præsulis festo die, Anno Salutis M. DC XXIII.

COMPENDIVM,

Seu

BREVIARIVM ABSOLVTISSIMVM OMNIVM MEDITATIONVM

R. P. LVDOVICI DE PONTE, Societatis IESV, Hispani.

APPROBATIO.

EGo Gregorius Rumer Societatis IESV, per Prouinciam Auſtriæ Præ-
oiitus Prouincialis, ex commiſsione R.
. N. Mutij Vitelleſci Præpoſiti Genera-
s, facultatem concedo, vt Compendium
Meditationum P. Ludouici de Ponte, à
uodam Patre è Societate noſtrâ recèns
ctum, & eiuſdem Societatis grauium
doctorumque virorum iudicio appro-
atum, typis mandetur. In quorum fi-
em has literas manu noſtrâ ſubſcriptas
ſigillo noſtro munitas dedimus, Græ-
5. Auguſti, 1622.

Gregorius Rumer.

LECTORI BENEVOLO S.

QVINQVENNIVM iam est, cùm typis meis expressum dedi compendium Meditationum diuinarum celeberrimi illius Doctoris, ac consummatissimi rerum spiritualium Magistri R. P. Ludouici de Ponte. cuius laudem satis indicant tot praeclara monimenta, quae hactenus ex officina mea prodierunt: qualia sunt inter alia, Dux spiritualis, Vita P. Balthasaris Aluarez in Cantica Canticorum libri 10. de perfectione Christiana Tom. 4 piarum Meditationum partes in 8. ac 4. forma iam aliquoties edita.

Ac R. quidem Pater Nicolaus de Arnaya Hispanus, cùm postremum hoc opus non parum contraheret, aliud sibi propositum habuit, nempè vt Meditationes illas in quatuor hebdomades distributas ad ipsa S. Patris IGNATII *exercitia accommodaret. Itaque & non pauca, quae in P. Ludouico de Ponte non habebantur,*

& Introductionibus ferè omnibus omißis, dictas Meditationes ad quatuor hebdomadarum præscriptum (vt suo proposito deseruire quàm optimè videbantur) digeßit; mutato interim auctoris ordine, adeò, vt Meditationes quasdam de SS. Eucharistia ac de B. Virgine eiusq́; virtutibus, loco suo, quem ab auctore primò acceperant, dimouerit, in propositum illud suum scilicet collimando, vt omnia ad quadripartitam ipsorum exercitiorum in hebdomadas distributionem referret; cæteris in alium locum, prout ipsi magis conuenire videbantur, reiectis.

Hæc cùm alij non pauci, viri sanè pij ac Meditationum R. P. Ludouici de Ponte amantißimi hoc quinquennio perspexißent, sæpius optârunt aliquem ex eadẽ Societate hanc sibi operam deposcere, vt absolutum aliquod omnium Meditationum (seruato eodem ordine ac numero) compendium concinnaret: donec tandem hoc anno inuentus est quispiam in prouincia Austriaca, qui hãc spartã pro multorũ votis sibi exornandam esse iudicaret. Nam vt S. P. Ignatius annotatione secunda (ex 2. in Exercit. libro præscriptis) prudenter aduertit: Homini meditaturo expedit, vt director, qui illũ exercet, succinctè ac breuiter materiam proponat, eamq́; paucis explicet: vt is, *inquit*, qui meditaturus est accepto veritatis historiæ fundamento discurrat postea, & ra-

 tioci-

tiocinetur per ſeipſum. Ita enim fiet, vt dum aliquid inuenerit, quod elucidationem, vel apprehenſionem hiſtoriæ aliquantò maiorem præbeat, ſiue ex diſcurſu proprio, ſiue ex diuina mentis illuſtratione guſtum delectabiliorem, & vberiorem fructum percipiat, quàm ſi res ipſa ei ab altero diffuſiùs narrata, & declarata eſſet. Non enim abundantia ſcientiæ, ſed ſenſus, & guſtus rerum interior, deſiderium animæ explere ſolet.

Adq; hunc finem Compendium hocce deſeruiet, nempè pro directione eorum, qui de his ipſis fidei noſtræ ac Saluatoris myſteriis meditari volent. Cæteris, qui in hoc exercitationis genere parum verſati ſunt, deſeruire poterunt maiores illi Tomi, in quibus ſine vlla vlteriori meditatione cibum quaſi iam coctum ac præparatum inuenient, vt ſolus maſticandi ac in ſuum ſuccum ac ſanguinem conuertendi labor atque exigua admodum moleſtia relinquatur.

Tu verò, beneuole Lector, qui ad meditationis ſuccum per te exprimendum aſpiras, hac directione, quæ tua cauſſa ſuſcepta eſt, vtere, fruere ad perfectionem animæ maiorem conſequendam.

INDEX MEDITATIONVM IN HOC COMPENDIO.

INTRODVCTIO TOTIVS operis sequentia habet capita.

I. Pars Meditationum.

De pertinentibus ad purgandam animam à peccatis.

II. Pars Meditationum.

Funda-

III. Pars Meditationum.

De vita Christi à Baptismo ad Passionem.

29. De

IV. Pars Meditationum.

De Passione D. N. Iesu Christi.

Med.

V. Pars Meditationum.

De Resurrectione & sequentibus mysterijs.

7. Eun-

VI. Pars Meditationum.

De Perfectionibus diuinis.

INTRO-

INTRODVCTIO AD MEDITANDVM.

CAPVT I.

Quid sit Oratio mentalis.

ORATIO mentalis est exercitatio internarum animæ rationalis potentiarum, nempe Memoriæ, Intellectus, & Voluntatis, circa Deum, & mysteria potissimum fidei, cum collocutione interna & familiari ad Deum. Vnde quatuor habet partes. Quid sit?

Partes Meditat.

1. Prima est, exercitatio memoriæ: qua Dei præsentia adducitur ante oculos; & mysterium illud, circa quod meditandum est, per puncta distinctum memoratur; & intellectui proponitur, cum fide viua ac feruenti ipsius mysterij: sine qua languebit meditatio, nec intelligetur, quod frigide creditur, iuxta illud: *Nisi credideritis non intelligetis.* Isa. 7. 9. a.

Secunda est ratiocinatio Intellectus circa propositam materiam: tũ, vt eam intimè per-

cipiat; tum, vt eliciat documenta virtutum: q·æ voluntati amplectenda proponat.

3. Tertia est concitatio voluntatis, vt res fert considerata, eliciendo varios actus & affectus: vel erga Deum, amoris, fiduciæ, gratitudinis; vel erga seipsum, odij, compunctionis, desiderij meliorum, & similes. Qui est finis meditationis.

4. Quarta est petitio eorum, quæ meditando, intelleximus nobis expedire, cum fiduciali colloquio, vel ad vnam speciatim ex diuinis personis, pro re nata, & affectu; vel vniuersè ad omnes. In petendo autem proferemus rationes, cur exaudiendi simus: quæ potissimũ

.Ratio. sunt tres. 1. Ex parte Dei, quia bonus, quia ipse amat nos; quia vult à se peti; quia sic glorificabitur; & tandem per singulas ipsius perfectiones nominatim expressas, potest fieri ob-

2. secratio. 2. Ex parte Christi, obtendendo illius merita vniuersè: tum sigillatim singula eius mysteria, & actiones, passionesque: denique per ipsius virtutes, quibus placuit Patri, eundem Patrem obsecrando. Modò ipsum filium rogando per amorem, quo nos amplexus est; per officium, quod gerit Mediatoris, per magnitudinem pretij, quo nos redemit. Et ipsum quoque Spiritum sanctum compellando, pro eo amore, quo Christum prosequitur, eiusque merita: in quem si-

3. ne mensura effusus est. 3. Ex parte nostra, prætensa necessitate & miseria maxima. In iniquitatibus concepti sumus: intus vrgemur

à con

à concupiscentijs: foris impetimur à dæmonibus,& à mundi illecebris prouocamur. Persequitur diabolus in nobis imaginem Dei: vt vel eo nomine debeat nos Deus ab iniuria vindicare. Licebit hic particulares necessitates, ac proprias singillatim commemorare,ad diuinam misericordiam magis permouendam. Aliquando etiam viri perfecti obtendere possunt obsequia, vt Ezechias: *Memento Domine quod ambulauerim coram te in veritate.* Et Christus ipse: *Ego te clarificaui super terram, & nunc clarifica me tu Pater.* 4. Reg. 20. 3. Ioan. 17. 4.

Atque modus iste orandi traditur ab Apostolo: *In omni oratione & obsecratione cũ gratiarũ actione petitiones vestræ innotescãt apud Deum.* Nec istæ obsecrationes tã adhibentur ad persuadendũ Deo, qui ipse vrget & præcipit, vt petamus; quàm ad excitandum in nobis feruorem deuotionis, & impetrandi fiduciam: quò mereamur exaudiri. Consentit prædictis illa Augustini sententia: *Meditatio parit scientiã; scientia compunctionem; cõpunctio deuotionem; deuotio verò perficit orationẽ.* Etenim per meditationẽ homo in Dei, & sui ipsius cognitionem venit; Hinc compungitur, & erubescit de propria vilitate; Compunctus,in Dei misericordia & bonitate conquiescit dulciter. Huc prouectus,miscet colloquia cum Deo; necessitates exponens suas,fidenterque postulans auxilium opportunum. Philip. 4. 6. Lib. de Spiritu & Ani. c. 70.

CAPVT II.

De modo colloquiorum.

Finis colloquij duplex. IN colloquijs potissimum consistit oratio: quorum finis est duplex: alter confessio laudis diuinæ; alter imploratio gratiæ. Ad *Primus finis* priorem pertinent quatuor affectus à Paulo *Eph. 5.19.* recensiti. *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus: cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.*

Primus affectus: *In psalmis.* Hic est amor in Deum cũ deliberata voluntate non disceden-di minimũ ab illius mandatis. Hoc est psalterium decem chordarum: quod in oratione pulsatur, quando anima concipit alia atque alia desideria perficiendæ diuinæ voluntatis.

Secundus affectus: *in hymnis.* Hic est admiratio & prædicatio diuinarum perfectionum in se, & operum mirabilium extra se: propter quæ Seraphim atque Cherubim incessabili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus.* *Isa. 6. 3.* *Sanctus*: Adde tu: Bonus, misericors, sapiens, omnipotens; & si quid aliud voles. Dicito *Apoc. 5. 12.* illi cum senioribus: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Diuinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem in sæcula sæculorum, Amen.*

Et quia maior est omni laude: inuita omnes etiam inanimes creaturas, ad eum laudandum, vt fecerunt tres pueri in fornace; & totus ipse in laudes effundere cum Dauide dicens: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Psal. 102.

Tertius affectus: *in canticis spiritualibus.* Hic est gaudium & exultatio de diuino bono in se; & quod glorificatur à sanctis in cœlo & in terra; illic per possessionem plenam, istic per spem. Vnde dicunt: *Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.* Apoc. 19. 6.

Quartus affectus gratitudinis, *agendo gratias* pro beneficijs acceptis: nec non pro collatis in alios etiam, siue homines siue Angelos; quin in ipsa inanimata: quæ per se nequeunt gratias agere, & in ipsos dæmones, qui nolunt: quia sunt obstinati in malo.

Alter finis colloquiorum est, *petitio gratiæ.* Secundus finis. In petendo autem variè affici possumus: vel spiritu filiali erga Patrem: quâ ratione iussit nos orare: *Pater noster, qui es in cœlis*, vel, vt mendicus à prædiuite subsidium petit: nam *Diues est in omnes, qui inuocant illum*: vel, vt Rom 10. 12 æger medico infirmitatem suam exponit: vel vt discipulus à Magistro edoceri cupit: vel, si eò fiducia surgat, tanquam sponsa cum dilecto suo colloquatur. Sed in his omnibus Spiritus sanctus est præcipuus director; qui & postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,

. suum affectum inspirans, qui est maxime opportunus. quare Bernardus rectè dicit: *deuotionem esse linguam animæ; & qui illam tenent, optimè loqui & conuersari posse cum Verbo æterno*. Licet etiam colloqui nobiscum ipsis arguendo, increpando, excitando, vt sæpè in psalmis: *Quare tristis es anima mea? spera in Deo. Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Surgam, & ibo ad Patrem meum. Sanctos etiam alloquemur, tum gratulando ipsis bona sua, tum nobis similia postulando.

om. 8. 26
rm. 45.
nt.
sal. 41. 6
sal. 61. 2.

CAPVT III.

De excellentia Orationis.

Virtutes Orat.

PRAESTANTIA apparet; quod in ea exerceantur tam sublimes actus, vt in præcedentibus capitibus ostensum est. Quare Chrysostomus eam comparat Reginæ cum amplissimo comitatu. Aliæ enim virtutes præcedunt, quibus præparatur anima orationi: Fides, humilitas, reuerentia, intentio pura; aliæ comitantur: Charitas, Religio, deuotio, intellectus, sapientia, aliaque dona Spiritûs sancti; aliæ sequuntur; ardentia desideria, & exercitia virtutum, obedientiæ, patientiæ, temperantiæ, & reliquarum.

Oratio facit similes Angelis Seraphinis, per ardentem amorem; Cherubinis, per scientiæ plenitudinem; Thronis, per altissimam in Deo quietem; Dominationibus, per dominium appetitûs proprij; Potestatibus, per im-

perium in dæmones; Virtutibus, per admirabilium operationem; Archangelis, per fortitudinem in arduis; Angelis, per obedientiæ promptitudinem; denique, omnibus Spiritibus cæleſtibus, per ſanctitatem & ſapientiam.

In oratione non ipſe homo tantum cũ Deo loquitur: ſed viciſsim Deus cum homine. *Locutio* autem *Verbi*, (vt ait Bernardus) *eſt infuſio doni*. Inde *lætitia ſpiritus inenarrabilis, pax exuperans omnem ſenſum*; Quare *audiam, quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* Fructu[s] *Serm.* *1. Pet.* *Phil. 4* *Pſal. 8[4]*

Oratio eſt connexa cum omnibus virtutibus, vt Caſsianus docet: quod oratio perfecta, ſine iſtis eſſe non valeat; neque iſtæ abſque oratione acquiri vel conſeruari poſsint, ex quo neceſsitas orationis commendatur. Oratio eſt finis omnium virtutum: quia per orationem inhæretur Deo, vnione intima: quò refertur, quicquid boni in vita agitur. Ibi Deus reddit centuplum pro ijs, quæ ipſius cauſâ contempſimus, vel tolerauimus: & arrham præbet vitæ æternæ. *Colla.* *Clym.* *llu 28.*

CAPVT IV.

De Materia Meditationis.

MATERIA, eſt vniuersè, quidquid diuinitus reuelatum eſt. Poteſt autem diſtingui iuxta conditionẽ meditantium tri- Mater[ia]

pliciter. Nam aliqui, peccatores ſunt; ſed cupiunt reſipiſcere; vel, ſi peccatum reliquerunt: adhuc ſubiacent vitæ prioris paſsionibus, quas mortificare deſiderant. Vnde Purgatiuam adhuc viam ingrediuntur. Alij, his ſuperatis difficultatibus, profectui virtutum, & ampliori lumini cœleſtium acquirendo intendunt: quæ eſt Via Illuminatiua. Alij denique progreſsi ſunt ad familiarem & intimam cum Deo vnionem: quæ dicitur Via Vnitiua.

1. Viæ Purgatiuæ conuenit meditatio circa ipſa peccata: vt cognoſcatur eorum multitudo & grauitas; tum dolor concipiatur admiſſorum, atque horror peccandi. Ad quem finem iuuant, quæ timorem incutiunt, qui eſt initium ſapientiæ: qualia ſunt Nouiſsima noſtra, mors, iudicium, & infernus; de quibus, vt de alijs, ad ritè confitendum, & ad iuſtificationis gratiam percipiendam, agitur in prima parte Meditationum. Id vbi incipiens peregit; quò etiam à reliquijs peccatorum purgetur: incumbet in meditationem myſteriorum vitæ Chriſti Domini, & maximè eius infantiæ; (de qua eſt ſecunda pars Meditationum) ſtudens euadere quaſimodogenitus infans.

2. Viæ Illuminatiuæ, quæ eſt iam purgatorũ, & in virtute proficientium, conuenit Meditatio geſtorum Chriſti per tempus ſuæ prædicationis, nec non paſsionis obitæ. Nam proficimus agendo, & patiendo: vtriuſque docu-

menta præbuit Christus eximia in vita & morte sua, cuius conuersatio fuit, vt August. ait, *mira facere, & mala pati.* de his tractatur in III. & IV. parte Meditationum. *In Psal. 49.*

Viæ Vnitiuæ conuenit meditatio, tū Christi humanitatis iam resuscitatæ & glorificatæ, tum Diuinitatis in Trinitate personarum, diuinarumque perfectionum, quæ tractantur in V. & VI. parte. *Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaceis.* Alta Diuinitatis iuga petunt agiles & expediti ab omni terreno affectu: imperfectis autē petra est refugium. *Petra autem erat Christus,* eiusque humanitas. 3. *Psal. 107.18* *Cassian. Coll. 10. c. 10.*

Istæ sex partes meditationum sunt instar sex alarum Seraphim, quibus ad Deum attollimur, indeq; purgati, illuminati, atque consummati, regredimur ad perficiendos alios: quia non debemus profectu proprio esse contenti, nisi & alios iuuemus. Deinde ita ex his meditationibus aliæ alijs conueniunt: vt quiuis exercere se possit aliquando in omnibus: tametsi non eodem modo, nam Perfectus, ex quibuscunque colliget fructum vnionis; Incipiens autem seu Proficiens, pro sua necessitate, iuuari poterit ex qualibet etiam meditatione. Sed & Imperfectus potest aliquando assurgere ad actus vnionis; vt & Perfectus timore concuti, ob admissa peccata. Et est varietas ingeniorum: vt quidam à supplicijs minus percellantur, ad detestanda peccata; magis autem ex consideratione diuini amoris. Ordinariè autem, viâ incedendum est

cuiusque gradus propria,& meditationes adhibendæ accommodatæ.

CAPVT V.

De ingressu ad orandum.

Eccles. 19. Mater. præparata.

ANTE *orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Huc pertinet præparatio certæ materiæ, & digestio in puncta: alioqui anima euagabitur per varia sine fructu. Licet autem sequi impulsum Spiritus sancti, si quando trahit aliò à materia proposita: dum non leuiter fiat.

Dei præsentia.

Primùm igitur cogitabimus Deum præsentem: qui cùm sit vbique non acceditur ad illum passibus corporis, sed fide viua præsentiæ ipsius. Variè autem cogitari potest præsens, vel tanquam mare immensum me circumuallans, & continens; vel tanquam intra me existens per essentiam, præsentiam & potentiam. Et hoc est quod ipse Dominus iussit:

Matt. 6. 6.

Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum. Pete secretum cordis, & occlude ostia sensuum tuorũ. Quod si in hac repræsentatione præsentiæ Dei, sentiat se homo affici singulariter, morari in ea licebit; ordinariè autem non, nisi ad se sistendum mente coram Deo; à cuius conspectu in reliquo etiam orationis decursu non est discedendum, vt monet Dauid: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, sed præcipuè in

Psal. 18. 15.

collo-

colloquijs: quando *effundo orationem meam in conspectu eius, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Psal. 141. 3.

Secundò exhibenda est profunda reuerentia Deo præsenti; tum gestu corporis, tum animi sensu, semel, iterum ac tertiò flexo poplite venerabimur illam Maiestatem, tanto maiori iure, quàm id præstatur Regibus terrenis: dein etiam procidemus ad terram exemplo Christi, qui *preces supplicationesq; cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia* Reuerentia. Hebr 5. 7.

Post hæc in loco orationi designato genua flectam, & cruce me signabo, præmittens illud: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster*; ne ab illis impediar in orando. tum inuocabo SS. Trinitatem: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, in cuius virtute instituo, orationem auspicari. Sunt qui præmittant etiam Confessionem generalem: Quia *iustus in principio orationis accusator est sui.* Et sunt qui ab actione gratiarum ordiantur, vt S. Basilius monet. In quo sequi licet propriam deuotionem: sed illud tamen ab omnibus seruandum, vt aliqua breui precatione dirigatur præsens opus ad gloriam Dei, & postuletur gratia rectè perficiendi. Oratio præparai. Prou. 18 17.

CA-

lem carnem & animam assumpserit. Cæterùm in singulis punctis immorandū est, quoad fructus elicitur: nec ad alia properandum. &, quia, cùm à Spiritu sancto peculiariter impellimur, succedunt omnia: oportet etiam, quando extraordinario illo ductu destituimur: per ordinarium gratiæ auxilium, quod non negatur volenti, adniti, quantum possumus. qui conatus, vt minus habeat internæ consolationis: fortè plus meriti, ob maius nostrum studium, & conflictûs difficultatem. Aderit Christus *laborantibus in remigando*, & tranquillum faciet. *Matt.* 14.32

Aduersus euagationes & ariditatem Spiritûs iuuant ista. 1. Humilitas, ex cognitione propriæ infirmitatis; & confusione, quòd ita cum Deo versemur. 2. Constantia propositi non admittendi vllam cogitationem alienam, conatusque repellendi; exemplo Abrahæ, *qui à Sacrificio abigere volucres* perseuerauit, donec ecstasi correptus, meruit de maximis diuinitus edoceri. 3. Oratio, quâ petatur à Deo remedium. *Cor meum dereliquit me: complaceat tibi Domine vt eripias me.* Et: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.* 4. Fiducia, quòd Deus aderit conantibus, cùm ipse iubeat orare. Dicam: *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.* Et: *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Deum, qui fecit nos.*

Remedia. 1. 2. *Gen.* 15. 11. *Psal.* 39. 13 142. 7. *Ps.* 118. 115. *Psal.* 94. 6

CA-

CAPVT VII.

De quibusdam extrinsecis adiumentis, ad meditandum.

Adminicula Medit.

I. Imaginatio.

ETSI Meditatio est opus intellectus; iuuatur tamen ab imaginatione, lingua, & sensibus. I. Phantasia, etsi alioqui impedit, cùm vaga est: tamen confert vis illius ad repræsentandum intus rem per imagines, vt quasi præsens cernatur. Quare id erit faciendum in exordio meditationis, pro qualitate rei meditandæ. Vt si de inferno, cogitetur locus tanquam carcer, obscurus, arctus, profundus, horridus, igniuomus, quo detineantur damnati. Si de Christi Natiuitate, specus ventis peruia, in qua iaceat Saluator. Verùm, qui difficulter efformant hasce imagines corporeas, potius abstineant: ne caput lædant; qui verò facilè, & vehementer concipiunt, caueant tum à læsione capitis, tum ab elusione diabolica: qua fit, vt phantasma pro re accipiatur, & putetur diuina ostensio: quæ est imaginationis propriæ figmentum.

II. Lingua.

II. Iuuat lingua, siue oratio vocalis, ipsam meditationem, præcipuè in ariditate & distractionibus, nam excitatur ad attentionem anima, & ad torporem excutiendum. Fit autem dupliciter; vel cùm mens ex affectu prorumpit in verba, minimè præmeditata, aut composita; vel cùm aptam aliquam precationem ab alio compositam in eum finem excitandi se ipsam, assumit.

Digitized by Google

III. Quod ad ſenſus externos attinet, quidam ſunt collectiores, vitatis omnibus obiectis, occluſiſque ſenſibus; alij autem aſpectu cœli, aut piæ imaginis, vel etiam conuentu pio permouentur, ex motibus cæteris, vt tunſione pectoris, geniculatione frequenti, proſtratione corporis, expanſione brachiorum, ſtatione; alij aliter afficiuntur: vitanda autem in publico, quæ inſolita ſunt. III. Senſus.

CAPVT VIII.

De examine faciendo ſuper Meditatione.

CONFERT multum ad fructum, vt ſuper meditatione iam peracta inſtituatur examen. Id quod circa alias quoque orationes vocales, præſertim longiores facere, operæpretium erit. Quid examinandũ.

I. Examinabo acceſſum ad meditandum: an præparata ſufficienter materia; an præſentia Dei ante oculos ſtudioſè poſita; an opus illud pura intentione in Deum direxerim, & obtulerim, gratiâ dignè perficiendi poſtulata. Quod minus præſtiterim, dolebo, cum propoſito emendationis. I.

II. Examinabo progreſſum orationis: diſtractuſné atque aridus, an collectus & deuotus fuerim; an multus in diſcurſibus, & parum affectibus intentus; an bona deſideria ac propoſita in poſterum conceperim; & qua re II.

uerentia in colloquijs cum Deo me habuerim. Si quid benè gestum; Deo referam acceptum, gratiasque agam: quod minus: eius causam inuestigabo, ad remouendum.

III. III. Examinanda sunt ipsa lumina in meditatione percepta, & affectus spirituales: dispiciendo, quò ducant animam, & quales in ea pariant effectus: vt discamus varios spiritus discernere.

IV. IV. Dispiciendum; quâ ratione exequi valeamus, atque in praxim quàm primum deducere, quæ intelleximus, nobis esse facienda; nam arbor infructuosa excindetur: *Iustus autem erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Cæterum fructus meditationis esse debent: reformatio morum, vitatio culparum etiam leuium; declinatio occasionum mali, & quarumuis imperfectionum; refrænatio passionum; victoria difficultatum in exercitio virtutum; superatio tentationum; studium laborandi ac patiendi; in ijs, quæ sunt proprij status, & vocationis accurata exercitatio: denique imitatio Christi, in charitate, humilitate, patientia, obedientia, crucis amore, mortificatione, cæterisq; virtutibus; ac præsertim, qua quisque maximè indigere se sentit.

Psal 1.

Fructus Medit.

CA-

CAPVT IX.

De variis orandi modis.

QVAE est hominis infirmitas, vt spiritualium rerum tædium facilè concipiat, ad illud vitandum excogitati sunt à viris sanctis diuersi modi orandi. Tres B. P. noster Ignatius quàm accommodatissimos tradit.

I. Modus est, quo decalogi præcepta, aut vitia capitalia, aut internæ animæ potentiæ, ipsique sensus exteriores pro materia meditandi assumuntur. Qui modus conuenit viæ purgatiuæ; ac de illo agetur in 1. parte meditationum, vbi propriæ de ijs capitibus considerationes proponentur. I.

II. Modus, cùm Psalmi alicuius versiculus, aut alia Scripturæ sententia, aut etiam hymni ecclesiastici pars ad meditandum proponitur; eliciendo ex ea spiritū fructumque latentem. Itaque singula verba pensitanda sunt: &, quò spectent, considerandum. Nam, si Deus in proposita sententia loquatur homini, aut docet, aut præcipit, aut corripit, aut terret; vel contrà, erigit, solatur, allicit: & pro affectu flectendus est animus, Deoq; subijciendus. Si autem homo loquatur Deo, vt passim in psalmis; aut laudat, & gratias agit; aut petit peccatorum veniam, vel liberationem à malis, aliave beneficia, induendus porrò est ille affectus, quem verba præ se ferunt; vel einsmodi sententia debet assumi, quæ II.

conueniat affectui, quē volumus in nobis excitare. Conuenit iste modus viæ Illuminatiuæ, qua scrutatur mysteria diuinorum eloquiorum, ad proficiendum in spiritu. Praxis tradetur in 2. & 3. parte Meditationum, circa orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, & alias Christi Domini sententias, quæ in primis efficaces sunt. Nam *labia eius lilia stillantia myrrham primam.* & ipse de se: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* quod Petrus agnouit, cùm dixit: *Verba vitæ æternæ habes.*

Cant. 5. 13.

Ioan. 6. 69.

III. III. Modus constat varijs affectibus per interualla respirationum, non enim hæretur diutius in verbo aut parte aliqua sententiæ, nisi quantum inter vnam & alteram respirationem intercedit, veluti carpendo cursim ex propositis fructum, & alium post alium affectum concipiendo, & quasi iacula in cœlum iaciendo, quod exprimere videtur Dauid illis verbis: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum: quia mandata tua desiderabam*: quasi ad singulas attractiones funderet orationem. Conuenit hic modus Viam ingressis Vnitiuam.

Psal. 118. 131

CAPVT X.

De supplendo labore meditandi.

Diuersitas Meditat.

TRIPLICITER se habēt homines in meditando; quidā plus ratiocinationi dant, minus affectui; alij plus affectui, sed cū ratiocina-

cinatione; alij ſimplici intuitu rei in affectus aſſurgunt: quæ eſt contemplatio. Verũ ad hanc ferè non perueniunt, niſi qui in meditando & inquirẽdo, ſe diu exercuerunt. Velut cũ puella nubere volens, de ſponſi conditione multa exquirit; ſed omnibus compertis, ad ſolá illius mentionem, aut ſubitũ conſpectum, tota exhilareſcit; nequicquã expendens ſingula, ob quæ eſt ſibi amabilis; ſed ex pręconcepta cognitione ſubitò exardeſcens. Ita, qui diu multumq; per meditationis ſtudium in Chriſti Domini geſta, inquiſierunt; & deprehenderunt, qualis, quantuſque ſit, tandem abſq; alio diſcurſu, ad quamuis occaſionem, in eum rapiuntur, atq; ita de alijs meditationis argumẽtis. Quià tamen in nobis faciliùs delentur ſpiritualium rerum imagines, oportet etiam, exercitatos viros renouare ſubinde ipſas meditationes, quibus foueatur ac confirmetur notitia illà habituata, lumenque rerum diuinarum. Simile.

Cæterum ſolet Deus quoſdam etiam minus in meditando antea verſatos præuenire in benedictionibus ſuis, & ſpeciali lumine perfuſos ſubitò illuſtrare; atque ob oculos intuendum ponere, vnde in varios affectus incaleſcant. Idcirco, qui debilitate capitis, aut alio impedimento prohibentur meditationi intendere, hanc rationem poterunt ſeruare: vt propoſita ſibi aliquà certa materià, cœleſte lumen implorent, quod ſuppleat conatum laboremq; meditandi: præſertim, quià ex præterito vſu accedit ſemper aliquod iuuamen; Dei bonitas.

cùm non planè sint res ignotæ, & nunquã antea perpensæ. Aderit Deus, qui non deserit in se confidentes. Triplex autẽ notitia vniuersè spectatur; suiipsius, Christi Domini; Dei ac eius perfectionum & operum: quæ notitiæ ita sunt connexæ inter se, vt ex alia in aliam facillimè gradus fiat inter meditandum: & habent singulæ proprios quosdam affectus.

CAPVT XI.

De extraordinarijs orandi modis.

ORATIONIS donũ à Spiritu sancto est, Zach.12 10 illic promissum: *Effundam super domũ* Rom. 8. 2· *Dauid & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum*: nam, *nescimus, quid oremus sicut oportet*. Non tamen vno modo Spiritus sanctus docet orare: vt valde sit repræhensibile, quod quis velit, omnes alios tenere eum modum, quem ipse probat, ac sequitur: cùm Sap. 7. 22. *Spiritus sit vnus & multiplex.*

Porrò generatim modi orandi sunt duo: alter ordinarius, de quo hactenus dictum est; alter verò extraordinarius: isque multiplex. Sed hunc nec postulare, nec expetere quidem licet; quòd id sit præsumptionis, & periculo Cor. 11. 14 illusionis expositum, *transfigurante se diabolo in Angelum lucis*: oblatum autem à Deo submissè & cautè oportet admittere; seruatis documentis, quæ in 3 p. medit. 19. traduntur, & p. 5. vbi de apparitionibus Christi: iuuat tamen, quædam non ignorare, ad hunc modum pertinentia.

Est igi-

Est igitur sciendum, quòd quemadmodum in parte animæ sensitiua habemus quinque sensus exteriores, quibus res sensibiles & delectabiles percipimus: ita proportione quadam in parte rationali sunt actus illis similes, quibus inuisibilia Dei & delectabilia percipiuntur; vnde existit cognitio quædam experimentalis diuinorum: quæ tantò præstat notitiæ, ratiocinationibus comparatæ, quantò degustatio mellis antecellit omnem de ea re discursum. Hinc existit mystica Theologia, quæ est sapientia, siue sapida scientia Dei, de qua Dionysius, & alij Patres, & nominatim Bonau. de 7. itineribus æternitatis, in 6. itinere. Sed in huiusmodi, vt Bernardus ait, *non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit.*

Primus modus communicationis est, velut aspectui objiciendo aliquod mysterium in tā claro lumine, vt videre homo sibi videatur ipsam rem: quamuis ea visio non excludat fidem. Hanc notitiam comitatur Iubilus, qui est gaudium velut exilientis animæ præ lætitia, ob tam eximiam charitatem, quale apud Iob: *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo.* Ad quod inuitamur à Deo ipso; *Vacate & videte; quoniam ego sum Deus.* Sed vacare oportet à terrenis. Tales illustrationes immittere solet Deus seruis suis, sed tanquam fulgurationes transeuntes; vt subitò cernant quasi oculis mysterium quodpiam, aut fidei verita-

I. Visio.

Iob 33. 26

Psal. 45. 11.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tem : ex quo mirifici in anima affectus relinquuntur, quin ipsi peccatores nõnunquã similiter illustrantur, vt perspiciant vel peccati malitiam, vel quid aliud, vnde penitus immutentur. de quo in p. 5. de conuersione Pauli.

II. Auditus. Secundus modus per internum auditum: quando Deus ita se interiùs communicat, vt quædam spiritualia verba formet, quibus doceat animam; vel voluntatem suam circa rem aliquam disertè intimet. Vbi non res ipsa cernitur, vt in primo modo, sed percipitur, quid Deus velit, ad cuius vocem diffluit in affectus sponsa: *Anima mea liquefacta est, vbi dilectus locutus est.* (Cant. 5. 6.) Huic internæ locutioni similes sunt inspirationes internæ: quæ communiter iustis, ac ipsis peccatorib. immittuntur: quæ sunt voces Dei, sed nõ illo modo expressę. Ambos modos per visum & auditum insinuat Iob: *Auditu auris audiui: nunc autẽ oculus meus videt te.* (Iob 42. 5.) Sed præstat visus, vt habens plus claritatis: quia res ipsa cernitur, nõ edicitur solũ. Ergo *audiam, quid loquatur in me Dominus.* (Psal. 84. 9.)

III. Odoratus. Tertius modus per internum olfactum, quo persentitur quædam rerum diuinarum quasi fragrantia, valdè reficiens confortansq; animam; atq; in earum prosequutionem inflammans, vt dicat: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* (Cant. 1. 4.) & Bonau. de Ioanne Apostolo refert, orare solito: *Odor tuus, Domine, excitauit in nobis concupiscentias æternas.* Sicut canis, vestigia ferę odoratus, non desistit ijs insistere, donec reperiat: ita anima suauitate æternorũ

intimè

intimè delinita, ad ea se extendit; nihil morata, quidquid est extra illa. Solent, qui ad Religionem vocantur, aliquid de hoc odore percipere: quando per difficultates quascunque, à proposito nequeunt retardari.

IV. Gustus. Quartus modus per internũ gustatum, quo fiunt homini Deus & diuina supra mel & fauum: contraq; planè desipiunt omnia mundana: & solet is sapor etiam in sensum redundare, vt Dauidi contingebat: ***Cor meum & caro mea exaltauerunt in Deum viuum.*** *Psal. 83.3.* Per hunc saporem fit nobis suaue iugũ Domini, & exercitatio virtutũ alioqui difficilium ***O Domine quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quã abscondisti timentibus te!*** *Psal. 30.20* quasi dicat: magna & multa est dulcedo: quippe vnaquæq; virtus suam habet propriam, & eam magnã, vnde existat feruor operandi. Verũ etsi non datur cuiuis ille sublimis gustus: aliquid tamen de illo cõmunicatur iustis ordinariè; & ipsis peccatoribus, vt ablactentur à sensuũ voluptatib. sed illis in primis datur, qui Christi amore, se penitus abdicarunt omnibus desiderabilibus.

V. Tactus. Quintus modus per spiritualem tactũ, quo Deus velut tenetur arcto cõplexu: ***Tenui eum nec dimittam*** *Cant. 3. 4.* quin & osculum expetitur: ***Osculetur me osculo oris sui.*** & vicissim, Deus, subiecta capiti leua, ***dextera sua amplexatur*** spõsam. Hæc est quædam adhæsio, de qua scriptũ est: ***Qui adhæret Domino vnus spiritus est***: *1. Cor. 6, 17.* vt absit hinc omnis carnalis cogitatio. Hi sunt spirituales quasi sensus; quos Deus tribuit, vt *Custodia sensuum.*

placet. Nos interea mortificemus sensus nostros exteriores, vt participare possimus de interioribus, nam teste Gregorio: *Vbi externus sensus clauditur: mox internus aperitur.* Contrà verò teste Augustino: *Internus sensus dormit, si suis externus voluptatibus se tradit.*

CAPVT XII.

De præscribendo Meditationi tempore.

Orationis tempus duplex.

ORATIONIS duplex tempus esse potest: vnum quotidianum & statum, alterum extraordinarium, cùm ad vnã vel plures hebdomadas, cæteris curis sepositis, homo se tradit diuinorũ commentationi, quod ob plures causas suscipi potest.
1. I. Ad seriam conuersionem, per accuratam & generalẽ confessionẽ.
2. II. Ad comparandum mysticæ huius Theologiæ vsum per plures hebdomadas, sub aliquo spirituali duce.
3. III Ad consulendũ Deum de vitæ statu; vel etiã de negotio aliquo graui suscipiendo.
4. IV. Quamuis alioqui vir in hoc genere exercitatus, cùm sentit se languere: ad excitandum spiritum.
5. V. Quando etiam nihil horum subsit, ad fruendum Deo per otium.

Ordinariũ tempus.

Ordinarium & quotidianũ tempus non potest omnibus idem præscribi. vtile foret mane aut vesperi horam vnã ponere, exemplo Christi, cũ obiecit Apostolis: *Non potuistis vna hora vigilare mecũ?* (Mat. 26. 40.) Si minus liceat horã dare, saltẽ mediam, aut quartã partẽ, & in festis amplius aliquid. Sed quod constitutũ semel fuerit, vel ex obligatione Instituti, vel ex deuotione,

debet

debet inuiolabiliter obseruari: alioqui semel aut iterum omittendo, fit, vt penitus negligatur. In quo imitabimur Danielem: qui nec metu mortis intermisit ternum quotidie precationis tempus; vnde meruit à leonibus illæsus seruari. Ita nos ob consuetum orationis tempus non patiemur iacturam aut damnum in cæteris negotijs: ob quæ alioqui solemus à consuetis exercitijs auocari. *Dan. 6. 10*

Iuuant orationem frequentata per diem ad Deum suspiria; quas iaculatorias vocant orationes, quibus deuotio in meditatione concepta fouetur: & qui illi non vacant, per ea supplent illius vices, & fructum. Et est eò facilis, quòd breuis; & potest affectuosius fundi; neq; enim Deus in multiloquio exaudit: & ita etiam impletur Christi pręceptum: ***Oportet semper orare, & nunquam deficere***: & illud; ***Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.*** nam istæ orationes sunt veluti reliquiæ ex meditatione præcedenti, quas S. Chrysostomus vult minimum ad horas singulas frequentari: vt sint quasi quoddam spirituale horologium: & frequentabantur olim, teste Cassiano, à sanctis Aegypti incolis inter labores manuum assiduè, cum ingenti fructu: qui potest ex contrario æstimari. Nam si quis tam esset impius, vt per momenta in Deum contumelias iaceret: quantum is sibi malorum cumularet: tantundem vir pius meritorum, per religiosos affectus identidem expressos, sibi proculdubio conquiret. Iaculatori preces

CAPVT XIII.

De vsu sequentium Meditationum.

Vsus Med. eq. VARIVS vsus potest esse sequentium meditationum. I. vt seruiant lectioni spirituali, in qua Deus velut loquitur legenti ea, quæ scripta sunt, intus mentem de ijs illuminans; affectumque mouens, quare debent attentè legi, neque cursim, sed cum meditatione quadam, & petita gratia cum fructu legendi, *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* II. vt præbeant materiam meditationis. iuuat enim ad colligendam mentem, quando super punctis meditationis aliquid prælectum est: & possunt inde colligi certa puncta meditanda, quot sufficiant. affectus autem, petitiones, & colloquia non sunt conceptis verbis ex libro sumenda, sed suggerente spiritu formanda, & fundenda. III. vt Patres spirituales inde suos filios instituant, & informent in ratione meditandi, suppeditatis punctis meditandi, pro capacitate & necessitate cuiusque; quin & ad exhortandum & exstimulandum ad perfectionem pro ratione status, conferre possunt. Ob quos fines in meditationibus afferuntur multa ex sacris literis & Patribus; & habent, in quo exercere se possunt, incipientes, proficientes, atque ipsi perfecti.

Introductio ad I. partem Meditationum.

MEDITATIO, vt ait S. Bernardus, facit

cit ad puritatem cordis: & quod S. Petrus inquit, *Fide purificans corda eorum*, tunc præcipuè contingit, si mysteria fidei accurata consideratione expendantur: cumque omnia iuuent, potissimum illa, quæ viæ purgatiuæ conueniunt. Huc spectant triplicis generis actus. I. cognitio sui, & contemptus: vnde existit virtus humilitatis. Porrò hæc est duplex: vna eorum, qui nunquam animam lethali culpa fœdarunt: qui nihilominus humiliari debent ex consideratione sui nihili, quod ex se sunt, tam quoad naturam, quàm quoad gratiam, quò faciunt meditationes 6. partis. Altera est eorum, qui aliquando se inquinarunt: isti autem humiliari debent suarum intuitu miseriarum, & his conueniunt meditationes I. partis II. genus actuum, est illorum, qui ad iustificationem disponunt, vt sunt timor diuinæ iustitiæ, spes misericordiæ, dolor de peccatis, confessio, satisfactio. III. genus actuum, quibus remanentes ex peccato mali habitus, & inordinatæ passiones mortificantur: nam æquum est, quod posit Apostolus: vt *sicut exhibuistis membra vestra seruire iniustitiæ ad iniquitatem: ita nunc exhibeatis, seruire iustitiæ in sanctificationem*. Et *sicut portauimus imaginem Adæ terreni, ita portemus & cælestis*. Imo qui feruentiores sunt, non debent esse contenti illa paritate, quam per indulgentiam permittit Apostolus, sed potius obaudire debent prophetæ consulenti: *sicu fuit sensus vester, vt erraretis à Deo: decies tantu*

Actor. 15. 9

I. Humilitas duplex.

II. Dispos. Iustificat.

III. Passionum mortificationis.

Rom. 6. 19. 1. Cor. 15. 49.

Baruc. 4.

B

iterum conuertentes requiretis eum. Cæterùm conuenit, etiam iustos, qui longius progreſsi ſunt in via ſpirituali, aliquando ſe referre ad meditationes purgatiuæ, ſiquidem monemur:

Eccli. 5. 5. **De propitiato peccato noli eſſe ſine metu;**
18. 22. **Et, ne verearis vſque ad mortem**
Apoc. 22. 11. **iuſtificari; Et, qui iuſtus**
eſt, iuſtificetur
adhuc.


Part: 1. Pag. 29.
BEATI QVI HABITANT IN DOMO TVA DOMINE Ps 83
Auaro nihil est Sceles tius Eccli 10
Væ illis qui in via Cain abierunt Epist Jud
Virum stultum interficit iracundia Job 5
Puteus Abyssi Apoc. 9
STATVTVM EST HOMINIBVS SEMEL MORI Hebr 9
MEMORARE NOVISSIMA TVA ET IN ÆTERNV NON PECCABIS Eccl 7

PRIMA PARS MEDITATIONVM.

DE PERTINENTIBVS AD purgandam animam à peccatis.

MEDITATIO PRIMA & FVNDAMENTVM RELIQVARVM.

De vltimo fine Hominis.

PRAELVDIVM I. Pro loci compositione, cogitabo Deum quasi mare immensum, ex quo manant veluti riui creaturæ omnes, atque ad eundem reuertuntur.

PRAELVDIVM II. Petam lumen cognoscendi penitus finem meum, atq; ad eum actiones vitæ meæ deuiantes dirigendi; illud vsurpans; *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Psal. 42.3.

PVNCTVM I.

Quis sit finis Hominis.

1. VIDELICET, vt Deum laudet ac reuereatur; eique seruiens, tandem saluus

om.6.22. uus fiat, quod ait Apostolus: *Habetis fructum*
inis pri- *vestrum in sanctificationem: finem verò vitam*
ius homi- *æternam.* Quasi dicat: finis proximus pro hac
i s vita, est sanctitas actionum; vltimus autem, fælicitas æterna. Circa quod expendam, quòd non sum creatus ad indulgendum cupiditatibus; vel ad ambiendum honores, vel opes cumulandas, quod plerique tamen faciunt; sed ad cultum deferendum Deo debitum, eiusq; mandatis ac voluntati seruiendum: quod perpauci seriò præstant.

Vltimus. II. Quod spectat ad futuram vitam; cùm humana conditio nihil tale postularet; bonitate sua Deus destinauit hominem, vt Deum clarè in se ipso videret, eoque frueretur, summo bono: quod est, simillimum fieri Deo: qui eò beatissimus est, quòd se ipsum videt, & amat.

1. Ioan.3.2. *Scimus*, (inquit S. Ioannes) *quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est!* O finem altissimum? & tenebatur alioqui homo, absque tali mercede Deo suo omne obsequium præstare. Præstabo igitur tanto studiosiùs. Sed prô, quàm aliter meam hactenus vitam impendi! Dimitte, Domine, dimitte, *vt plangam paululum* hanc supinam in tanto negotio negligentiam, *an-*

Iob.10.21. *tequam vadam in terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Dimitte, Domine, dimitte propter temetipsum!

Damnatio. III. Quem non permouet tam excellentis finis amor, deterreant mala, quæ deficientem à fine suo consequuntur. Et quid est in hac vi-

ta boni, quod vicissim tantam sarciat iacturam? nam, *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ergo age, anima mea; illuc contende, propter quod condita es: illum satage comprehendere, qui est omne bonum; & extra quem nullum est verum bonum: is est centrum tuum, in quo solo potes adipisci requiem. *Fecisti enim nos ad te, Deus; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Matt. 16. 26

S. August. l. 1. conf. cap. 1

PVNCTVM II.

Quis sit finis aliarum rerum.

VT iuuent hominem, ad finem suum consequendum, tam in hac vita, quàm in altera sicut ait Dauid: *dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* circa quæ tria consideranda veniunt.

Psal. 104. 4.

Liberalitas Dei.

I. Munificentia Dei erga hominem, in cuius vsum tot, tamque varia condidit; non ad necessitatem modò vitæ, verùm etiam ad oblectationem. quare, quod ipsis creaturis Deus dedit; mihi præcipuè dedit; propter quem illæ sunt. Benedicite ergo *omnia opera Domini Domino.* perque singula discurrendo, per cælos, elementa, plantas, aliaque pro singulis gratias agam.

Creaturæ obsequiū.

II. Quòd, cùm ipsæ creaturæ obsequium suum tam fidele mihi præstent; contrà, ego eis abutar: siquidem non vtor, vt medijs, ad finem meum consequendum; sed tanquam in fine

pro-

proprio, in illis acquiesco. quæ est inordinatio maxima: idque facit omnis peccans, vel ipsa naturali creaturarum inclinatione reclamante: quæ proinde liberari à seruitute ista cupiunt, quam seruiunt peccatoribus siqúe possent, subducerent se à sensibus eorum, ne illos oblectarent; quando in Dei offensam cedit: vereque ipsi peccatores digni essent tali subtractione; nisi ratio diuinæ prouidentiæ eam vetaret, quæ *solem oriri facit super iustos & iniustos; & pluit super bonos & malos.* Deflebo meam & similium ingratitudinem, in tanto abusu donorum Dei, & mediorum consequendi finis.

Matt:

Notitia De ex creaturis.

III. Seruiunt etiam creaturæ ad finem hominis; quia ex ipsis creator illarum cognosci potest, & amari: & inuitant quodammodo ipsæmet hominem ad diuinas perfectiones contemplandas, quæ in eis sunt adumbratæ. Nam *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna eius quoque virtus & diuinitas.*

Rom. 1.20.

Vsus rectus.

PVNCTVM III.

1. EX duobus punctis præcedentibus, tanquam ex præmissis certis & necessarijs, colligitur illa conclusio, & vitæ regula; oportere hominem indifferentem esse circa vsum omnium creaturarum; vt vel vtatur, vel abstineat; vel hoc aut illo modo vtatur, prout ad finem suum vltimum conducet Quæ indifferentia est apex perfectionis, & origo

origo omnium bonarum actionum; contraque est peccatorum omnium radicitus extirpatio.

II. Hinc aggrediar perscrutari cor meum circa affectiones rerum creatarum; diuitiarum, honorum, voluptatum, cognatorum & amicorum; aliorumque omnium, quæ suspecta esse possunt: & sicubi hæret affectus, enitar euellere, meque in indifferentia vera constituere, in manus Dei proijciendo; qui maximè illis prouidet, qui se totos ipsi committunt: sicut etiam promittit: *Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* — Mortificatio. — *Matt. 6. 33*

III. Et quia huc assurgere non est virium hominis; auxilium diuinum suppliciter implorabo. *De his punctis plura in sexta parte.*

PVNCTVM IV.

ALTERA Conclusio ex iisdem principijs sequitur: quòd peccatum super omnia mala detestandum sit: quippe quod solum priuat hominem suo fine, eique directè aduersatur, præsertim mortale quare in scriptura dicitur Deus *factis* malis *abnegari*; *venter esse Deus*; & *pecunia idolum*: quia Deus honore finis vltimi priuatur, peccando; isque in creaturam transfertur, quæ Deo præfertur. — Detestatio peccati. — *Titi 1. 16. Philip. 3. 19. Ephes. 5. 5.*

MEDITATIO II.

De triplici peccato, Angeli, Adæ, & particulari quocunque.

AESTIMATVR grauitas peccati in hac meditatione ab exemplis, quæ meritò formidare debemus; atque ex eis cognoscere imbecillitatem nostram, ne fidamus nobis ipsis.

Pro introductione huius & sequentium meditationum cogitabo, Deum pro tribunali sedentem, aspectu formidoloso: à facie cuius fluuius igneus rapidusque egreditur, ad hauriendos peccatores; me verò multorum criminum reum, cathenis vinctum coram illo assistere, sententiam promeritam exceptu rum.

PVNCTVM I.

Lapsus Luciferi, & sequacium Angelorum.

Ezech. 28. 13 1. Angelorū dignitates.

1. ANGELVS qualis fuerit creatus. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitijs Paradisi fuisti; omnis lapis preciosus operimentum tuum.* Hi lapides fuerunt, I. quòd purus spiritus sine vlla corporis admixtione. II. quòd immortalis, & nec posset mori. III. quòd intelligens, & mira ingenij subtilitate ornatus. IV. quòd li-

ber, ac Dominus suarum actionum. V. quòd sapiens, omni scientia præditus rerum creatarum. VI. quòd potens super omnes creaturas. VII. quòd sanctus à donis gratiæ. VIII. quòd incola cœli Empyrei IX. quòd capax videndi Deum in semetipso; &, cum spe certa id assequendi, modò perstitisset.

II. Quòd ingratus ex ijs ipsis donis accepit ruinæ occasionem, inquit scriptura: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* — II. Ingratitudo.

III. Quòd in momento deturbatus est: *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem*: nec vllus ei relictus pœnitentiæ locus, idque ad nostram instructionem; vt monet S. Petrus, *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, quanto magis nos?* — III. Vltio. — 2 Petri 2.4

IV. Applicabo hæc tria ad me, æstimans bona accepta; ingratitudinem à me redditam abusumque donorum; at promeritum iudicium: tantò magis, quòd non vnum, vt Angelus, sed plurima peccaui; non cogitatione tantùm, vt ille: sed verbo & opere; nec in vno genere, vt ille, superbiæ: sed in multis; &, quod maximum est, contra sanguinem Christi, in quo redemptus & sanctificatus sum, cùm non item Angelus. Concutiar debito timore à periculo, in quo versatus fui; mirabor patientiam & longanimitatem Dei, & meum iudicem deprecabor. — IV. Antithesis.

PVNCTVM II.

I. Peccatum Adæ: in quo similiter tria considerabo.

1. Dona Adę. I. QVALIS creatus sit, videlicet ad imaginem & similitudinem ipsiusmet Dei: II gratiâ donatus: qua erat filius Dei adoptione III· cum iustitia originali: qua appetitus plenè rationi subiectus erat. IV. immortalis, vt posset non mori, si vellet; & immunis ab ærumnis & miserijs, quas nunc patimur. V. Dominus creaturarum factus, & indita illarum cognitione imbutus. vt omnibus nomina imponeret. VI. in loco deliciarum constitutus; transferendus aliquando in cœlum cum glorificato corpore ad visionem Dei.

2. Ingratitudo. Genes 3 4. II. Quàm ingratus extiterit, nam Eua acquieuit serpenti pollicenti: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicuti dij, scientes bonum & malum*. Adam etiam, quem saltem oportebat sapere, indulsit mulieri, vt gustaret de fructu contra præceptum Dei.

3. Vltio Dei. III. Quæ sit pœna consecuta I spoliati sunt gratia adoptionis II. exuti iustitia Originali rebellante appetitu III necessitati moriendi facti sunt obnoxij: & tot tantisque miserijs, quas posteri etiam magno sanè suo damno experiuntur: qui etiam nascimur filij iræ; quia in Adamo peccauimus. Atque ex eo peccato tanquam origine pullularunt plurima alia,

quotquot ab hominibus perpetrantur. IV. denique genus humanum factum est reum æternæ damnationis, actumq; in exilium, vt in sudore vultus sui pane suo vescatur, vitamque sustentet: terra etiam ipsa propter hominem à Deo maledictioni deuota.

4. Antithesis.

IV. Expendam, quòd ego similiter Diaboli tentationibus circumueniri me quàm sæpissime passus sim; carne, vt altera Eua, spiritum pelliciente; quodque per superbiam, Dei similitudinem affectauerim, arrogans mihi non mea, sed Dei; & tandem, quòd pro vna Adæ inobedientia, ego innumerabiles admiserim.

5. Pœnæ grauitas.

V. Quòd Adam diuturnam valde pœnitentiam egit, toto vitæ tempore, quam extraxit ad nongentos annos. *Et eduxit illum*, vt ait Sapiens, *à delicto suo.* cuius exemplo seriam agam pœnitentiam, Deo supplicans, vt nunc feriat, vrat & secet: modò in æternum parcat. *Sapien. 10. 2*

PVNCTVM III.

Circa peccatum quodcunque lethale.

1. Pœna vnius peccati.

I. COGITATIONE in infernum descendens, ibi contemplabor complures, qui ob vnum aliquod peccatum mortale sempiternas pœnas luũt, alij ob aliud; & ex ijs aliqui, qui vixerunt aliquando piè & sanctè, sed per remissionem, in peccatum lapsi, in eo mori permissi sunt, iusto Dei iudicio: atque ita delinquentes in vno, *facti sunt omnium rei,* *Iac. 2: 10.*

icut ait S Iacobus, hoc est perinde æternæ lamnationi addicti, etsi non pari pænæ.

2. Antithesis II Considerabo quòd idem mihi continge e potuerit, qui sæpe sæpius peccaui, & infernum in singulis promerui; quod autem secus euenerit, non vllis meritis meis, sed bonitati singulari Dei erga me adscribam simul gratias agens, & constituens firmiter, non abuti amplius Dei patientia, & commissa per debitam pœnitentiam expiare.

3. Præseruatio quid. Psal. 85. III. Expendam, quòd præseruatum esse à damnatione, cùm illam meritò poteram incurrere, perinde est, atque ex ipso inferno fuisse ereptum: vt dicere possim: *Confitebor tibi Domine; quia misericordia tua magna est super me & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Iam, si quis inde ereptus fuisset, locusque pœnitentiæ ipsi datus, qualem & quantam libentissimè perageret? quàm se gratum exhiberet? faciam ergo idipsum.

PVNCTVM IV.

Luca 23. 31. 1. Passio Christi pr peccatis. I. AESTIMANDA est grauitas peccati, præcipuè ab exemplo Christi, quod efficacius multò est tribus reliquis. Nam, *si in viridi ligno talia fiunt*, & filius Dei tanta debuit pati pro expiandis peccatis alienis; *in arido quid fiet*? quantum suppliciorum reseruatur ipsi peccatori? 2 I taque repræsentabo mihi Christum per omnes passionis suæ partes, pro me exsoluentem; variosque affectus excitabo in me, modò timoris à tanta seueri-

tate

tate iudicij; modò compunctionis, quòd causa extiterim; modò vindictæ de me ipso; sed & certos Christi cruciatus certis peccatorum generibus applicabo, tanquam pro illis inflictos, vti fel & acetum pro gula; coronam spineam pro superbia; flagella pro carnis indulgentia; atque ita de alijs Et tandem Christo supplex petam, mihi efficaciter applicari fructum ipsius passionis: & pro eo gratias agam.

MEDITATIO III.

De grauitate peccatorum ex multitudine, & pugnantia cum ratione.

PVNCTVM I.

I. MVLTITVDO colligenda est ex decursis omnibus vitæ partibus & officijs. atque fieri debet cum sensu animi, qualis Ezechiæ Regis. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ac præter mihi cognita, ne dubitem, restare cõplura ignota, pro quibus orat Dauid: *ab occultis meis munda me Domine.* II. Fugiunt autem nos vel per obliuionem; vel ob subtilitatem, vt interni motus superbiæ, sinistræ intentiones, omissiones; vel ex ignorantia, & circumuentione inimici per speciem boni operis III. Ex vtrisq; notis & ignotis colligam immen-

Isai. 38. 15. *Psal. 18. 13.*

sum numerum, vt dicere possim cum Dauide,
Psal. 39. 13. *Super capillos capitis mei multiplicata sunt ini-*
2. Paral. in fine. *quitates meæ*; & cum Manasse: *Super arenam maris*. Vnde laudabo patientiam Dei, qui non vnam aut alteram à me iniuriam (quod ipsum apud homines vix toleratur) sed innumerabiles sustinuerit.

PVNCTVM II.

Grauitas peccatorũ. Luc. 17. 2. I: AESTIMABO iam ex multitudine grauitatem meorum peccatorum; nam si quotuis lethale est instar lapidis molaris, quo deprimimur in profundum abyssi: quam depriment tot, talesque lapides? Nectitur ex tot peccatis velut catena ferrea, ad infernum vsque pertingens, quâ peccator constrictus, illuc pertrahitur, quemadmodum Lucifer cum suis à cœlo ipso detractus est
2. Petri 2. 4. *rudentibus inferni*, vt ait S. Petrus. II. Sunt etiam instar crudelium ferarum, quæ animam circumstant ad laniandum, ac deuorandum.
Psal. 21. 14 *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens* III. sicut denique debitum illud decem millium talentorum, cui soluendo nemo est, quamuis omnia eius diuendantur. IV. Et augetur malum, quòd in eadem peccata sæpissime relapsus sum, sicut canis ad vomi-
Recidiua. tum reuersus; & sicut sus lota ad voluta-
Mat. 18. 26. brum luti. Sed adhuc semel *Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi* per gratiam tuam.

PVNCTVM III.

1. Et cùm homo ad imaginẽ & similitudinem Dei factus sit, per peccatũ iumentis insipientibus comparatur, & eis similis efficitur. Si minus quoad substantiam animæ, certè quoad vitam & operationes, nam operari est viuere. 2. Deinde assiduitate peccandi habitus contrahit bestiales, quibus quasi in naturam versis, continentur agitatur ad malum. 3. & postremò quid deformius, quàm rationem ancillari sensui? spiritum carni? quin homo fit seruus diaboli & peccati; à quo enim quis superatus est, eius & seruus est. Et *omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Certè & diabolus & peccatum plus valent in animam peccantis.

Peccatum contra rationem.

2. Pet. 2. 18. Ioan. 8. 34.

MEDITATIO IV.

De grauitate peccati ex vilitate hominis.

PVNCTVM I.

Quid sit homo secundùm corpus.

Ex limo terræ: fœnum & flos agri, vapor ad modicum parens; vmbra fugiens, *qui breui viuens tempore, repletur multis miserijs,* & innumeris necessitatibus est obnoxius: & hic eum, à quo solo iuuari potest, tam audacter offendit? & eum, *qui perdere potest in gehennam*?

Vilitas corporis. Iob 14. 1.

PVNCTVM II.

Quid sit homo quoad animam.

[P]sal. 38.6. *[Nu]llitas [a]nimæ.* 1. EX nihilo creatus, *substantia mea tanquam nihilum ante te*; & in nihilum recideret, nisi à Deo conseruaretur; & sine quo nihil potest agere. 2. Deinde in peccatis secundùm animam conceptus est, & immoderatis passionibus agitatur intus; foris autem ab inuisibilibus inimicis incessanter appetitur; vnde passim peccatis inuoluitur: vt melius foret, si natus non esset. *[So]liloq. c. 5.* 3. Et tandem, vt ait S. Augustinus, nullum est peccatum, quod vnquam fecerit homo, quod non posit facere alter homo; ita ex se miser est, & totus quasi vlcus, vnde sanies fluit, nisi sanetur à gratia. Et hic irritabit illum, à quo solo è tantis malis vindicari potest?

PVNCTVM III.

Quàm sit exile bonum, quod homo quisque habet.

1. PRIMVM comparatione aliorũ omniũ hominum: plura enim in alijs sunt, quibus carent singuli. 2. Deinde quid sit præ omnibus hominibus & angelis. 3. Et tandem quid respectu Dei, nam *omnes* omnino *gentes quasi non sint*, sic sunt coram eo; & *quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*; & *tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* *[I]s. 40.17* *[S]ap. 11. 23.* Quid sunt stellæ in præ-

sentia

ſentia Solis? nec apparent quidem. Quid bona omnia creata in vnum hominem congeſta, ſiue corporis ſiue animi? nihil. *Nemo bonus nisi ſolus Deus.* Et tantillus non veretur liberrimè hunc offendere? hunc irritare? propterea *in fauilla & cinere agam pœnitentiam.* Luc. 18. 19. Iob. 42. 6.

MEDITATIO V.

De grauitate peccati ex Dei offenſi excellentia.

PVNCTVM I.

Perpendam Diuinas perfectiones, ex quibus potiſſimùm aggrauatur peccatum.

I. EST bonitas: ob quam Deus eſt dignus infinito amore, quali ſe ipſe amat: & beati clarè eum videntes, toto corde in eum feruntur, nec poſſunt non ita ferri; tanta eſt illius amabilitas. & hunc ego flocci habui? 1. Bonitas.

II. Immenſitas, quâ replet omnia, notitiaque infinita. Itaque in ſinu quaſi Dei exiſtens, non tantùm in conſpectu, non dubitaui ea patrare, quæ sereniſsimi eius oculi execrantur. *Oculi enim eius mundi ſunt, nec vident malum, nec reſpicere ad iniquitatem* ſine horrore *poſſunt.* 2. Immenſitas. Abac. 1. 13.

III. Omoipotentia, qua rebus omnibus dat eſſe, & operari: vt ipſæmet actiones malæ, quà ſunt aliquæ res, exerceri ſine illo nequeant; concurrit autem pro bonitate ſua vt naturæ curſum teneat, & libertatem hu- 3. Omnipotentia.

manam ſeruet. Igitur cooperatione Diuina ego abutor, & eam ſeruire facio meæ cupiditati.

PVNCTVM II.

Ex beneficiis acceptis à liberali Dei manu aggrauatur peccatum.

Beneficia. 1. 1. IPSE creauit, conſeruat & gubernat *Hiccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te & fecit & creauit te? Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui?* En, quot verbis ſimilibus inculcat, vt indignitatem offenſæ apprehendam.

Deut. 32. 6.

2. 2. Redemit. & quonam modo, & quanti? ipſe Pater, Paſtor, Medicus, Magiſter, & Saluator meus, & hunc, peccans, iterum crucifixi, & *oſtentui habui*.

Hebr. 6. 6.

3. 3. Sanctificauit. Huc ſpectant Sacramenta, idcirco inſtituta, præſertim Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia; nec non ſancti Spiritus internæ inſpirationes & auxilia, milleque media diuinitus oblata; & ipſe tandem ſanctificationis finis; promiſſa Reſurrectio, & gloria. quæ cùm ita ſint: quidni dicam maiori iure cum Ioſeph, quando pelliciebatur ad peccatum; *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Et illud Saulis ad Dauid: *Iuſtior tu es quàm ego* (Deus meus) *tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.*

Gen. 39. 9.

1. Reg. 24. 18

Pvnctvm III.

Propter quid offenderim Deum.

PROPTER leuissimam rem, siue voluptatem, siue lucrum, siue auram popularem; tales mihi deos fabricans, & Barabbam Christo præponens. *Obstupescite cæli & portæ eius desolamini vehementer propter duo mala, quæ fecit populus meus: dereliquit me venam aquarum viuentium, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ierem. 2.12. Peius hoc, quàm quòd Esau *primogenita sua vendiderit pro lentis edulio*: Gen. 25. 33. quæ ille recuperare amplius non potuit: At, quæ est bonitas & misericordia Dei, mihi licet, gratiâ ipsius.

Pvnctvm IV.

STVPOR & exclamatio: quî me tam ingratum terra sustinuerit! neque *armauerit Deus creaturas ad vltionem inimici*, Sap. 5. 18. quin seruire eas mihi fecerit, solem, Astra, elementa, plantas, animalia, & ipsos Angelos.

MEDITATIO VI.

De grauitate peccati ex pœnis.

Pvnctvm I.

EX pœnis temporalibus, quæ infligi à Deo solent in bonis, tum externis, tum corporis, & in vita ipsa; certè tria illa Fames, Bellum, Pestilentia, quorum data est optio Dauidi, à peccatis venire solent.

PVNCTVM II.

I. Peccatum pæna maius.

PECCATVM est malum tantò maius illis omnibus pœnis, vt simul omnes non sufficiant soluendo debito pro vno peccato mortali.

1. 1. RATIO: Quia istæ pœnæ priuant hominem bono aliquo creato & finito: culpa autem bono infinito. Et sicut Deus absolutè solus est bonus, ita illud absolutè est malum, quod priuat Deo: reliqua secundùm quid mala. Quare bene Eleazarus olim respondit; *Præmitti se malle in infernum, quàm præuaricari legem Dei.* (2. Machab. cap. 6. 23.)

2. 2. RATIO: Hinc fit etiam, quòd Deus, cùm reliqua mala inferre valeat (nam non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit) culpæ tamen auctor esse non potest. Item, cùm filius Dei ad omnia alia se dimiserit mala: peccatum, vel minimum non potuit admittere. (Amos 3. 6.)

3. 3. RATIO. Quòd mala cætera adhibentur à Deo in medicinam peccati; nemo autem sapiens medicus intulerit maius malum ad curandum minus; certè Christus ideo tot illa & tanta perpessus est, vt medicinam faceret peccato.

PVNCTVM III.

II. Maius æterna.

EX comparatione æternæ pœnæ: Nam mala omnia præsentis vitæ nec computantur in partem supplicij culpæ debiti; sed dein-

de integro punitur peccator in inferno, quamuis summa in hac vita fuerit passus. Id autem iustè fit: nam, cùm peccatum sit infinitum à maiestate infinita Dei offensi; debet quoque pœna esse infinita: talis est inferni: eò quòd priuat Deo. *Sed quia hac amantibus duntaxat pœna est, non contemnentibus*, vt ait Augustinus: ideò istis decreta est pœna sensûs inferni; præ qua præsentes videri vmbra debent. *Augustinus in Psal. 49.*

PVNCTVM IV.

TANDEM, vel ipsæ inferni pœnæ simul omnes non æquant peccati malitiam: vt si optio detur vel illas subeundi, vel peccatum admittendi; prius omnino præoptari debeat. Sed hæc collatio non est necessaria, quando dari nequit casus, vbi alterutrum sit necessariò eligendum. III. Peccatum peius inferno.

DE NOVISSIMIS. MEDITATIO VII.

De proprietatibus Mortis.

PVNCTVM I.

1. QVOD sit certa & ineuitabilis; & ita quidem, vt Deus præfiniuerit diem & horam, quæ præteriri non poterit. Proinde conuenit, vt omnem vitam ponam in seruitio Dei, à quo per momenta pendet. 2. Porrò 1. Mors certa. 2.

Deus

Deus aliquãdo prorogat vltra naturales cau-
4.Reg.20.6. ſas, vel ad preces, vt Ezechiæ; & ijs, qui ſuſcitantur à mortuis; vel ob alia conſilia ſuæ prouidentiæ. Aliquando etiam minuit, vel
Sap. 4. 11. *ne malitia mutet intellectum*; vel contrà, in
Pſal. 54. pœnam. *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos.* Et pro expiando peccato in hac vita; vt ille Propheta, qui quòd cibum ſumpſiſſet
3.Reg. 13.24 contra prohibitionem, ab alio circumuentus, occubuit à leone.

PVNCTVM II.

1. Vigilantia. 1. QVOD dies, locus, & modus latent. hoc tamen homo ſcit, quòd veniet, vti fur. Atque id ita ordinauit Deus, vt aduigilare-
Mat. 24.42 mus ſemper, vt ipſe monet Chriſtus: *Vigilate: quia neſcitis diem neque horam*; Et, *eſtote parati: quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quam rem pluribus parabolis in-
Matth. 5. culcauit, vt de decem Virginibus. 2. Reco-
2. Cautela. lam igitur caſus auditos, aut viſos, & qui quotidiè eueniunt improuiſi; & per eos admoneri me intelligam, cui perinde poſsint contingere. 3. Cogitabo etiam: quouis mortali peccato me reddi dignum tali animaduerſione. Nam Chriſtus de quibuſdam ruina oppreſsis pronunciauit: *Putatis, quòd præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt: non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*: quaſi dicat: non grauiſsima tantùm peccata merentur talem animaduerſionem; ſed quæcunque, niſi pœni-

ten-

Digitized by Google

tentia expientur. Et ausim, vel ad horam in peccato permanere? quis me securum reddit, cũ Christum sciam comminari omnibus? ergo homo *miserere animæ tuæ placens Deo.* Eccl 30.24.

PVNCTVM III.

1. QVOD semel tantummodo mori datur: *statutum est omnibus hominibus semel mori*; proinde, si semel malè: caret remedio in omnem æternitatem: Vti contrà, absque periculo iacturæ est mors semel obita in gratia Dei. *Vbi ceciderit lignum siue ad Austrum, siue ad Aquilonem ibi erit.* 2. Hinc obstupescã, quî fiat, vt homo ista pro certissimis habens ex fide Diuina, tam incurius viuat suæ salutis. 3. Deinde excitabo meipsum ad curam maiorem, & feruorem; suppliciter orans, ne ad Aquilonem mihi cadere contingat. Discutiam quoque, quid hoc momento foret mecum, si mors obreperet?

Mors irreparabilis. Hebr. 9.27. Eccl. 11. 3.

MEDITATIO VIII.

Ea quæ angunt Moribundum, vel sunt præterita, vel præsentia, vel futura.

PVNCTVM I.

1. PRAETERITA in primis sunt peccata, quæ tunc vno agmine obsidebunt animam ac importunè se ingerent vt impleatur illud; ***Circumdederunt me dolores mortis, &*** 1. Memoria præteritorum.

Psal. 17 5. *torrentes iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni circumdederunt me, praeoccupauerunt me laquei mortis* Quare *de propitiato*
Eccl. 5. 5.
2. *peccato noli esse sine metu.* 2. Deinde occurret animo iactura facta temporis in rebus inutilibus, & vanis, pro quibus poteram multa
3. mihi merita cumulare 4. Neglectus etiam mediorum, quibus iuuari potui, praesertim
4. Sacramentorum. 3 Tunc proposita concipiam benè agendi; quando copia agendi non dabitur; & illa fortè inutilia, quòd ex torta necessitate, ac minimè sincera. Vt quondam
1. Mach. 6. 8 Antiochi Regis; de quo Scriptura: *Orabat scelestus hic Dominum, à quo non esset miseri-*
5. *cordiam consecuturus.* 5. Itaque hora illa reuelabit fraudes, quibus nunc circumuenimur à mundo & diabolo; & ostendet serò vanita-
6. tem esse, quae modò suscipimus. 6. Proinde
Eccl. 14. 14. disce nunc sapere, & *non defrauderis à die bono, & particula bona diei non te praetereat*, quò minus in bono semper proficias.

PVNCTVM II.

Relictio praesentium.
I. PRAESENTIA quoque affligent: quando non deseritur sine dolore, quod cum
1. amore possidetur, sunt autem triplicia. 1. Bo-
Eccl. 41. 1 na externa. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* & eò magis, si cum peccato fuerint acquisita.
Iob 20 13. in quos dicetur: *Panis eius in vtero eius vertetur in fel, diuitias, quas deuorauit, euomet.*
2. 2. Personae coniunctae & charae. à quibus diuelle-

uellemur; *siccine separat amara mors*? Vol- 1.Reg.15.32.
ne etiam relinquendi? 3. Corpus ipsum, diu- 3.
tina atque arcta societate cum anima coniunctum; & cum corpore, simul omnium, quibuscum corpore fruimur, æterna iactura facienda est. II. Inquiram in me, an horum ali- 2.
quid inordinatè diligam; & nunc potius istis
moriar; quàm, cùm deserenda sunt. III. Ex- 3.
pendendum etiam, quàm sit absurdum, ob ea, quæ mox amittenda sunt, æternam vitam in discrimen vocare.

PVNCTVM III.

DENIQVE affliget timor futurorum; Futurorum timor.
vt cùm quis iam iam exspectat definitiuam sententiam, in qua agitur de opibus, 1.
honore, & vita; nec satis ei constat de euentu. Hic etiam agitur de bonis & vita æterna, & sententia erit irreuocabilis: & tam incerta, vt nec iustus sciat, *vtrum amore vel odio* Eccl.9.1.
dignus sit; & quamuis *nihil* sibi *conscius*: *non* 1 Cor.4.4.
tamen in hoc iustificatus sit. 2. Accedet ten- 2.
tator, calcaneo maximè insidians, illudque ingerens: *si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* qui & alijs mille modis turbare phantasiam, & illudere homini potest, & solet. Nunc dispiciam: quid tunc maximè terrere me possit; & occurram: & pro felici morte crucifixum deprecabor.

Digitized by Google

MEDITATIO IX.

De particulari Iudicio statim à morte.

PVNCTVM I.

I. dicio Af lentes. I. QVAE personæ interueniunt. 1. Anima iudicanda, exuta corpore, & ijs, quæ corpus comitantur, perinde Rustici, ac Regis; & quæ animam sequuntur: scientiæ,
2. nihil conferent, nisi tantū bona opera. 2 Cingent latera Angelus custos & malus, diuerso affectu, prout erit diuersa conditio animæ: nam bonæ applaudet bonus, malus mœrebit;
3. è contra, si mala sit. 3. Assidebit iudex Deus, inuisibilis quidem, sed certis signis suam præsentiam manifestans: infinitè sapiens, iustus, potens: à quo non appellatur: & in oculis ponentur omnia, quando libri aperientur nostrarum actionum, vt non sit tergiuersationi locus.

II. Timor. II. Cogitabo me assistere; atque, vt salutarem timorem concipiam, videre Iudicem ipsum irato vultu; & accusatorem diabolum gestientem; ac in me impletum illud: *Diabolus stet à dextris eius: cùm iudicatur, exeat*
Psal. 108 6. *condemnatus.* contrà verò, vt spem excitem, aspiciam beneuolum Iudicem & Angelum custodem arridentem mihi, atque abigentem à
Zach. 3. 2. me dæmonem, illis verbis: *increpet in te Dominus, Sathan, qui elegit hunc; numquid non iste torris est erutus de igne?*

PVN-

Punctum II.

Tempus & locus Iudicij huius. Tempus est momentum illud, quo anima luitur à corpore: in eo accusatio, sententia, executio perficiuntur. O momentum, æternitatis principium, siue gloriæ, siue pœnæ 1.
Locus est ille ipse, vbi homo moritur. 3 2.
uid si hoc momentum, quid si hic locus dernet? Vxor Lot, vbi se conuertit retrò, ibi dicium tulit. 3. Gen. 19. 26

Punctum III.

Ordo Iudicialis. Accusatores erunt tres: 1. Diabolus, qui per excellentiam dicitur *Accusator fratrum*; accusabit de, quæ ipsius instinctu peccaui: & cùm interna nostra non perspiciat, affirmabit plura conjectura vel etiam malitia. 2. Erit conscientia, mille testes; hic omnia patebunt, vnanimam exstimulet, de qua illud est: *Cùm adis cum aduersario tuo ad principem in via, operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad udicem; & iudex tradat te exactori, & hic ittat te in carcerem.* Aduersarius est conscientia, à qua in via liberatur, qui in hac vita uit peccata. 3. Quodammodo erit ipse Angelus custos, cuius posthabui monita, & offijs ingratus fui.

I. Accusatores. 1. Apoc. 12. 10. 2. Luc. 12. 58. 3.

II. Examen erit 1. accuratissimum, vsque verbum otiosum, nec de commissis tantum, sed etiam de omissis, ac de medijs non dhibitis, de neglectis inspirationibus, de be-

II. Examinis conditiones.

neficijs posthabitis, tam communibus, quàm priuatis; ac de ipsis circumstantijs bonorum operum: quò pertinet illud: *Ego iustitias iudicabo.* 2. Fiet hoc examen in tanta luce, vt anima conspiciat omnia mala sua, & grauitatem illorum æstimabit; & quæ pro peccatis non habuit, aut non aduertit, vel oblita est, repræsentabuntur ei omnia: sicut dicit Dominus: *In tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis*, abditos quoque angulos: nec Babylonē tantū, sed & Hierusalem, iustos ipsos. Heu *non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* 3. At vicissim Deus bona opera iustorū etiam minuta, vsque ad calicem aquæ frigidę, producet & repræsentabit animæ, ad ipsius mirificam consolationem. *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Psal. 74. 3. 2.

Sophon. 1. 12

Psal. 142. 2.

Apoc. 14. 13.

PVNCTVM IV.

Priuatur bonis.

EXAMINE facto, anima primùm exspoliabitur donis, quę residua erunt; ad eum modū, quo degradatur sacerdos, sacræq; vestes detrahuntur, ad insignem ignominiam, tanquam indigna munere, ac dignitate sacerdotali, vt ita tradatur in manus iudicis secularis, morte mulctandus. 2. Donum fidei ab eo aufertur: quòd non studuerit vitam agere fidei suæ conformem. 3. Deinde spei donum, quòd media neglexerit, per quæ debuerat ad speratum bonum aspirare. 4. Præterea spoliabitur gratijs gratis datis, si quas habuit,

propter bonum aliorum: quòd vel ijs non vsus bene sit ad finem, propter quē datæ erant; vel quòd alijs intendens, seipsum neglexerit: quod est inordinatum. 5 Ipsæ etiam virtutes morales acquisitæ in eo deficient. 6. Scientiæ etiam erunt ad maiorem cruciatum: quòd scientiam salutis postposuerit illis. 7 Vnicus manebit character Baptismatis; & si quem alium accepit; vt appareat, à qua conditione exciderit: illudaturque illi ab infidelibus, eo nomine, quod, cùm posuerit tanti ædificij fundamentum non valuerit consummare. Igitur in talem complebitur illud Ezechielis: *Denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ, & dimittent te nudam, & ignominiâ plenam.* Eze. 23.26.

Pvnctvm V.

Sententia Christi in peccatricem animam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Matt. 25 41 Sententia Impij. Quo ipso momento destituetur Diuinâ protectione; qua etiam peccatores illuc vsque prosequitur Deus; & ab angelo custode deseretur, illud vsurpante; *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam,* Ierem. 51. 9. vtique in manus sæuissimi leonis, qui cum tripudio è lectulo delicato & corona amicorum, in puncto ad inferna deportabit. Quid tam subita & tam dispar conditio, rerumque omnium permutatio in infelici anima efficiet?. ô iuste Iudex, *cùm veneris iudicare, noli me condemnare.*

PVNCTVM VI.

Matt. 25.34 / Matt. 25.21

SENTENTIA pro anima iusta: *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi.* Et: *Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Suscipiet eum Angelus custos, ac pluribus comitantibus deducet in cœlum, (nisi fuerit purganda) in illo autem primo ingressu, & quasi occursu torrentis voluptatis, quomodo afficietur! ô verè preciosa mors sanctorum in conspectu Dei; mors autem peccatorum pessima. Petam illam mihi: & quoniam in illo iudicio non est locus patrocinijs, nunc purissimam DEI MATREM feruenter compellabo: MARIA mater gratiæ, MATER misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

MEDITATIO X.

De corpore animá destituto.

Hæc meditatio est imago mortis spiritualis, qua homo paßionibus suis moritur, quæ propterea mortificatio dicitur.

PVNCTVM I.

I. Corpus mortuum.

I. QVALE remanet corpus? 1. Destitutū motu membrorum, & vsu omnium sensuum, nec illorum obiectis afficitur. 2 Pallidum, deforme, & fœtidum redditur, & mox in corruptionē vergit; estq; horrori, quod vi-

uũ delectabat, 3. proinde solitarium relinquitur cadauer, & quam primum efferri curatur.

II. Dum viuo, mortuum imitabor in his tribus. 1. in sensuum mortificatione, etiam à licitis non necessarijs; & quasi carerem sensibus, non afficiar. 2. non considerando, quòd res sunt; sed quòd erunt postmodum squalidæ & tetræ *omnis enim caro fœnum, & gloria eius quasi flos agri.* 3. nihil curando, quòd relinquar, & me vitent alij, vt cadauer, quod de se Dauid: *qui videbant me, foras fugerunt: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde; factus sum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* hoc est, crucifixum esse mundo: vt pro mortuo me habeat, & tractet; & mihi mundum: vt id perferam, quasi insensibilis factus, ad mundi vexationem.

II. Mori in vita. 1. 2. *Isai.* 40. 7. 3. *Psal.* 38. 12.

PVNCTVM II.

VESTIS, lectus, & habitudo defuncti corporis: pro veste linteum, quo inuoluitur; vel si quid preciosum additur, mox sepeliendo detrahitur. pro lecto humus; *& subter illud sternetur linea, & operimentum eius erunt vermes*; pro habitatione erit fossa septempedalis ac si qua moles superstruatur, quid ea confert exanimi? pudeat mollitiei, & superfluitatis dum viuo, circa eiusmodi.

I. *Isai.* 14. 11.

II. Imitabitur Religiosus conditionem cadaueris. 1. in studio paupertatis, vt vilissima quoque in vestibus, lecto, & habitatione præ-

II. Religiosus.

optet; neque moueatur quomodocunque cir-
2. ca ista habeatur. 2. in studio castitatis: vt sicut per mortem fit diuortium perpetuum, ab omnibus oblectamentis & curis mundi: ita ego
3. per votum castitatis penitus ijsdem moriar. 3. in studio obedientiæ, vt instar cadaueris, me versari sinam sine contradictione.

PVNCTVM III.

I. Iter ad sepulchrum.

I. 1. ELATIO ad sepulchrũ 1. in feretro, alienis humeris, per plateas effertur exanimis, qui paulò antè obibat omnia alacer. quare nunc è cubiculo, è domo egrediens per compita incedens, memorabo diem illum, cùm tantò aliter agetur mecum.
2. 2. effertur cum comitatu; alijs cantu, alijs fletu prosequentibus, vel honoris ergo; sed ea quid prosunt exangui? imo damnato cedunt ad cruci-
3. atum. 3. Infertur in sepulchrum, cooperitur humo, lapide clauditur, mox à vermibus depascendus, sempiternaque memoria delendus, vel si etiam honorificè celebratur, id animæ quantum confert, præsertim æternis ignibus addictæ? vnde bene quidam dicebat: *ô Aristoteles laudaris vbi non es, cruciaris vbi es.*

II. Documenta.

II. Ergo discam, vanos honores pro nihilo habere, me ipsum vili pendere, neminem aspernari; quando omnes futuri sumus mox per mortem æquales. Dicam autem animæ meæ: vide, quam foues & ornas, cui seruis: carni putidissimæ; quin pro ancilla eam habeto, & seruire tibi facito. Nec istum sepulturæ ho-

norem

norem polliceri tibi potes; cùm posſit contingere, quod regi Ioacim, *qui ſepultura aſini ſepelitur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalem.* quod & Iezabeli factum; tuque forſitan promeritus es ob tua peccata. *Ierem.* 22 1 4. *Reg.* 9. 3

MEDITATIO XI.

Super illa verba: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

PVNCTVM I.

Homo ex puluere.

CVR homo ex puluere factus, cùm potuiſſes ex nihilo corpus creari; ſicut & anima. 1. ad humiliandum ipſum ex intuitu originis. 2. vt Dei benignitatem, potentiamque amaret; qui ex puluere per inſpirationem animæ feciſſet ipſum ad imaginem ſuam; *quid ſuperbis terra & cinis?* & ex donis Dei cur extolleris? Adam, oblitus originis ſuæ, affectauit eſſe ſicut Deus. *Eccli.* 10. 9

PVNCTVM II.

In puluerem regreſſus.

CVR homo damnatus? vt in puluerem redeat. 1. vt intelligatur malitia peccati, quæ promeruit: tam nobile opus in puluerem redigi? cùm alioqui non fuiſſet interiturum, ſi non peccaſſet. 2. vt qui ex vilitate principij, vnde plaſmatus eſt; non ſe continuit in humilitate; humiliaretur ex fine; quem habiturus eſt redactus in puluerem. 3. vt recordatione pulueris extremi, terrenas comprimat af-

fecti-

fectiones; & commiſſorum agat pœnitētiam, vt ſuadet Propheta: *In domo pulueris puluere vos conſpergite* hoc eſt, qui domos luteas habitatis, in ſuum principium reſoluendas, puluere vos conſpergite; ritu pœnitentium.

Mich. 1. 10.

PVNCTVM III.

Puluis es.

CVR dicat, memento, quia puluis es; non autem, fueris? Nempe, quia de facto eſt, ſicut de terra conſtans, ita ad terrena procliuis; & inſtabilis vt puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, tum in conſilijs & bene cœptis: tum ob vitæ mortalis caſus, & incertitudinem. Optimum eſto conſilium, vt quoties aliquod apparens bonum meos percellit ſenſus: mihi obijciam ſtatim; at qui hoc totum puluis eſt, & ego ipſe puluis ſum, poſtmodum exſufflandus.

PVNCTVM IV.

OMNIA mihi occinunt ſententiam iſtam at præcipuè Caluariæ & oſſa defunctorum; inter quæ verſans, & illud audire mihi videar: *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum. mihi heri, & tibi hodie*; pro hodierno haberi debet, quod vita mortali clauditur; quia breuis & incerta eſt.

Eccli 38. 23.

MEDITATIO XII.

De obliuione mortis, ex parabola diuitis auari. Lucæ. 12.

PVNCTVM I.

TRIPLEX fallacia ex obliuione mortis exemplo huius diuitis. 1. pollicetur sibi longam vitam, cùm dies illa esset postrema. tales reprehendit Iacobus Apostolus, quòd audeant dicere, faciam cras hoc vel illud; *qui ignoras quid erit incrastino, quæ enim est vita tua? vapor est ad modicum parens; pro eo quod dicere deberes si vixero, si Dominus voluerit.* 2. quòd promittat sibi quietam bonorum vsuram; vnde ait: *anima, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe epulare*: cùm alioqui bona hęc aufferri possint: ac si maneant, continget tibi illud; *cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in cures multis & in ærumna atque tristitia.* 3. supina negligentia salutis animæ bonorumque æternorum.

Mortis obliuio fallax.
1.
Iac. 4. 13.
2.
Eccles. 5. 16.
3.

PVNCTVM II.

DAMNA huius obliuionis. 1. quòd serò agnoscat errorem suum, quando remedium non subest; vt stulti illi in libro sapientiæ, *semet propterea insensatos confitentur.* quare & huic diuiti dicitur: *stulte.* 2. quòd noctu abripiantur è vita: *Hac nocte* scilicet in ipsis tenebris peccati, vt ab interioribus transeant ad exteriores & æternas. Auerte à me

Mala ex obliuione I.
Sap. 5. 4.

Domine,

Domine, dicito mihi priùs; *Dispone domui tuæ, quia morieris*; da tempus pœnitentiæ. Etsi illud optimum, vt quotidie id mihi intimari putem, & ita semper sim paratus. 3 quòd ægrè & inuiti moriuntur, quare dicit; *Animam tuam repetent à te*, mali scilicet dæmones. Iustis autem in desiderio est: *Educ de custodia animam meam ad confitendum tibi.*

Isaiæ 38.1. Psal. 141.8.

PVNCTVM III.

QVæ autem parasti, cuius erunt? hoc postremum obliuionis damnum: quod quasi semper victuri non prospiciunt in posterum. Tua certè non erunt, quia diuiti dicitur, qui, *cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Non sic iustis, non sic; quorum opes sunt opera bona, quæ sequuntur ipsos. Interrogabo etiam te: & hæc anima cuius erit? *quam dabit impius redemptionem pro anima sua*: quominus in potestatem Diaboli veniat? dicam Deo: tuus sum ego, saluum me fac.

Psal. 48. 18. Psal. 118. 94

PVNCTVM IV.

Exemplum

OBLIVIOSI conditio repræsentatur in Balthasare Rege Babylonis, cui operam danti comessationibus, visa est manus scribens in pariete: *Mane, Thecel, Phares. numerauit Deus Regnum tuum*, & compleuit illud. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*: ita Daniele interpretante, &

Dani. 5. 26.

te, & eadem nocte id totum subsecutum est, & quadrat in illum diuitem ac similes. *Mane, numerauit*: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. *Thecel, appensus es*, vtique minus habens inuentus es; qui idcirco vocatur stultus. *Phares, diuisum est*; & hæc, quæ parasti cuius erunt? auferentur videlicet à te, & dabuntur ei, quem ignoras.

DE IVDICIO VNIuersali.

MEDITATIO XIII.

De signis præcedentibus iudicium.

Pro Dominica 1. aduentus.

PVNCTVM I.

CAVSAE vniuersalis Iudicij 1. vt sententia lata in particulari iudicio, eiusque æquitas innotescat toti mundo: atque vt suppleatur quod defuit. nam de corpore ibi nihil fuit decretum; & contingit damnati hominis corpus in honore esse, beati autem ignominiosè haberi; debet autem participare gloriæ aut pœnæ, prout in hac vita seruiuit iustitiæ, aut iniquitati. 2 vt iustis honor coram omnibus habeatur, qui in hac vita fuerunt contemptui. Ac inprimis, vt iustificetur Deus in iudicijs suis, qui iustos premi nunc, malos autem exaltari permisit: quod sapientissimè fuisse dispositum, dies illa manifestabit. propterea, *nolite ante tempus iudicare*. 3 vt mali & impij videant gloriam Christi, præsertim ij qui

Causæ iudicij. 1.

2.

1 Cor. 4. 5.

3.

qui viderunt humiliatum; ideoque iudicium in valle Iosaphat constituetur circa Ierusalem & montem Oliuarum, vbi crucifixus Dominus fuit, & ascendit in cœlum, vt ibidem illum videant descendentem cum potestate magna & maiestate, sicut prædixerunt Angeli: *quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet*. Ergo *lætentur cœli, & exultet terra: quoniam venit iudicare terram in æquitate, & populos in veritate sua.*

Actu. 1. 11
Psa. 95. 9. 7

PVNCTVM II.

Signa 1.
Sapie. 5. 18

SIGNA præcedentia. 1. erunt plurima, *Omnem enim creaturam armabit Deus ad vltionem, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* & meritò; quia omnibus abusi sunt peccatores 2. erunt terribilia. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, sed conuertetur in sanguinem. Stellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum mouebuntur, erunt terræ motus terroresque de cœlo*: mare mugiet, & arescent homines præ timore & expectatione impendentium. Nam obscuratio solis portendet æternas tenebras; suffusa luna sanguine, irã iudicis implacabilem; cadentes stellæ, præcipitationes in abyssum, etiam hominum aliquando clarorum, fremitus maris apertique terræ hiatus, & omnium confusio elementorum, imaginem referet furentium Dæmoniorum in capita hominum, & infernale chaos repræsentabit: in quo *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Arescat autem

2.
Mat. 24. 29.

Iob 10. 22.

impius

npius præ timore, exſiccante oſſa ſpiritu
iſti ex conſcientia factorum; at electi cum
more ſimul fiduciam habebunt; memores
hriſti verborum. *bis fieri incipientibus, reſpi-
ite & leuate capita veſtra, quia appropinquat* Luc. 21. 2
edemptio veſtra.

PVNCTVM III.

CONFLAGRATIO Mundi, de qua S. Pe- 2 Pet. 3. te
trus; *Adueniet dies Domini ſicut fur, in* Ignis finis
uo cœli magno impetu tranſi nt, elementa ve- mundi.
*calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa
int, opera exurentur;* nempè plantæ, animan-
s, homines ipſi reſidui; & quicquid ad vſum
luxum humana fecit induſtria, palatia,
oles, vrbes, amœnitates omnes: nam, vt ait
hel; *ante faciem eius ignis vorans & poſt eum* Ioel. 2. 3
*mma exurens, quaſi hortus voluptatis terra
ram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, ne-
ie eſt qui effugiat eum.* Ignis iſte cru- Malis cru
abit malos: iuſti autem per illum pur- delis.
abuntur. Permanebit autem vſque ad fi-
em iudicij, etiam reſurrectione facta; &
corpora damnatorum ſæuiet, etiam
nte ſententiam, &, eâ pronuntiatâ, tan-
iam fluuius rapidus trahet eos ſecum in
rtara. At verò iuſtorum reſuſcitatorum
rpora non poterit lædere, Deo interciden-
flammas ignis: vt ea verba Baſilius inter-
etatur. Tunc implebitur: *Ecce dies venit* in Pſal. 28
ccenſa quaſi caminus; & erunt omnes ſu- Mala. 4. 1.
rbi, & facientes impietatem, ſtipula: &

PVNCTVM VI.

usti. SENTENTIA pro anima iusta; *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi.* Et: *Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Suscipiet eum Angelus custos, ac pluribus comitantibus deducet in cœlum, (nisi fuerit purganda) in illo autem primo ingressu, & quasi occursu torrentis voluptatis, quomodo afficietur! ô verè preciosa mors sanctorum in conspectu Dei; mors autem peccatorum pessima. Petam illam mihi: & quoniam in illo iudicio non est locus patrocinijs, nunc purissimam DEI MATREM feruenter compellabo: MARIA mater gratiæ, MATER misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Matt. 25.34

Matt. 25.21

MEDITATIO X.

De corpore animá destituto.

Hæc meditatio est imago mortis spiritualis, qua homo passionibus suis moritur, quæ propterea mortificatio dicitur.

PVNCTVM I.

I. Corpus mortuum.

1\. QVALE remanet corpus? 1. Destitutũ motu membrorum, & vsu omnium sensuum, nec illorum obiectis afficitur.
2\. 2 Pallidum, deforme, & fœtidum redditur, & mox in corruptionẽ vergit; estq; horrori, quod vi-

uũ delectabat, 3. proinde solitarium relinquitur cadauer, & quam primum efferri curatur.

II. Dum viuo, mortuum imitabor in his tribus. 1. in sensuum mortificatione, etiam à licitis non necessarijs; & quasi carerem sensibus, non afficiar. 2. non considerando, quòd res sunt; sed quòd erunt postmodum squalidæ & tetræ *omnis enim caro fœnum, & gloria eius quasi flos agri*. 3. nihil curando, quòd relinquar, & me vitent alij, vt cadauer, quod de se Dauid: *qui videbant me, foras fugerunt: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde; factus sum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* hoc est, crucifixum esse mundo: vt pro mortuo me habeat, & tractet; & mihi mundum: vt id perferam, quasi insensibilis factus, ad mundi vexationem.

II. Mori in vita. 1. 2. *Isai.* 40. 7. 3. *Psal.* 30. 12.

Pvnctvm II.

Vestis, lectus, & habitudo defuncti corporis: pro veste linteum, quo inuoluitur; vel si quid preciosum additur, mox sepeliendo detrahitur pro lecto humus; *& subter illud sternetur linea, & operimentum eius erunt vermes*; pro habitatione erit fossa septempedalis ac si qua moles superstruatur, quid ea confert exanimi? pudeat mollitiei, & superfluitatis dum viuo, circa eiusmodi.

I. *Isai.* 14. 11

II. Imitabitur Religiosus conditionem cadaueris. 1. in studio paupertatis, vt vilissima quoque in vestibus, lecto, & habitatione præ-

II. Religiosus

optet; neque moueatur quomodocunque circa ista habeatur.
2. 2. in studio castitatis: vt sicut per mortem fit diuortium perpetuum, ab omnibus oblectamentis & curis mundi: ita ego per votum castitatis penitus iisdem moriar.
3. 3. in studio obedientiæ, vt instar cadaueris, me versari sinam sine contradictione.

PVNCTVM III.

I.
...er ad sepulchrum. I. FLATIO ad sepulchrũ 1. in feretro, alienis humeris, per plateas effertur exanimis, qui paulò antè obibat omnia alacer. quare nunc è cubiculo, è domo egrediens per compita incedens, memorabo diem illum, cùm tantò aliter agetur mecum.
2 2. effertur cum comitatu; alijs cantu, alijs fletu prosequentibus, vel honoris ergo; sed ea quid prosunt exangui? imo damnato cedunt ad cruciatum.
3. 3 Infertur in sepulchrum, cooperitur humo, lapide clauditur, mox à vermibus depascendus, sempiternaque memoria delendus, vel si etiam honorificè celebratur, id animæ quantum confert, præsertim æternis ignibus addictæ? vnde bene quidam dicebat: *ô Aristoteles laudaris vbi non es, cruciaris vbi es.*

II. ...ocumenta. II. Ergo discam, vanos honores pro nihilo habere, me ipsum vili pendere, neminem aspernari; quando omnes futuri sumus mox per mortem æquales. Dicam autem animæ meæ: vide, quam foues & ornas, cui seruis: carni putidissimæ; quin pro ancilla eam habeto, & seruire tibi facito. Nec istum sepulturæ ho-

norem

norem polliceri tibi potes; cùm posſit contingere, quod regi Ioacim, *qui ſepultura aſini ſepelitur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalem.* quod & Iezabeli factum; tuque forſitan promeritus es ob tua peccata. Ierem. 22. 19. 4. Reg. 9. 35.

MEDITATIO XI.

Super illa verba: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

PVNCTVM I.

Homo ex puluere.

CVR homo ex puluere factus, cùm potuiſſes ex nihilo corpus creari; ſicut & anima. 1. ad humiliandum ipſum ex intuitu originis. 2. vt Dei benignitatem, potentiamque amaret; qui ex puluere per inſpirationem animæ feciſſet ipſum ad imaginem ſuam; *quid ſuperbis terra & cinis?* & ex donis Dei cur extolleris? Adam, oblitus originis ſuæ, affectauit eſſe ſicut Deus. Eccli. 10. 9.

PVNCTVM II.

In puluerem regreſſus.

CVR homo damnatus? vt in puluerem redeat. 1. vt intelligatur malitia peccati, quæ promeruit: tam nobile opus in puluerem redigi? cùm alioqui non fuiſſet interiturum, ſi non peccaſſet. 2. vt qui ex vilitate principij, vnde plaſmatus eſt; non ſe continuit in humilitate; humiliaretur ex fine; quem habiturus eſt redactus in puluerem. 3. vt recordatione pulueris extremi, terrenas comprimat af-

Digitized by Google

fectiones; & commiſſorum agat pœnitētiam, vt ſuadet Propheta: *In domo pulueris puluere vos conſpergite*, hoc eſt, qui domos luteas habitatis, in ſuum principium reſoluendas, puluere vos conſpergite; ritu pœnitentium.

Mich. 1. 10.

PVNCTVM III.

Puluis es.

CVR dicat, memento, quia puluis es; non autem, fueris? Nempe, quia de facto eſt, ſicut de terra conſtans, ita ad terrena procliuis; & inſtabilis vt puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, tum in conſilijs & bene cœptis: tum ob vitæ mortalis caſus, & incertitudinem. Optimum eſto conſilium, vt quoties aliquod apparens bonum meos percellit ſenſus: mihi obijciam ſtatim; at qui hoc totum puluis eſt, & ego ipſe puluis ſum, poſtmodum exſufflandus.

PVNCTVM IV.

OMNIA mihi occinunt ſententiam iſtam at præcipuè Caluariæ & oſſa defunctorum; inter quæ verſans, & illud audire mihi videar: *Memor eſto iudicij mei. ſic enim erit & tuum. mihi heri, & tibi hodie*; pro hodierno haberi debet, quod vita mortali clauditur; quia breuis & incerta eſt.

Eccli 38.23.

MEDITATIO XII.

De obliuione mortis, ex parabola diuitis auari. Lucæ. 12.

PVNCTVM I.

TRIPLEX fallacia ex obliuione mortis exemplo huius diuitis. 1. pollicetur sibi longam vitam, cùm dies illa esset postrema. tales reprehendit Iacobus Apostolus, quòd audeant dicere, faciam cras hoc vel illud; *qui ignoras quid erit incrastino, quæ enim est vita tua? vapor est ad modicum parens* pro eo *quod dicere deberes si vixero, si Dominus voluerit.* 2. quòd promittat sibi quietam bonorum vsuram, vnde ait: *anima, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe epulare*: cùm alioqui bona hæc aufferri possint: ac si maneant, continget tibi illud; *cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in cures multis & in ærumna atque tristitia.* 3. supina negligentia salutis animæ bonorumque æternorum.

Mortis obliuio fallax.

1.

Iac. 4. 13.

2.

Eccles. 5. 16.

3.

PVNCTVM II.

DAMNA huius obliuionis. 1. quòd serò agnoscat errorem suum, quando remedium non subest; vt stulti illi in libro sapientiæ, *semet propterea insensatos confitentur.* quare & huic diuiti dicitur: *stulte.* 2 quòd noctu abripiantur è vita: *Hac nocte* scilicet in ipsis tenebris peccati, vt ab interioribus transeant ad exteriores & æternas. Auerte à me

Mala ex obliuione I.

Sap. 5. 4.

Domine,

Domine, dicito mihi priùs; *Diſpone domui tuæ,*
Iſaiæ 38.1. *quia morieris*; da tempus pœnitentiæ. Etſi illud optimum, vt quotidie id mihi intimari putem, & ita ſemper ſim paratus. 3 quòd ægrè & inuiti moriuntur, quare dicit: *Animam tuam repetent à te,* mali ſcilicet dæmones. Iu-
Pſal. 141.8. ſtis autem in deſiderio eſt: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum tibi.*

PVNCTVM III.

Q*Væ autem paraſti, cuius erunt?* hoc poſtremum obliuionis damnum: quod quaſi ſemper victuri non proſpiciunt in poſterum. Tua certè non erunt, quia diuiti dicitur, qui,
Pſal. 48. 18. *cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Non ſic iuſtis, non ſic; quorum opes ſunt opera bona, quæ ſequuntur
Pſal. 118. 94 ipſos. Interrogabo etiam te: & hæc anima cuius erit? *Quam dabit impius redemptionem pro anima ſua*: quominus in poteſtatem Diaboli veniat? dicam Deo: tuus ſum ego, ſaluum me fac.

PVNCTVM IV.

Exemplum OBLIVIOSI conditio repræſentatur in Balthaſare Rege Babylonis, cui operam danti comeſſationibus, viſa eſt manus ſcribens in pariete: *Mane, Thecel, Phares. numerauit Deus Regnum tuum,* & compleuit illud.
Dani. 5. 26. *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis*: ita Daniele interpretan-

te, &

te, & eadem nocte id totum subsecutum est. & quadrat in illum diuitem ac similes. *Mane, numerauit* : Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. *Thecel, appensus es*, vtique minus habens inuentus es; qui idcirco vocatur stultus, *Phares, diuisum est*; & hæc, quæ parasti cuius erunt? auferentur videlicet à te, & dabuntur ei, quem ignoras.

DE IVDICIO VNIuersali.

MEDITATIO XIII.

De signis præcedentibus iudicium.

Pro Dominica 1. aduentus.

PVNCTVM I.

CAVSAE vniuersalis Iudicij 1. vt sententia lata in particulari iudicio, eiusque æquitas innotescat toti mundo: atque vt suppleatur quod defuit. nam de corpore ibi nihil fuit decretum; & contingit damnati hominis corpus in honore esse, beati autem ignominiosè haberi; debet autem participare gloriæ aut pœnæ, prout in hac vita seruiuit iustitiæ, aut iniquitati. 2 vt iustis honor coram omnibus habeatur, qui in hac vita fuerunt contemptui. Ac inprimis, vt iustificetur Deus in iudicijs suis, qui iustos premi nunc, malos autem exaltari permisit: quod sapientissimè fuisse dispositum, dies illa manifestabit. propterea, *nolite ante tempus iudicare*. 3 vt mali & impij videant gloriam Christi, præsertim ij qui

Causæ iudicij. 1. 2. 1 *Cor*. 4. 5. 3.

impius præ timore, exſiccante oſſa ſpiritu triſti ex conſcientia factorum; at electi cum timore ſimul fiduciam habebunt; memores Chriſti verborum. *his fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Luc. 21. 28.

PVNCTVM III.

CONFLAGRATIO Mundi, de qua S. Petrus; *Adueniet dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur*; nempè plantæ, animantes, homines ipſi reſidui; & quicquid ad vſum & luxum humana fecit induſtria, palatia, moles, vrbes, amœnitates omnes; nam, vt ait Iohel; *ante faciem eius ignis vorans & poſt eum flamma exurens, quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, neque eſt qui effugiat eum.* Ignis iſte crudeliabit malos: iuſti autem per illum purgabuntur. Permanebit autem vſque ad finem iudicij, etiam reſurrectione facta; & in corpora damnatorum ſæuiet, etiam ante ſententiam, &, eâ pronuntiatâ, tanquam fluuius rapidus trahet eos ſecum in tartara. At verò iuſtorum reſuſcitatorum corpora non poterit lædere, Deo intercidente flammas ignis: vt ea verba Baſilius interpretatur. Tunc implebitur: *Ecce dies venit accenſa quaſi caminus; & erunt omnes ſuperbi, & facientes impietatem, ſtipula: &*

2 Pet. 3. 10
Ignis finis mundi.
Ioel. 2. 3
Malis crudelis.
in Pſal. 28
Mala. 4. 1.

inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento: & calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.

PVNCTVM IV.

Mat. 24. 36. Dies incerta.

DE *die illa & hora* (quâ euenient ista) *nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius hominis, nisi solus Pater*; & non solùm non potest à longe prænosci hora illa, sed nec iam instans præsentietur; ac ita, incautos, & nihil minus cogitantes, imo nuptijs & commessationibus operam dantes, ex improuiso corripiet ignis ille; quemadmodum diluuium in diebus Noë inopinantes obruit, & flamma cœlitus Sodomitas absumpsit quibus exemplis Dominus est vsus, ad improuisam sui aduentus, & conflagrationis mundi quasi irruptionem indicandam.

MEDITATIO XIV.

De resurrectione corporum, & de præcedentibus sententiam.

PVNCTVM I.

Resurrectio. Mat. 24. 31

RESVRGENT mortui, *mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à*

sum-

summis cœlorum vsque ad terminos eorum. In momento & in ictu oculi, in nouißima tuba (canet enim tubâ) mortui resurgent incorrupti, quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi; & dabit mare mortuos qui in ipso erunt; & mors & infernus dederunt mortuos suos; & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. Ad hanc citationem comparebunt magni & parui; & corporibus momento reformatis, animæ è cœlo & inferis reuocatæ, vt priùs vnientur. O vocem potentem, malisque terribilem, quam vt tunc lætus excipiam, audiam modò illam: *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.*

1. Cor. 15. 52.
1. Theff. 4. 15.
Apoc. 20. 13.
Ephes. 5. 14.

II. Porrò corporum erit diuersitas, nam *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Mali sortientur immortalia quidem; sed patibilia & fœda; quæ subire animæ exhorrescant. Ibi se mutuo infectabuntur anima & corpus: illa quòd ob corporis rebellionem in ea mala deuenerit; istud autem, quòd, cùm frænari corporis concupiscentiæ ab anima debuissent: contrà indulsit ei omnia; ex quo etiam crescet vtriusque tormentum. At iusti sortientur corpora impatibilia, & gloriosa: vnde sibi mutuo gratulabuntur anima & corpus de mortificata sensualitate.

1. Cor. 15 51.
1. Corpora malorum.
2. Bonorum.

PVNCTVM II.

Iudicis gloria. 1. Philip. 2. 10.

ADVENTVS Iudicis. 1. gloria & maiestas eius erit præ sole & luna, & stellis, quam vel ipsi dæmones coacti venerabuntur, pro Deo ipsum agnoscentes, vt tunc vel maximè *omne genu ipsi flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS CHRISTVS est in gloria Dei Patris*, vbi, iuxta promissum, *ponentur inimici eius scabellum pedum ipsius.*

2. Comitatus. Mat. 25, 31.

2. Comitatus erit Angelorum omnium, vt ipsemet præmonuit: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo*: qui, vt credi potest, lucidis, instar solis, vestientur corporibus, ad Regis sui magnificentiam corporeis oculis, etiam impiorum subijciendam.

3. Crux Mat 24. 30

3. *Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo; & tunc plangent omnes tribus terræ & videbunt Filium hominis venientem.* Plangent inimici crucis. Exultabunt, *qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis*

4. Thronus

4. Thronum iudici exhibebunt splendidissimæ nubes, è cuius vultu ac oculis micabunt radij placidissimi aduersus Iustos; in malos autem ira & indignatio vt illius aspectum sustinere nequeant. Quin etiam vulnera ipsa amorem spirabunt, & accendent in pectoribus iustorum; confusionem autem & fletum mouebunt inexpertibus illorum fructus; & maximè Iudæis, qui illum pupugerunt.

5. B. Virgo.

5. Sed & beatissimæ

Virgini

Virgini MARIAE tanquam Regis Matri, suus thronus collocabitur, non secus ac Salomon matri suæ fieri voluit; non iam, vt deprecetur pœnas; sed vt confundantur, qui in tempore vsi non fuerunt illius patrocinio, aut etiam iniurijs eam affecerunt; & vt quæ præ omnibus compassa est Christo patienti, præ omnibus conglorificetur iam regnanti. Circumponentur etiam sedes Apostolis Domini, iuxta Magistri promissum: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Apostoli. *Mat.* 19. 28

PVNCTVM III.

SEGREGATIO bonorum à malis. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum; sicut Pastor separat oues ab hœdis, & statuet quidem oues à dextris, hœdos autem à sinistris.* *Mat* 13. 49. 25. 31. Separatio In hac vita sunt omnes permixti, & plerumque melior peiore loco, siue dignitate, siue opinione hominum, siue succesibus. Tunc mutabuntur vices, manebuntque perpetuæ: quo gaudio iustorum; & qua iniquorum confusione? Iuuat nunc tenere nouissimum locum; vt dicatur tibi: *ascende superius*; non contrà. Ibi *aßistet Regina à dextris* Regis *in vestitu deaurato*. Propterea neminem in hac vita contemne: quia fortè præcedet te illic. *Psal.* 44. 10.

PVNCTVM IV.

Cor. 4.5.

1. Patebunt conscientiæ.

I. APERTIO conſcientiarũ, de qua, Paulus: *Nolite ante tempus iudicare, quo adusq; veniat Dominus, qui iudicabit abſcõdita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit, vnicuique à Deo.* Conſcientiæ ſunt libri: qui aperientur tunc ad iudicandum, qui modò ſunt clauſi; tunc autem patebunt ſingulis omnes. Studioſè nunc occulto peccata; & grauiſsimè ferò propalari vel vni alteri; imò vix non ſubticeo in confeſsione, & quomodo ſuſtinebo coram Angelis, & hominibus cunctis planè nudari, & oſtentui haberi?

2. Opera bona.

II. Producentur etiam in lucem omnia bona iuſtorum. vnde laudem referant: nec mala eorum tegentur: quæ tamen ipſis confuſioni non erunt, quando ab illis ſe expediuerunt per gratiam Dei. & cedet in confuſionem malorum, qui fortè minus peccauerunt; nec ſe tamen à peccatis per pœnitentiam exemerunt. Malis etiam ipſa bona patrata augebunt ignominiam, quòd à cœptis deſtiterunt.

PVNCTVM V.

Accuſatores.

1.

2.

Oratione 1 De amore Dei & proximi.

ACCVSATIO reorum. 1. Diabolus accuſabit, & dicet ad Iudicem: ego hos non creaui, pro eis non ſum paſſus &c. & tamen mihi ſeruiuerunt, te neglecto. Ita S. Baſilius. 2. Chriſtus ipſe intra ipſorum conſci-

entias

entias repræsentando exprobrabit beneficia, tum communia tum priuata in singulos: & quid tandem facere potui, quod non fecerim? 3. Angeli custodes sua obijcient officia: & iusti quoque, qui nostræ saluti operam aliquam impenderunt; & denique ipsa nos accusabit vehementissimè conscientia.

MEDITATIO XV.

Sententia Iudicis pro bonis, & contra malos.

Pro Dominica 26. post Trin.

PVNCTVM I.

SENTENTIA pro iustis, blando vultu & voce sic alloquetur: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Venite: vndenam? qui aliquando vocati paruistis; & tollentes crucem secuti estis me. venite de Libano, quæ est Ecclesia, in qua regenerati, & aliti in cedros pulcherrimas excreuistis. venite de tribulatione magna, ablutis stolis vestris in sanguine meo venite de cubilibus leonum, de montibus pardorum, de societate hominum crudelium, qui vos persecuti sunt, & afflixerunt. ô audiam primò vocantem; sequarq; , vt secundò audire merear in die illa inuitantem: *Benedicti Patris mei.* ô compellatio optatissima! quisnam eam promerebitur? *innocens manibus & mundo corde, hic accipiet benedictionem*

Sent. ad iustos. *Matt. 25.3.*

Psal. 33.

à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. BENEDICTI, non Abrahæ, Isaac aut Iacob, qui benedixerunt filijs suis; aut Moysis, qui populo benedixit; sed PATRIS MEI, paterno prorsus affectu, *qui benedixit vos in omni benedictione spirituali* per gratiam, nunc autem per gloriam; & est benedictio eius efficax, nec frustrari potest. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* quodnam regnum? quod solum est verè regnum; & per excellentiam tale. quomodo paratum? in misericordia & beneplacito diuino: idque *à constitutione mundi*, quando præparabat cœlos, sedem huius regni constituens Empyreum cœlum, & vobis paratum præ tot alijs. *Esuriui, enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* admiratio capiet Iustos quòd ob tam exilia merita tribuat regnum, & quidem tale. & quòd tanti faciat opera misericordiæ; sibique exhibita imputet, quæ pauperibus, quos & fratres vocare non dedignatur: Verè igitur *beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur*

Ephes. 1. 3.

Opera misericordiæ.

Mat. 5. 7.

Cæterum, non illa tantùm in remunerationem adducet, sed omnia alia; & vnicuique speciatim illa, quibus excelluit, interiùs repræsentabit. Vt Martyri, quòd pro se vitam posuerit; Virgini, quòd se Deo immaculatam seruauerit; Religioso,

quòd,

quòd, relictis omnibus, sibi fideliter adhæserit.

PVNCTVM II.

SENTENTIA in reprobos, formidabili vultu voceque pronunciata: *Discedite à me.* Hæc est pœna damni. Exclusio à Regno, à visione & fruitione Diuina, ab amore, ab omni fauore & beneficio, à cœlesti sede, à consortio beatorum, Angelorum, & hominum; *A me*, qui principium & finis omnium sum, Creator vester, Redemptor Deus. Qui ad id tantummodò in vobis ero; vt, quoniam sine me esse non potestis, non planè in nihilum redigamini, sed viuatis; vt nunquam miseri esse desinatis. *Maledicti*: per omnia maledicti, in corpore, anima, potentijs illius; in sensibus, in loco, in socijs, in rebus omnibus. non dicit: *Patris mei*; quia Deus mortem non fecit, nec maledictionis auctor est; sed eam sibi peccatores consciscunt. *Dilexit maledictionem, & venit ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quæ rabies tunc damnatorum? Irrugijt Esau ob præreptam sibi à Iacob benedictionem: quantò magis isti ob superinductam sibi amplius æternam maledictionem? vnde etiam in maledicta prorumpent; in matrem, quæ genuit; in lac, quod suxerunt; in Deum ipsum iustum peccatorum vindicem. O IESV qui maledictum factus, vt nos à maledicto vindicares; ne, quæso te, illius infaustæ maledictionis pœnâ in-

In impios sententia. Pœna damni.

Maledictio.

Ps. 108. 18.

Galat. 3.

Pœna sensus.

curram *In ignem æternum:* hæc est pœna, quæ vocatur sensus; quia peccator non tantùm priuatur summo bono, sed etiam afficitur summo malo. Ergo ait: *Discedite in ignẽ æternum.* Non tantùm qui durabit in æternum; sed, qui etiam in æternum cruciabit. Non vos tantùm à meo conspectu, & bonis excludo, abijcioque; quod fortassis parui feceritis; si liceret, vt prius, vti creaturis, ad explendas cupiditates; sed omni ex illis consolatione exutos æternis cruciatibus addico. *Qui paratus est:* sicut Empyreum cœlum Iustis, ita infernalis ignis peccatoribus paratus est; cuius indicia præbent profundæ voragines, in varijs terræ locis euomentes ignem.

Isa. 30. 33.

Praparata est ab heri Tophet, à Rege præparata, profunda & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Sic describitur infernus, qui Tophet dicitur à loco incendij, vbi cremabantur infantes idolo Moloch consecrati; quòd is locus imaginem repræsentet inferni; & est idem locus, qui gehenna dicitur, quo nomine Christus infernum expressit ab eadem similitudine. *Diabolo & Angelis eius:* vt quibus viuendo adhæsistis, eos habeatis supplicij socios & tortores; non ait; paratus vobis; sicut dixerat de *Regno*; quia quoad se voluit omnes saluos fieri, neminem ex proposito perire (quanquam & de Angelis idem est verum) sed significat, ignem illum ab initio in angelos præuaricatores excitatum fuis-

Dæmones socij.

ſe; homines verò ipſos, dum eos imitantur, ſibi quoque illum procuraſſe, communemque feciſſe. *Eſuriui enim; & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis bibere*, &c. minora obijcit, vt ex ijs iudicium fiat de maioribus. Nec illa parua cenſeri debent, quando ait, *quod vni ex his meis minimis non feciſtis, nec mihi feciſtis*: eſt autem proculdubio non paruum, Chriſto ipſi miſericordiam denegaſſe; quod fit, quando pauperi non præſtatur: quandoquidem conteſtatum reliquit; ſibi præſtari, aut negari, quod pauperi vel præſtatur, vel negatur. Nihilominus cætera quoque obijciet vnicuique ſigillatim, quorum erit reus. Ratio.

Opponent aliqui bona, quæ fecerunt, vt illi: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? quibus reſpondebit: *quia nunquam noui vos.* Quòd ſi hæc diuina dona non iuuabunt: quantò minùs ſcientiæ, aut dotes naturales? illa autem non proderunt: quia peccatis proprijs obſcurata ſunt. Et quia, dum alijs per ea proſumus, nobis per bona opera non conſulimus. Qualiter hanc ſententiam excipient reprobi? nam, ſi præ timore areſcebant ad ſigna tantùm Dominici aduentus, quid iam iras experti, quarum illa tantùm fuerant ſigna? Donis abuſi.

PVNCTVM III.

xecutio. 1. EXECVTIO sententię; & ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam. Primùm damnati illo ipso momento, dehiscente terra, cum toto exercitu dæmonum haurientur: ac implebitur illa maledictio: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes: ibi erit fletus & stridor dentium.* Psal. 54. 16.

istorum iumphus. II. De quorum casu iustoque iudicio laudabunt sancti Dominum, tanquam demerso Pharaone cum exercitibus suis, & dicent: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini percussit inimicum.* Et illud: *Magna & mirabilia sunt opera tua: iustæ, & veræ sunt viæ tuæ.* Deinde ipsi cum Christo ascendent in cœlum, eo sensu lætitiæ, quem mortalis homo adhuc concipere nequit, concinentes illud: *Benedictus Deus qui nō dedit nos in captionem dentibus eorum.* Exod. 15. 4. Apoc. 15. 5. Psal. 123. 6.

MEDITATIO XVI.

De inferno, quid sit, & de loco, æternitate, socijs Tortoribus.

PVNCTVM I.

efinitio r. QVID sit Infernus. Est carcer perpetuus ac durissimus, omni genere incommodorum refertus, ijs coërcendis, qui cum peccati mortalis conscientia impœnitentes ex

hac vita discesserunt. Est status omnium bonorum vacuus; & contrà, omnium malorum aggregatione cumulatus. Nullum quippe illic bonum, vel ex ijs, propter quæ vita præsens modò à plerisque diligitur; nullum ibi deest malum, quod in hac vita toleratur. Quare discurre per singula; & cogita, hæc præ illis esse veluti picta; & præter talia, superesse peiora; qualia assequi non potes cogitando; quòd præsentibus sint dissimilia, & sine comparatione atrociora. Et ego defugiam modò modicum laborem, vt in illas non deueniam? Sed cumulum complet, quòd nō habeant finem; vt nec ipsa æternitas. Et postquam millia millium annorum effluxerint, semper quasi incipient. 2.

PVNCTVM II.

AETERNITAS hæc malorum prouenit ex his causis. 1. Quia damnati ipsi sunt immortales; non tantùm secundùm animam, sed etiam secundum corpus. In illis diebus *quærent homines mortem, & nō inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*; Quod ipsum desiderium, cùm impleri non poterit, ipsos aget in rabiem. 2. Locus similiter est æternus, terræ centrum, nam terra in æternum stabit. 3. Ignis eius inextinguibilis, & æternus erit: Nam *flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam*. hoc est, Deo ita volente, ac faciente, conseruabitur ignis, ac si fluuius sulphuris indeficiens suppeditaret ei ma-

Causæ æternitatis.

Apoc. 9. 6.

2.

3.

Isa. 30, 33.

teriam

teriam ſine intermiſsione. Porrò ille ignis ſic vret, vt non conſumat, quæ incendit; & ita
4. nec ipſe conſumetur vrendo. 4. Vermis eorum non morietur. Hic naſcetur ex conſcientia peccati, tanquam putredine; quæ, cùm vigeat ſemper, & apprehendatur immobiliter:
5. morſus quoque vermis perpetuus exiſtet. 5 Decretum Dei immutabile: In inferno nulla eſt redemptio, quò ſanguis Chriſti non deri-
6. uatur. 6 Culpa manet ſemper, ac proinde comes illius pœna: permanet autem culpa, quia & impœnitentia. Quare cùm homo in peccato mori non refugit, hoc ipſo eligit in eo perdurare in perpetuum.

PVNCTVM III.

Continua pœna.

CONTINVITAS pœnarum: vt nec intermiſsio fiat, nec variatio, cum aliquo leuamine. Documento ſit diues Epulo, cui vel aquę gutta denegata eſt ad tantillum refrigerium: quin pœna ipſa ex accidenti augebitur, modò certè ex acceſſu plurium indies damnatorum: poſtea verò, cùm (vt eſt apud Iob) *ad calorem nimium tranſient ab aquis niuium*; & extremorum inter ſe acris pugna magis ſubiectum affliget. Præterea, nec ex habitu quodam patiendi minuetur doloris ſenſus; potiùs creſcet, creſcente ipſa impatientia doloris, furore ac rabie: nam *ſuperbia illorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

Iob 24. 19. — Impatientia. — Pſal. 73. 23.

PVNCTVM IV.

LOCI ipsius peculiaris ærumna. 1. Nam subterraneus & tenebricosus erit præ AEgyptiacis tenebris: quo nullus radius penetrare poterit: & ipse ignis quoque nullam mittet lucem, Deo intercidente flammam ignis, id est, prohibente. Tametsi ea etiam esse poterit eius natura, vt non euaporet flammam, sed tetrum solummodo fumum, vt alicubi videmus ex spissa & pingui materia: vel, vt ne fumum quidem: quia ille ignis non resoluetur, vt communis noster. 2. Erit angustissimus præ infinita corporum multitudine, vt planè compacta sint futura atque compressa inter se. 3. Nulla adspirabit illuc aura, & ita vocatur à Ioanne ***Stagnum ignis & sulphuris***: quò immersi delitescent. 4: Erit fœtidissimus, vel ex afflatu ipsorum corporum, & reliqua loci fœditate. Denique æternùm clausus; quòd si modò alicui exire datur, is sua tormenta circumfert; post iudicium verò nemini.

1. Infernus obscurus.

2. Angustus.

3. Calidissimus. *Apoc.* 19.20.

4. Fœtidissimus.

PVNCTVM V.

TORMENTVM à socijs. Erunt ibi ex Angelis omnium ordinum; erunt ex omni statu & conditione hominum; & multi, qui nobis aliqua necessitudine fuerunt in vita coniuncti. Omne ibi discrimen dignitatum cessabit, omnis titulus: pares erunt omnes. Accedet odium mutuum implacabile, vt ne-

Confusio.

Odium.

mo alterum ferre posſit; & præ impatientia & rabie ſe mutuò conuiciabuntur, & impetent: atque id atrociùs, quò fuerant in vita coniunctiores, præſertim ſi in malo. Videlicet vti carbones accenſi, ſi cumulentur, ſe viciſſim magis accendunt: ita iſti infernales titiones, ob mali acerbitatem irritati, in ſemet iras exacuent, atque conuertent. Et erit illud eis intolerabile, quòd ſeparari nunquam poterunt; neque diuturnitate pacari animi, aut reconciliari voluntates valebunt.

PVNCTVM VI.

ortoris. IMMANITAS tormentorum. 1. Ipſi ſe inuicem torquebunt, dicentes & facientes ſibi mutuo quàm peſsimè poterunt: vt in præcedenti puncto. 2. Dæmones in primis exagitabunt illos: & terrificis vmbris infeſtabunt. 3. Vermis conſcientiæ, dum homo cernet, quemadmodum potuit iſta mala præcauere, gratiamque Dei neglexit: Mandaſti Domine; & ita fit, vt inordinatus animus ſibiipſi ſit pœna. 4. Manus Dei inuiſibilis ſuper illos aggrauata. Illo enim mandante, & vim ignis miniſtrante, excruciantur infelices. Vnde irâ in Deum exardeſcentes, blaſphemo ore illum proſcindent; extincturi, ſi poſſent. Quæ rabies adeò non leuat pœnam, vt multum adaugeat! Heu! *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

Hebr. 10. 31.

MEDITATIO XVII.

De pœna sensus, & pœna damni.

PVNCTVM I.

IN omnibus sensibus torquebitur, *nam per quæ quis peccat, per hæc torquetur.* *Oculi* ab aspectu contubernalium, quos angue peius derit; & à spectris horribilibus, & à patratorũ peccatorum formis inuisis. *Auditus* à blasphemijs, & maledictionibus; nec nõ ab inconditis vocibus, & eiulatibus; & quasi ferarum rugitu & vlulatu. *Odoratus* à mutuo corporum pædore, sulphure, & omni immunditia. *Gustatus* ab ingesto sapore hærente palatui, quouis absynthio & felle amariore, cum stomachi conuulsione & nausea; nec non à canina fame, & siti inextinguibili: vt apparet in Epulone. *Tactus* toto corpore diffusus ab acutissimis quibusque doloribus per omnia membra: quales ex notis morbis possumus coniectare. In eo autem sensu potissimum punientur, quo maximò peccauerunt. Et operæpretium ducemus in hæc omnia mala incurrere, ob breuem & exiguam voluptatem?

Sap. II. 17. Sensuum pœna.

PVNCTVM II.

POENA ignis; cuius erunt proprietates: 1. Vt adhærescat damnato, & vbique eum circumferat. 2. Quòd, cùm sit idem, inæqualiter cruciet pro ratione meritorum; &

Ignis Inferni ad quid? 1. 2.

eam partem magis, qua homo peccauit: attemperante Deo illius vim & operationem

3. 3. Quòd exurit, non lucèt; ac licèt, vt dicit
Mal. 4. 1. Malachias, *erunt omnes peccatores stipula*, quòd statim eos flamma corripiet: non consumentur tamen, ne cruciari desinant. Audi
Isa. 33. 14. homo, *quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

PVNCTVM III.

1. POENA potentiarum internarum. *Phantasia* vexabitur tristibus imaginibus.
Sap 17.4.9. Quale de AEgyptijs olim scribitur, quòd *personæ illis truces apparentes, pauorem illis præstabant; & transitu animalium, & serpentum sibilatione commoti tremebundi peribant* Hinc appetitus sensitiuus per varias passiones distrahetur, & quasi lacerabitur, ab ira, tristitia, pauore, agonia, desperatione, inuidia, rabie.

2. *Memoria* iactabitur fluctibus cogitationum, tum rerum præteritarum, tum imminentium, quæ se importunè obijcient, ac ingerent; nec ex vlla re solatium poterit accipere; & ipsæ olim perceptæ voluptates tormento erunt.

3. *Intelligentia* turbata, & excæcata aberrabit in iudicando; & pœnas inflictas iniustitiæ Diuinæ adscribet.

4. *Voluntas* in malo indurata, & obstinata erit; vt Deum ipsum oderit, & amicos eius: neque

neque in vlla re miser homo implere voluntatem suam poterit, vnde aliquod leuamen accipiat.

Pvnctvm IV.

Restat poena *damni*: quæ ex quibusdã similibus, licèt infinitè distantibus æstimari potest. Veluti si quis excidat hæreditate amplissima; si copia maximarum delitiarum priuetur; si vita hac longè charissima per mortem exuatur intempestiuè, sed hæc vilia sunt, nec conferenda. Plus valet, quod viri sancti, diuinitùs illustrati, vel ad cogitationẽ solam tantæ iacturæ deficiant animis. Porrò Damnati, etsi non percipiant intimis sensibus magnitudinem iacturæ, quam faciunt; poterunt tamen ex malis, quę perferunt & patiuntur, ex parte aliqua coniectare. Nam Deus, qui ita seuerè vindicat peccata, haud dubiè nõ est in remunerando minùs liberalis, quàm in puniendo iustus. Intuebuntur etiam aliquod gloriæ cœlestis specimen, ex aspectu sanctorum in die Iudicij, quodque illos in beatas cœli regiones subuectos cognoscent, ipsis ad tartara detrusis; neque tamen honesti amor, aut Dei, erit causa dolendi de amisso illo bono; sed quòd illius vsura à tot malis eos vindicasset, & magna proculdubio quiete beasset.

Poena damni similitudine explicatur.

Cæterum iactura illa erit tanta, quantum est bonum, videre Deum sicuti est; & frui possessione boni infiniti modo excellentissi-

Dolor damnatorũ.

mo: item quanti eſt corpora immortalia & impatibilia geſtare, & potentias omnes animæ tum externas, tum internas habere perfectas; & circa obiecta ipſis conuenientiſsima occupatas. Frui etiam loci pulchritudine incredibili, & ſocietate iucundiſsima hominum & Angelorum, abſque omni amaritudine, vel offenſione, atque id totum in æternum. Amen.

MODVS ORANDI PRO PVritate Conſcientiæ acquirendæ.

IN Introductione Cap. 9. dictum eſt de tribus orandi modis, quorum vnus confert ad purgandam conſcientiam: verſatur autem circa ſeptem vitia Capitalia, Decalogi præcepta, tres animæ Potentias, & quinque Senſus exteriores. Subijcientur porrò de ſingulis partibus meditationes; ac primò de ſeptem vitijs, quæ ſunt aliorum vitiorum fontes, & in ſeptem capitibus Draconis ſignificantur: quin in ſeptem nationibus Terræ Palæſtinæ; quæ ſubigendæ fuerunt, vt Iudæi illam poſſiderent. Subegerunt autem paulatim, non primo ſtatim appulſu: quod ipſum nobis contingit. Nam licèt per contritionem & confeſsionem deleta ſit culpa, remanent prauæ conſuetudines, efferatæque paſsiones, ſenſim edomandæ. Sicut Moyſes Iſraëli dixit:

Deut. 7. 22. *Ipſe Deus conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes: non poteris eas de-*

lere

lere pariter. Circa singula peccata considerabuntur tria. 1. Quomodo peccatur, etiam venialiter. 2. Damna prouenientia, & pœnæ in hac & futura vita debitæ. 3. Præmium vincentis. Nota.

MEDITATIONES SVPER CAPITALIA PECCATA.

MEDITATIO XVIII.

De Superbia.

PVNCTVM I.

Quid sit & quomodo peccetur?

EST appetitus excellentiæ inordinatus, de bonis siue corporis, siue animi. Habet quatuor actus. 1. Cùm tribuit sibi, quod est Dei, veluti dicens: *Quis noster Dominus est?* 2. Cùm a Deo recognoscit; sed tanquam debitum suis meritis, quod est gratiæ. 3. Cùm plura præsumit, quàm habeat. 4. Cùm in habitis se excellere putat alios; aut cupit certè, quòd sibi cedant. Superbiæ Actus 1. *Isa. 10. 13.* 2. 3. 4.

Ex superbia multa oriuntur vitia. I. Vana gloria: qua appetitur æstimari & laudari ab alijs. Huius actus sunt: gloriatio de bonis habitis, ac si ea non accepisset à Deo; vel de ijs etiam, quæ non habet; vel etiam de malis. Deinde studium placendi hominibus propter laudem: denique inane gaudium, quod placeat illis, & in æstimatione sit. Et est vanâ gloriâ detestabilior de bonis animi, præsertim Vitia. 1.

virtutibus, quòd has corrumpat.
2. II. Ex Superbia oritur Iactantia : cuius actus sunt, laudare seipsum; venditare, quæ non habet; aut exaggerare, quæ habet; & inaniter propalare, quæ supprimenda forent.
3. III. Ambitio honorum & dignitatum : quæ inordinata est, cùm appetit supra merita; aut medijs non cõuenientibus; aut affectu nimio, quasi finem constituendo.
4. IV. Præsumptio : qua, laudis appetitu, maiora suis viribus præsumit, & audet.
5. V. Hypocrisis : simulando bonam intentionem : cùm sit vana; aut bona operando, causâ gloriæ.
6. VI. Pertinacia : vbi par erat cedere alieno iudicio; vel cũ tuetur suum, ne errasse videatur.
7. VII. Contemptus aliorum : non Inferiorum tantùm, sed etiam AEqualium & Superiorum. Superbia enim ascendit semper vnde existunt innumerabilia peccata : discordiæ, rixæ, maledicta, inobedientiæ, blasphemiæ. Circa hæc meditans, ingrediar in me ipsum; & recognoscam in singulis meos defectus, memet acriter reprehendens :
1. Cor. 4. 7. Miser, *quid habes, quod non accepisti? iam diues factus es; iam saturatus es, iam solus regnas?*
Apoc. 3. 17. *Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus?*
Eccl. 10. 9. *Quid superbis terra & cinis?*
c. 25. 4. *Pauperem superbum odit Deus.*

PVNCTVM II.

Pœnæ Superbiæ.

1. Matt. 23. 12. DAMNA Superbiæ. Ea indicantur illis verbis: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Vbi triplex

triplex pœna significatur: 1. & quòd spolietur bono habitu; 2. & quòd frustretur desiderato; 3. & quòd pro exaltatione subeat humiliationem. Sic Lucifer amisit gratiam & dona, quibus ornatus fuerat; non attigit, quò adspirauit, & pro excelso solio præcipitatus est in profundum luti. Quo exemplo Christus gloriantes discipulos repressit: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Ita Adam, Nabuchodonosor, Herodes & alij. *Luc. 10, 18.*

Deinde Superbos destituit Deus extraordinarijs auxilijs, & labi sinit etiam in fœda peccata, quæ est pœna maxima. De Anania & Saphyra affirmat Basilius, quòd affectantes gloriam ex venditis facultatibus, permittente Deo, partem sibi reseruauerint: vnde & laudem facti, & vitam ipsam perdiderunt. *2. Derelictio iusta.*

Denique consideranda est æterna confusio, quam subibunt elati, quando eis improperabitur à superbis dæmonibus: ***Et tu vulneratus es sicut & nos? nostri similis factus es: detracta est ad inferos superbia tua.*** O *trabs* superbiæ in oculo, quæ non finis videre; amoue, vt videam Iesu humillime. *3. Confusio.* *Isa. 14. 10.* *Matt. 7. 3.*

PVNCTVM III.

MERCES humilium. ***Qui se humiliat, exaltabitur.*** Primò educitur ex statu abiectionis, & miserijs; 2. deinde conseruata ipsi manent dona accepta: 3. demum ad ampliora euehitur. Peccator seipsum humilians, eruitur à peccatis, recipit amissam *Matt. 23. 12.* *Merces humilium triplex.*

gratiam, exaltatur ad dignitatem filij Dei. Sic Publicanus descendit iustificatus coram Deo, præ superbo Pharisæo; & impius Achab, quia se humiliauit, auertit intentatum supplicium. Quod si peccator humilis exaltatur: quomodò iustus humilitatis studiosus? augebitur haud dubiè copiosis gratiæ donis. Ergò, *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Sic Dei Mater exaltata est propter humilitatem suam; quin ipse filius Dei. Nam generalis est regula absque exceptione: *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Exempla.

Eccl. 3. 20.

Matt. 23. 12

2. Exploratio vitij.

Insurgam in meos circa hoc defectus, contrarijsque actibus eos extirpare conabor, initio facto ab humiliatione in rebus externis, quæ facilior est. Nihil porrò (teste Bernardo) *faciliùs est volenti, quā humiliare seipsum.* nam, si exaltare me velim, erunt, qui obsistant; si autem humiliare, nemo repugnabit. Est autem expedita ac vnica ratio vincendi superbiam, *humiliatio*: vt idem ait Bernardus.

Serm. 2. quadrag.

MEDITATIO XIX.

De vitio Gulæ.

PVNCTVM I.

Gulâ peccatur.

EST cibi & potus inordinatus appetitus; peccatur autem quinque modis. 1. Si contra præceptum vescamur vetitis ab Ecclesia, vel ab instituto, vel ex voto. 2. Si immode-

moderatè in quantitate, cum graui valetudinis corporis incommodo, vel animæ periculo: aut bibas vsque ad iudicij turbationem, vel amissionem. 3 in qualitate, si exquisitis & pretiosis supra statum, gulæ causa, 4. in circumstantijs, si tempore aut loco non conuenienti; aut sæpius, quàm par est; aut contra regulam tui instituti. 5. in modo, si nimis auidè, & indecenter ingurgitando, quasi in cibum absorptus vel ob solam oblectationem. De his examinabo meipsum, quòd vix absque culpa vescar: & proponam meliora.

3.
4.
5.

PVNCTVM II.

Pœnæ 1. Sibi ipsi.

POENAE in gulosos. Ipsa gula secum pœnam adfert. *Vigilia & cholera & tortura viro infruito.* læditur enim sanitas & mors acceleratur. Et, *cui væ. cui rixa, cui sine causa vulnera: nonne his, qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?* Et Christus monet: *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & superueniat in vos repentina dies illa.* Amplius: ineptum reddit orationi, & indignum spiritualibus consolationibus: quòd indulgeat carnalibus; facit inertem ad res magnas diuini obsequij, & qui à tam infirmo hoste superatur, quomodo vincet fortiores?

Eccl. 31. 23.
Prou. 23. 29.
Luc. 21. 34.

2. Deus vltor

Deinde considerandæ pœnæ à Deo inflictæ ob gulam. Primi parentes è paradiso pulsi fuerunt. Iudæis in deserto carnes appetentibus, cùm haberent cæleste Manna? *Ira Dei a-*

tim, fel, & acetum illud tuum te obſecro, bone Ieſu, merear placare te cum Niniuitis, & pro tot culpis ſatisfacere.

MEDITATIO XX.

De Luxuria, & bono Caſtitatis.

PVNCTVM I.

QVID ſit. Eſt inordinatus appetitus delectationis carnalis Peccatur 1. cogitatione: cùm voluntas in rem cogitatam conſentit vel deliberatè ſe oblectat ipſa cogitatione abſque propoſito perficiendi rem; quæ vocatur moroſa delectatio: vel, ſi minùs deliberatè oblectatur, ſaltem negligenter repellit cogitationem, aut eius cauſam. 2. peccatur verbo, aut aliquo ſenſuum exteriorum. Verbo, proferendo inhoneſta; auditu, ſpontè præbendo aures talibus; viſu, cùm ſpectantur prouocantia, vel leguntur; odoratu & guſtatu, cùm inde pellicimur ad inhoneſta; tactu, cùm mollioribus quis vtitur, cum irritamento libidinis, nam tactus alioqui corporum eſt conſummatio peccati, & pertinet ad opus. 3. peccatur opere conſummato; vel ſe polluendo, vel alteri commiſcendo: & hoc pro qualitate perſonæ eſt multiplex peccatum: ſi alter ſit voto caſtitatis obſtrictus, aut religioſus aut coniugatus, aut ſi conſanguinei. extra etiam commiſtionem merus tactus ſuimet, vel

1. Luxuria fit cogitatione.

2. Verbo.

3. Opere.

alterius

alterius causâ delectationis, est peccatum mortale.

PVNCTVM II.

Pœnæ 1. Sibi ipsi. Prou. 23. 32. POENAE. 1. quæ ex ipso peccato nascuntur. nam *blandè ingreditur, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venenum diffundet.* morbi, infamia, depauperatio, mors, sunt luxuriæ fructus; & Paulus incestuosum *tradidit Satanæ in interitum carnis*; vt in corpore à dæmone cruciaretur. (1. Cor. 5. 5.)

2. Deus vltor. 2. Pœnæ à Deo inflictæ in hac vitâ. Diluuio obruit mundum; Sodomam incendit; ex Israelitis vna die viginti tria millia occidit; nepotem Iacob, ob fusum semen, morte percussit; filios Heli perire fecit in bello; Samson autem, ob mulierem, in seruitutem venit. quid Dauid, quid Salomon propterea passi sunt? Quòd si isti: quin tu times? 3. pœnæ futuræ: *per quæ quis peccauit, in ijs acerbissimè cruciabitur.* (Sap. 11. 17.) 3. Infernus. pro oblectatione cogitationum horrendis vexabitur imaginibus; sensus singuli proprio afficientur tormento; totus homo immersus stagno ignis & sulphuris pro breui voluptate æternùm ardebit. *Ergo fugite fornicationem*, ait Paulus; fuga est præsens remedium. (1. Cor. 6. 18. Eph. 5. 3.) Vnde etiam ait: *Fornicatio nec nominetur in vobis.* ipsum nomen vsurpari non debet, ne rei imagine repræsentata polluat mentem.

Pvnctvm III.

Bonvm castitatis comparatur lilio, ob sex actus tanquam folia candidissima. 1. custodia visus & auditus; ne quid subeat in animum impuri: Hi sunt custodes castitatis. 2. Trium aliorum sensuum, oderatûs, gustatûs, & tactûs mortificatio: ne quem igniculum suppeditent. 3 sermonis, & motuum omnium corporis, gestuumq; modestia virginalis; nec non ipsius vestitus moderatio, ac decens cōpositio: vt nihil insit solutum, ac leue. 4. circumspecta familiaritas & conuersatio cum hominibus; cauens, ne quid subrepat à puritate alienum. 5. prouida declinatio occasiouum, tam internarum, quàm externarum. Internæ sunt, superbia: in quā Deus animaduertere solet permissione lapsus; vnde humilietur homo, & confundatur. Deinde ira, qua exardescit sanguis, tum otium, per quod diffluit mens, & totus homo. Externæ autem sunt variæ, à loco, à tempore, à socijs. *Qui amat periculum, peribit in illo.* 6. puritas cordis ab incursu malarum suggestionum, & corporis ab inuoluntarijs etiam motibus & illusionibus, tam per vigiliam, quàm per somnium, quantum homini possibile est.

Actus 6. Castitatis. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Eccli. 3. 27.

Pvnctvm IV.

Mvltiplex fauor Dei erga castos, 1. fauor, præsidium Angelorum peculiare: nam hi delectantur sui similibus, liben-

Fauor Angelorum.

ter-

terque illis aſsiſtunt. ſic in fornace tribus pueris adfuit Angelus, *& excuſsit flammam ignis, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Ita in ardore tentationis excutiunt flammam, ne mentem ſubeat per conſenſum; & rore cæleſti ardorem carnis reſtinguant; atque in gratiarum actionem, pro victoria, erumpere animam faciunt, vnà cum tribus pueris in camino ignis. 2. fauor à peculiari ipſiuſmet Dei protectione: qui *paſcitur inter lilia.* Quare ingruenti tentationi obijciam illud Suſannæ: *Melius eſt mihi mori, quã peccare in conſpectu Domini* 3 fauor, quòd pro ſpretis nuptijs Deus ſibi peculiariter animam deſpondet; iuxta promiſſum Chriſti: *Qui vxorem reliquerit, centuplum accipiet in hac vita:* non centum vxores, ſed quod excedit centuplo omnes coniugales voluptates. Norunt caſta pectora. 4. fauor, multiplicatio prolis: ne vel hic fructus deſit. proles ſunt multiplicia opera bona, quibus ſe exercet, qui diuiſus non eſt per curas matrimoniales, ſed vni Deo intentus: item proles ſunt homines, quos Deo lucrifacit; vt ſit non ſolùm *frater, & ſoror,* verùm etiam *Mater* Chriſti, quod ipſe Dominus aſſeruit. Quare *non dicat Eunuchus.: Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea locum & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* 5. fauor: quòd, quia ſupra hominem ſe per caſtimoniam attollunt; Deus extra ordinem caſtos

Dan. 3 50.

2. Dei.

Cant. 2. 16.

Dan. 13. 23.

3. Nuptiarum cœleſtium.

Luc. 18. 29.

4 Filiorum Spiritualium.

Mat. 12. 50.

Iſaia. 56. 3.

5. Extraordinaria.

ſtos exaltat. Sic B. Mariam, vt fieret mater Dei; Ioannem, vt dilectus haberetur, & in ſinu recumberet, & tam ſublimes futurorum reuelationes acciperet. Elias, Eliſęus, Daniel, eiuſque ſocij mirificati ſunt ob meritum caſtitatis. 6. fauor; quòd *ſequuntur Agnum, quocunque ierit*, ſingulari ſocietate ei inhærentes. O, liceat mihi, Agne innocentiſsime, vnà tecum per iſta cœli ſpatia diſcurrendo modulari canticum nouum, quod inconquinatæ ſolùm animæ cantare poſſunt. 6. Sequuntur Agnum. *Apoc. 14. 4*

Iſtæ ſex prærogatiuæ erunt mihi munimento aduerſus tentationes; meque obfirmabo, dicens cum S. Ioſeph: ***Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?*** quin pallium, & adhuc facultates omnes, honorem, vitam ipſam poſthabebo, vt merear, vti Ioſeph ad regnum Aegypti, ita ipſe ad complexum cæleſtis ſponſi per ſtudium caſtitatis aliquando pertingere. *Gen. 39. 9.*

MEDITATIO XXI.

De Auaritia.

Pvnctvm I.

QVid ſit auaritia I. Eſt inordinata appetitio diuitiarum. Peccatur autem 1. ſi aliena concupiſcat, contra præceptum decimum vel etiam ſibi vſurpet, inuito domino, contra ſeptimum. 2 ſi malè vtatur proprijs, non im- Auaritia peccatur. 1. 2.

pertiens

pertiens egentibus, quando ex iustitia, vel ex charitate misericordiaque tenetur. 3. si nimio studio feratur, vt propterea negligat alias obligationes, quibus tenetur: vel admittat aliqua alia peccata, vt sunt mendacia, periuria, fraudes, violentiæ. Nam *radix malorum omnium est cupiditas*, teste Paulo. 4. si voto paupertatis adstrictus, vsurpet sibi aliquid de communibus absque superioris licentia; vel, si alienet, dando; vel, donatum accipiat, sine eiusdem facultate, vel si concessis vtatur affectu inordinato tanquam proprijs; vel si queratur & murmuret, cùm subtrahuntur. 5. Si quis opera virtutis exerceat præcipuo fine lucri; vel lucri causa omittat exercere. Auaritia vocatur à Paulo *Idolorum seruitus*, quia tanquam Deo cuidam seruitur cupiditati; & omnia eius causâ fiunt: absit à me hæc impietas.

3. | 1. Tim. 6. 10 | 4. | 5. | Ephes. 5. 5. | Col. 3. 5.

PVNCTVM II.

Damna 3. 1. Sibi ipsi.

POENAE auari. 1. ipsa auaritia est auari vltor, miserrima seruitute illum premens, quam seruit in conquirendis tuendisque bonis. Item tanquam spinæ animam illius pungunt, tum curæ, tum remorsus conscientiæ: vt nec terrenis quietè fruatur, & cælestia amittat: velut Iudas auarus, qui inter cœlum & tarram medius crepuit. 2. solet etiam Deus n hac vita punire: vt Achan, quòd surripuisset de spolijs, iussu Dei lapidatus est. Nabal, quòd Dauidi tunc egenti denegasset subsidi-

2. Deus vltor.

um,

um,Deo animaduertente, extinctus est. Iezabel ob adeptam vineam, Deo disponente, à canibus deuorata est. Ananias & Zaphira ob partem pretij defraudatam conciderunt repentè mortui. Giezi, ob accepta munera contra Elisæi mandatum, leprosus euasit, Iudas furari solitus de oblatis, & magistri venditor ex auaritia factus, suspendio voluntario interijt Et ecce quomodo hæc pestis omne genus hominum corripit, à Regibus vsque ad Apostolum? 3. æterna subsequetur eos egestas, qualis illa epulonis: & memoria prioris abundantiæ excruciabit magis. 3. Infernus.

PVNCTVM III.

PRAEMIA virtutis oppositæ 1. duobus modis auaritia vincitur; vel frænando inordinatum appetitũ habendi, vel renunciando rebus habitis, & spiratis; quò sic appetitus ipse ab animo radicitùs euellatur. Vterque modus potest intelligi per paupertatem spiritûs, cui promittitur regnum cœlorum: siue hoc sit vita æterna; siue (quod Paulus etiam vocat regnum cœlorum in hac vita) *Iustit ia, pax, & gaudium in Spiritu sancto* Est autem iustitia meliorum diuitiarum copia, nempè bonorum operum. Pax autem est à molestarum curarum perturbatione quies, quales ingerit auaritia; denique gaudium spirituale à pacata conscientia. 2. Qui victa cupiditate distribuit sua liberaliter in pauperes, Deum erga se liberalem experietur, tum in tempo-

Auaritia vincitur. 1. mortificatione.

Rom. 14. 17.

2. Liberalitate.

ralibus, cum in ſpiritualibus bonis refunden-
Luc.6. 38. dis, ſicut promiſit: *Date & dabitur vobis; menſuram bonam & confertam, & coagitatam; & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Addit: *Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* quaſi dicat: Si veſtra creuerit liberalitas, etiam diuina erga vos. quibus ſuffragatur Sapiens: *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt; alij repetunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Anima, quæ benedicit, impin-*
Pr ou. 11. 24 *guabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.* 3. peculiare præmium ijs promittitur, qui facto omnia ſua relinquunt, centuplum in hac vita, & poſtea æternum, cum prærogatiua confidendi ad iudicandum Tribus Iſrael. Tu qui propter nos egenus factus es, & in teſtimonium mori nudus voluiſti, aufer à me omne caducum deſiderium, vt tuæ opulentiæ particeps in cælo fiam.

3. Præmio cælesti.

ro poſita unque,

Concipiendi ſunt affectus in primo puncto indicati. 1. vt habitis contentus ſim, quamuis modicis; neque appetam aliena. 2. vt ijſdem benè vtar, & liberaliter in pauperes. 3. vt ſine affectu habita poſſideam, quaſi non habens. 4 vt libenter etiam experiar defectum, causâ Chriſtum imitandi. 5 ſeruiam Deo, non ob temporalia; ſed quia dignus eſt, & vt aſſequar æterna.

MEDITATIO XXII.

De Ira.

PVNCTVM I.

IRA est appetitus inordinatus vindictæ, cum accensione sanguinis circa cor. Peccatur 1 mente: si concipiat odium personæ offendentis: si vlcisci proponat: si saltem desideret ei quidpiam mali euenire: si gaudeat de malo eueniente, aut tristetur de illius bono. 2. Peccatur verbo: cùm ex affectu vindictæ prorumpitur in conuitia, aut detractionem, aut imprecationes malas, aut contentiones, rixasque verborum. 3 opere; cùm ex vindicta infertur aliquod damnum in corpore aut rebus, propria auctoritate; vel si à Magistratu flagitatur, id fit ex odio personæ, non sincero amore iustitiæ: vel si inexorabilis planè homo sit ad condonandum. Porrò ex ira existunt lites, factiones, bella.

1. Ira cogitationis.

2. Verbi.

3. Operis.

Iræ affinis est impatientia, quæ propriè non est appetitus vindictæ, sed immoderata tristitia ex incommodis occurrentibus, & conatus repellendi illa. Ex quo affectu nascuntur varia peccata. In Deum quidem, per modum querelæ, & aliquando cum expressa blasphemia: in alios autem, exhibendo se morosum & asperum, & inquietum contra bonum pacis: imò in ipsas bestias, præ impatientia, sæuiendo; aut in res etiam inanimatas inuolando. Præterea in seipsum insurgit; mortem optando, vitæ tædio, ex impatientia malorum; vel

4. Impatientia.

morsu aut simili impetu in semet irruendo.

PVNCTVM II.

Pœnæ 1. Ipsa ira.

POENA I. ipsa ira est sibi pœna; quia est velut phrenesis quædam, mentisque insania; imo quasi malus dæmon, possidens hominem. Similia enim obsessis à Dæmone agit; deinde sic turbat animam, vt incapacem reddat cœlestium & inhabitantis spiritus sancti, qui non requiescit nisi super quietum & humilem 2. Deus vlciscitur vltores, iam à principio. Vltio dabitur septuplum de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Sed illud præcipuum, quod Christus pronuntiauit: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Antequam prodeat foras ira, iam apud Deum instituitur iudicium. *Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio.* Si erumpat in signum, de ampliore pœna consultatur. *Qui autem dixerit: Fatue; reus erit gehennæ ignis.* Hic iam hoc ipso est reus æternæ damnationis, quando apertam contumeliam iacit: quid si peius aliquod inferat? Illic duplici torquebitur igne, iracundiæ & flammæ: nam eò quòd impatientissimè feret flammas, nec vitare poterit, rabie percitus augebit incredibiliter cruciatum. In quo differunt animæ iustæ purgatorij; quòd pœnas ferunt patienter, indeque referunt solatium suæ conscientiæ.

2. Deus. Gen. 4. 24. Mat. 5. 23.

3. Infernus duplex.

Fuga.

Hinc discam primò declinare omnem motũ iræ qui suspectus est, quando etiam sumitur zelo iustitiæ, ne subsit appetitus propriæ vindictæ.

ecundo: insurgentem initio opprimam, ne nualescat: nā *à scintilla vna augetur ignis*, vt apiens ait: nec est facile auctum extinguere. Obsta initio. Eccl. 11. 34.

PVNCTVM III.

BONVM compressæ ira, siue mansuetudinis & patientię, quibus frenatur. nam mansuetudo auersatur nocere cuipiam & comē se exibet etiam inferentibus iniuriam, patientia ustinet mala illata: ne idcirco homo exorbiet aut indigni quid faciat. Patientię.

Fructus istarum virtutū sunt. 1. Pax cordis, uia *mansueti possidebunt terram*: in potestate abebunt seipsos; & *in patiētia vestra possideitis animas vestras*. 2. māsuetudo reddit amailes; *qui in mansuetudine opera sua perficit, uper hominum gloriam diligetur*. 3 Patientia utem facit spectandos & admirabiles apud lios: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*. 3 Faciunt Deo amabilem, & accessum ad Deum andunt; exemplo Moysis, ob insignem manuetudinem. Quare iubet Paulus: *Volo vi-os orare in omni loco, leuantes puras manus, sie ira & disceptatione*. 4. Tales habent spiritū Christi. Vnde discipulis cupientibus venire gnem de cœlo in Samaritanos, quòd non reepissent ipsos, Dominus ait: *Nescitis cuius spiritus estis*, meus certè non est vltionis spiritus, ed benedictionis. Vnde Petrus de illo: *Cùm nalediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, on comminabatur*. Fructus. 1. Mat. 5. 4. Luca 21. 19. 2. Eccl. 3. 19. 3. Prou. 16. 32. 1 Tim. 2. 8. 4. Lu. 9. 55. 1. Pet. 2. 23.

MEDITATIO XXIII.

De Inuidia.

PVNCTVM I.

nuidia ex superbia. INVIDIA est tristitia de bono proximi, qu nostrum excedit, vel obscurat. Oritur e superbia, & comitem habet iram, & ita vtri usq; actus: veluti odium proximi, qua illiu successus me obscurant; gaudere de proxim depresione, tristari de exaltatione, tristar de laude, minuere illam, detrahere.

Materia inuidiæ. Inuidia distingui potest iuxta genera rerur quasi obiecta inuidiæ 1. de bonis externis, au
1. corporis: quòd præcellat diuitijs, dignitate honore, gratia hominum, corporis dotibus. E hæc est mūdana. 2. de bonis intellectualibus.
2. de bonis virtutum 4 de ipsamet charitate &
3. gratijs gratuitis: quod est peccatum in Spi
4 ritum sanctū, quale fuit Luciferi, vt ideo stru xerit homini insidias ad peccandū. *Inuidiâ* e
Sap. 2. 24. nim *diaboli mors introiuit in orbem terrarum* quare inuidi illū imitantur: prô res indigna

PVNCTVM II.

Pœnæ Sibiipsi. POENAE. 1. ab ipsamet inuidia; nā exsicca
1. ossa; & fouetur perinde bonis ac malis
Prou. 14. 30. uētibus; & difficilè curatur: quia quòd vilis
2. animi, celatur. 2. ab exēplis, Cain occidit fra trem, voluit occultare Deo crimen: desperau de venia. Ioseph à fratribus per Inuidiā ven ditus euasit illorū Dominus. Dathan & Abir in Moysem insurrexerunt: & absorpti sunt terra. Saul in Dauidē insaniuit, & perijt: Iud
3. Messiā suum crucifixerunt, in caput suum. 3. I
Infernus.

infe

inferno crudeliter eos rodet gloria sanctorũ, præsertim ex collatione abiectionis propriæ atq; miseriæ. Quare *Va illis, qui in via Cain abierunt*: similiter fratres suos prosequentes. *Et errore Balaam, mercede effusi sunt*: malis consilijs eosdem subuertere studentes. *Et in contradictione cura perierunt*, non ferentes sibi alios præferri. *Iuda epist. v. 11.*

PVNCTVM III.

BONVM contrariæ virtutis, qua mortificatur inuidia. Ea est charitas, in tribus præsertim actibus. 1. insurgentes motus inuidiæ statim opprimit. 2. gaudet de bono proximi ac de proprio. 3 optat alios excellere omnibus bonis, nihil inde sibi decere putans. Charitatis 3. actus. 1. 2. 3.

Vrgemur ad hanc virtutem, quòd gloriam Dei & commune bonum oportet præferre proprio: quare si ita Deus disponit, vt alij excellant: excelsi animi est, gratum id habere. Proinde non vt Iosue feremus ægrè, quòd alij *prophetent*; sed cũ Moyse dicemus: *quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* Nec inuidia tangemur, vt discipuli Ioannis, quòd Iesus baptizaret, & ad eum fierent concursus: sed respõdebimus cũ Ioanne: *Qui habet sponsam, spõsus est: amicus autem sponsi gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudiũ meum impletũ est; illũ oportet crescere, me autem minui.* Deinde; si gaudeam de bono proximi, facio illud meũ; & demereor Deũ, vt me pluribus augeat. Si doleo de illius malo; Deus vicissim me à proprijs expediet. Præterea sic agendo, referã fructus Dei gloria. *Num. 11. 28* *Ioan. 3. 29.*

charitatis; *qui sunt pax, & gaudium in Spiritu*
Rom. 14. 17. *sancto*; & imitabor statũ Beatorum, vbi singuli sua conditione contenti, per vnionem charitatis cõmunicant in bonis omniũ; tanquam de proprijs exultando, gratiasq; agendo. Itaq; *æmulemur omnes in bono*, contendentes ad sum-
Galat. 4. 18 mam virtutem, non studio vincendi, sed Deo placendi quàm maximè.

MEDITATIO XXIV.

De Acedia.

PVNCTVM I.

Acedia peccatur. ACEDIA est tristitia inordinata & tędiũ actuũ studiosorum & laudabilium. In
1. quo peccatur variè. 1. nimius timor difficulta-
2. tũ, quæ virtutem comitantur; vnde tædium. 2. pusillanimitas; vnde etiã occultantur talen-
3. ta nec exeruntur. 3. languor in exequẽdis obligationibus, cum repugnantia; & ex necessi-
4. tate magis, quã voluntate, & ob fines viles. 4 inconstantia in bonis actionibus; vel varian-
5. do ex tædio; vel non perducendo ad exitũ. 5. diffidentia superãdi difficultates, vsq; ad des-
6. perationem. 6 auersio ab ipsismet spiritualibus viris: quòd desipiant spiritualia; vel quòd
7. ab illis moneri odiosum. 7. otiositas & sommo-
8. lẽtia, maximè in spiritualibus. 8. Euagatio per varia, ad leuandum tædium, vel laxando frænũ cogitationibus quibuscunq; vel soluendo linguã, cæterosq; sensus in omnia obuia; vel etiãde loco in locũ obeundo: vt nullibi nulla in
9. re consistere valeat. 9. Ex tota hac hominis habitudine siue dispositione oriũtur innumera-

biles

biles culpæ omiſsionis, & negligentiæ infinitæ in omnibus actionibus debitis.

PVNCTVM II.

DAMNA Acediæ. Eſt valde periculoſa, & procliuis ad lapſum; arcet conſolationes diuinas; dat locum tentationibus dæmonis, *qui aſſumptis ſecum pluribus nequioribus, occupat domum illam* tanquam *vacantem. Multam quippe malitiam docuit otioſitas*, & de tali dicitur: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerant ſuperficiem eius ſpina, & maceria lapidum deſtructa erat.* Horrida nimirùm fit anima, & peruia viatoribus, hoc eſt, dæmonibus. *Qui propter frigus arare noluit, mendicabit æſtate, & non dabitur illi. Qui ſectatur otium, replebitur egeſtate.* 2. Quin iuſti ipſi ab acedia patiuntur damna. Nam *maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter*, ſiue negligenter; & tepidi reuomuntur à Domino; & onus Christi ſuaue, fit ipſis graue. *Pigrum deijcit timor*; remittit ſtudium, metu difficultatis. Et *deſideria occidunt pigrum, quia vult & non vult*: ſicque angitur ſine fructu.

3. Sed & in altera vita, *qui talentum Domini ſui defodit, eijcitur in tenebras exteriores*: ſicut & Iudæi ignaui excluſi ſunt à terra promiſsionis, duobus exceptis impigris, qui ad pergendum cæteros hortati fuerant.

Damna. 1. — *Luc. 11. 26.* — *Eccl. 33. 29.* — *Prou. 24. 30* — *Prou. 20. 4.* — *c. 28. 19.* — 2. Iuſti. — *Ierem. 48. 10* — *Apoc. 3. 16.* — *Prou. 18. 8.* — *c. 21. 25.* — 2. — *Matth. 25. 28. & 30.*

PVNCTVM III.

FRVCTVS ex victoria acediæ. 1. Fit labor leuis & fructuoſus, qui alioqui gra-

Bona fructus. 1.

uis, & inutilis est acedioso: & talibus dicetur: *Iugum meum suaue est, & onus leue.* Et hi vnâ horâ promerentur, quantum alij *toto die portantes pondus diei & æstus*; quia cum feruore laborant. 2. Singulariter placet Deo, quòd ei alacriter seruiatur. *Hilarem datorem diligit Deus*, sicut ipse impertit hilariter hominibus, quæcunque donat; & talium petitiones & desideria cordis exaudit: quin prægustare facit lætitiam, quâ in cœlo sancti obsequuntur Deo. O Deus, *redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Fac, vt quemadmodum tu *exultasti vt gygas ad currendam viam* longè difficillimam; ita & ego *viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

Matt. 11, 30. Matt. 20, 12. 2. 2. Cor. 9. 7. Psal. 50. 14. Psal. 18. 6. Psal. 118. 32.

MEDITATIO XXV.

Super Decalogi Præcepta.

Visio. Zach. 5. 3.

HABETVR Zachariæ Cap. 5. *Ego video volumen volans; longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iuratus ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud* (scilicet volumen) *dicit Dominus, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & lin-*

qua eius vt lapides eius. Hactenus visio. Tale quid in meditatione hac ob oculos ponemus, librum, ex quo peccata mea contra Dei præcepta consignata sunt; simulque supplicia eis debita: quem iam iam super me aduenientem intuebor, ad perdendum me cum omnibus.

Præcepta considerari possunt dupliciter; & quà continent, quod est de necessitate salutis; & quà, quod est perfectionis, vel secundùm id, quod ad litteram vetant, aut præcipiunt: & secundùm spiritualem sensum, atque hic etiam in ipsis meditationibus indicatur. Sensus præceptorum.

PVNCTVM I.

Quomodo circa singula peccetur?

IN primo præcipitur *cultus Dei.* Quò pertinent virtutes, *Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis.* contra quas peccatur contrarijs actibus. Peccata contra decem præcepta. Contra I.

1. Contra *Fidem*, per idololatriam, aut infidelitatem aliam, & per solam dubitationem. Sed & est quoddam genus idololatriæ, pertinaciter suo iudicio adhærere. *Quasi peccatum enim ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Et sunt, *quorum Deus venter est*; Et *auaritia est idolorum seruitus*: & *quidam dicunt se nosse Deum; factis autem negant.* 1. Reg. 15. Philip. 3. 19 Coloss. 3. 5. Tit. 2. 16.

2. Contra *Spem* peccatur per diffidentiam obtinendi veniam, aut consequendi gloriam;

vel contrà per præsumptionem ea assequendi, non adhibitis medijs necessarijs.

3. Contra *Charitatem*, cùm Deo præponitur creatura; & huius voluntas diuinæ præfertur. Vel, cùm tepidè amatur: & adeo non ex toto corde, mente, & viribus.

4. Denique contra *Religionem*, si debitus cultus negligatur.

Contra II. De Iuramento.

In secundo præcepto prohibetur iuramentum; si absit veritas, aut necessitas, aut reuerentia: quare peccatur, si aliter sentiam, quã iurando affirmo; vel, si non intendam implere quod promitto; vel, si non impleam iuratum, cùm est bonum. Si sit malum, peccatur implendo, sicut & iurando. Deinde, si necessitas absit interponendi diuinam testificationem: quia tunc leuiter iuratur. Denique, si absque reuerentia, quæ diuino Nomini summa debetur. Huc potest referri votum; præsertim iuratum, in quod peccatur, differendo executionem, aut negligenter exequendo.

Cõtra III. De Festis.

In tertio præcipitur *Sanctificatio Festorum*: quæ perficitur, audiendo Missæ sacrum, & vacando ab operibus seruilibus, aliaque agendo, quæ diuini sunt cultus: peccatur autem contrà agendo.

Cõtra IV. De honore parentum.

In quarto præcipitur *Honor parentum*: qui non consistit in externa solùm reuerentia; sed magis in obedientia præstanda iussis illorum; & in subueniendo etiam necessitatibus corporalibus: Nec parentibus solùm carnalibus obseruantia, obedientiaque debetur; sed

alijs

alijs etiam ſuperioribus, tam Spiritualibus, quàm Ciuilibus; quin omnes, vt ſuadet Apoſtolus, honorare ſe mutuò debent: *Superiores ſibi inuicem arbitrantes.* Philip. 2. 3 Et tandem D. Petri conſilio parendum eſt: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* 1. Pet. 2. 13

In quinto prohibetur **Homicidium**. Quò ſpectant, quæ de Ira dicta ſunt, Meditatione 22. ſed & ſpirituale committitur homicidium ſuiipſius, cùm peccando, vita gratiæ perditur; & Paulus monet: *Spiritum nolite extinguere*: id quod fit, diuinas inſpirationes veluti ſuffocando. Contra V. De homicidi. 1. Theſſ. 5. 19 Chriſtus etiam ipſe crucifigitur: quando *qui ſemel illuminati ſunt, & guſtauerunt donum cœleſte, prolabuntur, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Hebr. 6. 6. quia faciunt id, propter quod oporteret Chriſtum ſecundò mori, niſi prima mors, pro infinita ſua virtute, ad omnia ſuffeciſſet. Præterea occiditur ſpiritualiter proximus: quando ei ſcandalum præbetur, & occaſio peccandi; & cùm ſpiritualia ipſi auxilia non præbentur: ſicut occidit pauperem, qui egenti non ſuccurrit. Occiſio ſpiritualis.

In ſexto, *Non mœchaberis*, prohibetur Adulterium & omnis luxuria, de quo in Medit. 20. dictum eſt. Contra VI De fornicatione.

Porrò ſpirituale adulterium committitur, quando adhæretur creaturæ, poſthabito Deo, vero animarum ſponſo. Genus etiam adulterij eſt, quo opera bona verbaque diuina adulterantur, quando non diriguntur in finem

debi-

debitum. Obliuio etiam Dei per nimiam ad creata effusionem cordis, similis est adulterio, & quædam reiectio sponsi.

Cõtra VII. de furto. Furtum spirituale.

In septimo *Furtum vetatur*, de quo in Auaritia Medit. 21. Furtum autem spirituale est, cùm gloriam soli Deo debitam ex bonis omnibus mihi vendico; vel cùm tempus, Dei obsequio debitum, suffuror; vt inaniter consumam; vel, cùm pro iniuria Deo peccatis meis illata non satisfacio; vel, cùm pro acceptis beneficijs non reddo gratiam; vel, cùm voluntatem meam iam Deo dicatam subtraho, faciens pro libitu meo; vel, cùm vsurpo mihi iudicium de intentione factisq́ue proximi: quæ ad diuinum spectant tribunal; vel, si cum principe latronum diabolo prædas agam de animabus: charitatem, aliasque virtutum opes diripiendo, vastando.

CõtraVIII. De falso testimonio.

In octauo prohibetur *Falsum testimonium*, quò spectant peccata linguæ, quibus honor aut fama proximi læditur; de quibus Medit. 22. Item indicium temerarium huc refertur; & fictio, ad decipiendum proximum, per mendacium, hypocrisim, adulationem, & simulata officia.

Est etiam quoddam falsum testimonium in ipsum Deum: cùm de illius bonitate, iustitia, aut prouidentia non sentio, prout debeo; vel ita viuo, vt sim causa, cur nomen eius blasphemetur, aut lex eius minori sit in pretio. Denique Deo mentior, cùm non impleo vota, vel etiam proposita bona leuiter depono.

Nonum

Nonum & decimum præceptum in sexto & septimo continentur. Ista perpendens dolore & pudore afficiar, quòd vel in vno peccans, *factus sim omnium reus*: Et est quoduis peccatum mortale quædam Infidelitas, homicidium, adulterium, furtum, &c. vt expositum est. Quare in meipsum, vt talem Sancto zelo inuehar, exprobrans mihi ipsi, quòd talis fuerim. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Iac. 2. 10. Ps. 118. 136.

PVNCTVM III.

POENAE in transgressores præceptorum. Moyses multas & horribiles maledictiones in Dei nomine denuntiat: suprema illa erit grauissima, quam infliget Christus: *Ite maledicti in ignem æternum.* At scio Domine, quòd mineris, vt parcas: Memento, quòd pro nobis *factus sis* ipse *maledictum, vt nos à maledicto liberares.* Deut. 27. Maledicta. Matt. 25. 41 Galat. 3. 13

Deinde decem plagæ AEgyptijs inflictæ cũ submersione in mare, repræsentant multiplicia flagella peccatorum, cum suprema tandem in tartara detrusione. Tales etiam illæ septem plagæ, per Angelos immittendæ ante diem iudicij: quæ mortales reddent præ stupore attonitos. Præterea solent peculiaria peccata proprijs vindicari pœnis. *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non decedet à domo illius plaga.* Et, *Oculus, qui subsannat patrem, aut matrem effodiant illum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ.* Decem plagæ AEgyptiorum. Eccl. 23. 12. Prou. 30. 17.

PVNCTVM III.

Benedictiones. Deut. 28.1.

PRAEMIA obseruatæ legis. Moyses viciſſim in obseruatores legis multas confert benedictiones: temporales quidem pro conditione illius Teſtamenti, ſed in quibus ſpirituales tantò ampliores indicentur pro filijs Noui Teſtamenti. Sed nec temporales iſtis negantur, quando Dominus filijs ſuis promiſit: *& hæc omnia adijcientur vobis*, nam qui *aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione*, quantò magis filios?

Matt. 6. 33. Pſal. 144. 16

Porrò ſpirituales benedictiones comprehenduntur illo triplici genere bonorum, *Honeſto, Vtili, Delectabili*, de *Honeſto* eſt illud: *Lex Domini immaculata, conuertens animas, ſapientiam præſtans paruulis.* De *Vtili*: *Longitudinem dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi, ſi præcepta mea cor tuum cuſtodiat.* De *Delectabili Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* De vtroque, nempe vtilitate & ſuauitate: *Iudicia Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum, & dulciora ſuper mel & fauum.*

Pſal. 18. 8. Prou. 3. 2. Prou. 3. Pſal. 18. 9.

1. Affectus doloris.

Colligi poſſunt tres affectus. 1. Dolor ob tantum bonum legis à me neglectum: cùm tranſgreſsio cōtrà extiterit mihi triplici mallo onerosa. Nam dehoneſtat hominem, multa affert ſecum damna, & aculeo ſuo mordet conſcientiam. 2. Fiducia conſequendi omnes illas benedictiones, quam ingenerat fidelis cuſtodia mandatorum: iuxta illud: *Homo*

2. Fiduciæ. Eccl. 33. 3.

ſenſa-

enſatus credit legi, & lex illi fidelis. Credit legi, promiſſa obſeruatori bona redditum iri onfidens: neque fallit illum lex, ſed præſtat bundè. Igitur, ne dixeris cum impio: *Vanus ſt, qui ſeruit Deo; & quod emolumentum, quia uſtodiuimus præcepta eius? Quin conuertere d Dominum, & videbis quid ſit inter iuſtum r impium, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.* 3. Studium legis: *Circumda eam utturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui* Tabulæ iſtæ ſunt tres: memoria, à qua nunuam excidat; intellectus, qui aſsiduè de illa neditetur; voluntas, quæ ardeat illius deſierio. *Quomodo dilexi legem tuam Domine? ta die meditatio mea eſt.*

Eccl. 33.3.

Mal. 3. 14. 18

3. Amor legis.

Prou. 3. 3.

Pſal. 118. 97

MEDITATIO XXVI.

Circa quinque ſenſus exteriores.

PVNCTVM I.

QVOMODO circa eos peccauerim. 1. *Viſu*, oblectando me ſine diſcrimine, quoimuis aſpectu, vanitatis aut curioſitatis, aut iam ſenſualitatis cauſâ; nec cauendo noxia. modo etiam, ſublimes, aut vagos oculos rcumferendo: in quibus maximè enitet moeſtia. 2. *Auditu*, patulas præbendo aures uibuſue ſermonibus otioſis, vanis, ſcurrilis, & nominatim detractorijs: contrà verò, erſando pios ſermones, monitaque ſaluria.

1. Oculus.

2. Auditus.

De *odoratu*, *guſtu & tactu* dictum eſt circa

peccata gulæ, & luxuriæ; sicut & de peccatis linguæ in præcedentibus: quæ varia sunt, in Deum, aut in proximum. *Lingua* enim, te-
Iac. 3. 6. ste Iacobo, *est vniuersitas iniquitatis; & ignis inflammans rotam natiuitatis nostræ*, hoc est, vniuersam vitæ propriæ periodum. Sed & ex circumstantijs peccatur linguâ: cùm verba à conditione statûs abhorrent; vel loco, aut tempore indebito; vel contra peculiarem regulam silentij religiosi. Huc spectare possunt motus corporis, gestusque immodesti, nam, te-
Eccl. 29. 17. ste Sapiente, *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

PVNCTVM II.

Damna. DAMNA ex incustodia sensuum. Nam, vt ait Propheta, *Ascendit mors per fene-*
Ierem. 9. 21. *stras* nostras. Et: *Oculus meus deprædatus est*
Thren. 3. 51. *animam meam* Sic Eua decepta, Dina op-
Prou. 25. 28. pressa, Dauid expugnatus, & est *tanquam vrbs patens absque murorum ambitu*, quæ facilè capitur. Deinde per sensus inuadunt animam mille rerum phantasmata, quæ passiones appetitûs commouent, & quando non aliud, certè confundunt interiorem hominem, vt colligere se nequeat; & tandem exire foras, & euagari ipsum etiam cogunt. *Prop-*
Agg. 1. 10. *ter hoc prohibiti sunt cœli, ne darent rorem; &*
Num. 19. 15. *terra prohibita est, ne daret germen suum.* priuatur talis anima cœlesti influxu, redditurque infœcunda & sterilis.

Aptè huic conuenit illud: *Vas quod non*

bauerit operculum,nec ligaturam desuper im mundum erit.

Ergò audi consilium bonum: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis; & attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Eccl. 28. 28.

PVNCTVM III.

BONA ex sensuum custodia prouenientia 1. Dum occluduntur sensus vanitatibus, aperiuntur Deo, cui placet valde mortificatio illorum; fit enim anima *hortus conclusus* in quo libenter diuersatur sponsus; impletur Christi monitum: *Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* 2. Qui sensibus rectè vtitur, & ex Dei voluntate, vicissim per eos haurit, quo iuuetur in spiritu, & in Deum attollatur.

Mortificatio sensuū bona.

1\.

Matt. 6. 6.

2\.

Porrò, sicut *fons de eodem foramine non manat dulcem & amaram aquam*: ita non conuenit, vt quibus sensibus benedicimus Deum, ijsdem abutamur ad illius offensam. 3. Modestia sensuum & exteriorum motuum ædificat mirum in modum intuentes; & ad videndum propiùs, quod intus est, allicit. *Modestia vestra*, inquit Paulus, *nota sit omnibus hominibus*: quippe ad exemplum conferens plurimum. motiuum autem addit: *Dominus enim propè est.* Sic vos gerite, vt qui in Dei præsentia versamini. 4. Propria cuique sensui

Iac. 3. 11.

3\.

Phil. 4. 5.

4

reddetur merces post resurrectionem, tantò delectabilior præsenti iucunditate, vt operæ pretium sit, modò sensus mortificare, vt illic satientur.

MEDITATIO XXVII.

Circa internas animæ potentias.

PVNCTVM I.

Peccata Intellectus. PECCATA ex parte *Intellectus*. 1. *Ignorantia* eorum, quæ sunt creditu necessaria, vel quæ agi debent, tùm vniuersè ab omnibus, tùm ab vnoquoque speciatim, pro statu suo & officio. 2. *Inconsideratio* in agendo, non satis perpensa re. vnde multi existunt defectus. 3. *Temeritas* in iudicando proximum: in quo sum iniurius Deo, cuius partem mihi assumo, de occultis censendo: deinde etiam proximo, quem inconsultè damno: quin mihi ipse noceo: quia permittit Deus nos labi in ea, de quibus temerè alios iudicamus. 4. *Instabilitas* iudicij: quâ fit, vt bona proposita facilè mutem; & quibusve apparentibus suggestionibus carnis, aut dæmonis, facilè abducar; & prout phantasia est vaga, ita etiam mens quouis feratur. 5. *Pertinacia* proprij iudicij, flecti nescia. Hinc inobedientiæ, rebelliones, contentiones, elusiones, errores. *Præcipitabit me*, inquit Iob, *consilium meum*. 6. *Prudentia* carnis: qua perspica-

Iob 18. 7.

ces

ces sumus ad peruidenda, quæ carnalibus mundanisque desiderijs seruiunt. Vnde fraudes & doli excogitantur adhibenturq; passim. Huic vitio adnexæ sunt stultitia, ineptitudo, & tarditas circa diuina. Quàm enim sunt perspicaces ad terrena, tam sunt hebetes ad cœlestia. *Animalis* enim *homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi & non potest ea intelligere.* Et *quæcunque ignorat blasphemat* 7. *Curiositas* sciendi, quæ non expediunt; aut quæ supra captum; aut inutilia, & à statu meo aliena, aut nimio cum affectu; aut ob finem vanum, vel etiam malum; aut per media illicita: quæ omnia prohibentur illà sententiâ: *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

1. *Cor.* 2. 14. *Iudas in epist.* v. 10. 7. *Rom.* 12.3.

Iam cùm mens debeat esse lux actionum: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Et, *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Idcirco petam à Spiritu sancto dona eius septem aduersus hæc totidem vitia, vt fiat intellectus meus sicut argentum, *purgatum terra, purgatum septuplum.*

Matt. 6.23. *c.* 15. 14. Oratio. *Psal.* 11.2.

PVNCTVM II.

PECCATA propriæ *voluntatis.* Vocatur *propria*, & hoc ipso praua: quia, cùm fuerit à Deo creata, vt diuinæ voluntati subiaceat: ita homo sibi facit propriam, vt nullo respectu, vel Dei ipsius, feratur in res quaslibet, eò tantùm, quòd sibi placent.

Voluntatis peccata.

Triplicia. Hinc oriuntur peccata omnia, quæ ad tria
1. capita possunt reuocari. 1. est *Inobedientia*, legum omnium contemptrix, tùm diuinarum, tùm humanarum, & Religiosi statûs inprimis ruina: qui totus in propriæ voluntatis abnegatione consistit.
2. 2. *Intentio praua*, quâ etiam bonæ actiones, & alioqui Deo placituræ, redduntur vitiosæ.
Isa. 58. 3. *Ecce in die ieiunij, vestri inuenitur voluntas vestra.*
3. 3. Quærere tantũ quæ SVA sunt: vnde vsurpat sibi quæuis, nullo respectu, iusti vel iniusti. Rectè igitur Bernardus dicit:
Serm. de Resur. *Cesset propria voluntas, & non erit infernus.* Imò ipsamet in hac vita est sibi infernus: nam quæcunque nos affligunt, eò cruciant, quia voluntati repugnant nostræ. Fiant igitur voluntaria per electionem, & iam non infernus nobis erunt, sed ignis purgans peccata. Itaque Dominum meum imitabor dicentem:
Ioan. 5. 3. *Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Et iterum:
Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Proinde, *non quæram* amplius, *quæ mea sunt*; *sed quæ Iesu Christi*, & proximorum.

PVNCTVM III.

Imaginatio. DE potentijs internis materialibus. vna est *Phantasia*, quæ est instar cuiusdam aulæ, infinitis rerum omnis generis imaginibus refertæ: quarum contemplatione sese oblectat ipsa phantasia, modò in has, modò in illas intenta: & trahit secum intellectum

ratio-

rationalem, vt ijsdem intendat. ex quo peccata plurima omnis generis proueniunt.

Altera potentia est *appetitus sensitiuus*, quasi mare fluctibus vehementibus exagitatum: quia non aliud sunt passiones amoris, odij, desiderij, fugæ, iræ, quàm fluctus turbulentissimi. Ista sunt instrumenta, quibus dæmon vtitur ad nos pertrahendum in peccata. Ista bella manent spiritui: nam, *quod nolo malum, hoc ago.* Quin ipsæmet passiones inter se pugnantes animam distrahunt. Sæpè enim in aliud voluptas, in aliud ei contrarium ambitio trahit. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?*

Appetitus sensitiuus.

Rom. 7.15. 19.

versu 24.

Iob 7.20.

MEDITATIO XXVIII.

De quotidiano examine conscientiæ.

COMMENDATVR à SS. Patribus hoc exercitium, nam tenemur duplici debito erga Deum: altero gratiarum, ob beneficia quotidiè accepta; altero resipiscentiæ à culpis quotidianis, quibus Deum offendimus. Et conuenit à gratijs ordiri: vt prius reddamus Deo honorem, tùm faciliùs veniam impetremus.

PVNCTVM I.

I. Gratiarum actio.

COMMEMORATIO beneficiorum, tum communium, tum peculiarium, & illius diei nominatim, cum humili gratiarum actione: consideratâ simul excellentiâ donantis & profuso amore: ex parte verò accipientis, propriâ indignitate. Igitur gratias agam, quia me crearit, redemit suo sanguine, vocauit ad fidem & gratiam, sibique me incorporare dignatus est; tum quia alit, vestit, conseruat, tueturque ab innumeris periculis corporis: multò autem magis, quòd ab animæ; & eam quotidianis inspirationibus ad bonum exsuscitat. Prouocabo Angelos & Sanctos ad laudandum Deum, gratiasque agendum.

PVNCTVM II.

Petitio gratiæ,

PETITIO gratiæ, ad cognoscenda diei deflenda peccata; quæ tripliciter est necessaria,
1. 1. Vt memoria iuuetur ad reminiscendum.
2. 2. Vt illustretur mens ad æstimandũ.
3. 3. Vt vrgeatur voluntas ad dignè detestandum. Hic est funiculus triplex, obliuio, ignoratio, torpor, quo teneri constrictus à diabolo homo solet, quò minùs se à peccatis expedire possit.

PVNCTVM III.

Examen.

EXAMEN & inquisitio commissorum. Vbi proponam mihi ante oculos Deum omnium inspectorem ac iudicem, qui *in lucernis scrutabitur Ierusalem*, vt dicit per Prophetam.

Sophon. 1.12

tam; occultiſsima quæque vel etiam minutiſsima in lucem producturus; quin iuſtitias ipſas iudicaturus; operaque bona, quæ ſæpiùs malis circũſtantijs deprauantur. In conſpectu igitur huius inſpectoris ac iudicis mei inquirã in omnes cogitationes, verba & opera; nec modò commiſſa, ſed omiſsa, neglectaque diſpiciam; ac de occultis, à quibus mundari Dauid flagitat, ſollicitus ero: num aliquid admiſerim per ignorantiam aliquam culpabilem, aut illuſionem Diaboli, perſuaſus, bonum eſſe, quod ſecus erat: vt cùm iram pro zelo ſum interpretatus.

Materiam examinis præbebunt, quæ de 7. vitijs, & decalogi præceptis, ſenſibuſque & potentijs ſuprà ſunt explicata. In examinando, per ſpatia diei ordine diſcurram: ſique boni aliquid reperero à me factum, humiliter Deo referam acceptum: de malis autem confundar, *& confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino*: paratus etiam confiteri Sacerdoti; non excuſando aut minuendo, ſed potiùs exaggerando cum veritate, ad maiorem meam confuſionem.

Materia examinis.

Pſal. 31. 5.

Pvnctvm IV.

Dolor de admiſsis quàm maximus concipiendus, qui procedat ex vero amore Dei, qui tantæ eſt efficaciæ, vt deleat peccata etiam mortalia, & in gratia hominem conſtituat: ac, ſi contingat, ea nocte mori, etiam ſopitum, ſufficiat ad ſalutem. Ita cùm

Dolor.

Psal 31. 5. diceret Dauid: *Confitebor aduersum me iniustitiam meam*, subiecit statim: *Et tu remisisti impietatem peccati mei*. Et obiurgatus idem à Nathan Propheta de homicidio & adulte-
2. Reg. 12. 13 rio, cùm pœnitens dixisset: *Peccaui Domino*: adiecit Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Tanta est vis veræ contritionis, & tanti refert ita se reconciliare Deo ante cubitum, cum proposito in tempore confi-
Antithesis. tendi, quod est necessarium. Iuuat ad excitandum hunc dolorem collatio primi & tertij puncti inter se; beneficiorum Dei, & redditarum à me offensarum. Item meditationes de peccatis, præsertim quinta suprà posita, & trigesima prima sequens.

PVNCTVM V.

Propositū. FIRMVM propositum deinceps non peccandi concipiam. quod vt firmius sit, occasiones sigillatim vitare proponam, per quas labi solitus sum. & quia sine Deo nil possumus, hunc obnixè obsecro, per filij sui sanguinem pretiosum. concludam autem cum recitatione Dominicæ precationis, præsertim in tribus vltimis petitionibus immorando, & cum Deo colloquendo.

MEDITATIO XXIX.

De examine particulari circa speciale aliquod vitium.

COMMENDATVR à Cassiano Coll. 5. c 14. & à B. Patre Ignatio modus traditur. Sic hostes faciliùs expugnantur, quando seiunctim inuadūtur, & ita egerunt filij Israël in expugnanda Palęstina.

Porrò tria tempora huic exercitationi assignantur; matutinum, pomeridianum, vespertinum, exemplo Dauidis: *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & exaudies vocem meam.* Psal. 54.18. Quid narraret, nisi miserias suas coram Deo effunderet? Daniel quoque *tribus diei temporibus flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq́ coram Deo suo.* Dan. 6. 10.

PVNCTVM I.

MANE, vbi vestes indui, hæc præstabo. 1. Mane examen. 1. Positis genibus gratias pro eius noctis quiete, & conseruatione à peccatis agam, tum, breui reflexione facta, dispiciam, si quid à vespertino examine peccatum sit, & deflebo. 2. Oblatio. 2. Intentionem puram Deo offeram circa omnes eius diei actiones; cupiens, & petens acceptari à Deo in vnione Christi meritorum; vt illis coniunctæ, reddantur acceptæ in conspectu Dei. 3. Propositū. 3. Proponam vitare omnem culpam; & speciatim, quam expugnandam suscepi. Hoc est videlicet, quod agebat Dauid: *In matutino interficiebam omnes peccatores* Psal. 100.8.

terræ:

terræ: mane & in tempore peccata præuer-
tere. quod propositum vt sit efficacius, iuua
ea breuiter præuidere ac recolere, in quibu
pro ratione status, & conditione mea plus su
best periculi; ad ea me præmuniendo certi
rationibus, cum diuina ope. Illud etiam pro
uectioribus in spiritu potest conferre, vt mo
lesta quædam, & ingrata sibi obijciant; a
eaque superanda, si contingant, seipsos ani
ment, atque obfirment, quò paratiores sin
ad euentus: imò optent sibi euenire, iuxt
Psal. 25. 2. illud: *Proba me Domine, & tenta me, vre re
nes meos, & cor meum: quia misericordia tu
ante oculos meos est*: quâ confisus, nihil me
tuo. Et si istud minùs mortificatis non es
semper vsui, quia possent deterreri, & in con-
traria impelli.

PVNCTVM II.

Examen meridianũ. ALTERVM tempus est meridianum Tunc, implorato lumine diuino, discu-
tiam, an & quoties deliquerim in speciali vi-
tio, quod persequor, ac pro numero & graui-
tate meipsum arguam inconstantiæ acrite
post tam seria proposita; & inquiram de mo-
do & occasione lapsuum, cum instauratione
propositi.

Christus crucifixus. Iuuabit ad se confirmandum, commemora-
re, Christum per id tempus cruci affixum
fuisse, & perseuerasse constanter plures ho-
ras in acerbissimis doloribus: sub idē etiam
tempus ascendisse in cœlum, laborum fructu

per-

erccepturum. Quâ vtrâque consideratione a
imari possum ad vincendum; dicamque Do-
nino : *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in me-* Cant.1.7.
i die, ne vagari incipiam post vestigia gregum,
rrationalium videlicet cupiditatum.

PVNCTVM III.

TEMPVS tertium examinis particularis Versperti
ante cubationem. Præstabo quæ in me- num.
idie; ac, si sæpiùs deliquissem, eò me acriùs
biurgabo, nō despondebo tamen animo, quia
septies in die cadit iustus. Prou.24.16

Similis collatio erratorum fiet inter diem Collatio.
& diem, & inter hebdomadas, vt constet fru-
ctus, & emendatio. Tandem proderit, quan-
docunque peccatur, tunsione pectoris, aut a-
lio signo semet statim corripere; nam sic re-
tinebitur meliùs numerus culparum, & cau-
tior reddetur homo à lapsu, & fiet, quod illic
dicitur: *Septies cadet iustus, & resurget,* quia Prou.24.16.
statim se colliget & resipiscet.

MEDITATIONES ANTE Confessionem Sacramentalem, & sacram Communionem.

QVONIAM ad parandam conscientiæ
mundjtiam (quod in hac parte medita-
tionum agitur) confert plurimum frequens
vsus & pius istorum Sacramentorum, de ijs
aliquas Meditationes visum est proponere.

MEDI-

MEDITATIO XXX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PVNCTVM I.

Pœnitentiæ excellentia. 1. QVOD eximium sit beneficium Dei, Sacramentum Pœnitentiæ. 1. Quia cùm solius Dei sit, peccata remittere, vt dicit ipse per Isaiam: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*; voluit tamen hanc potestatem cum hominibus communicare, perinde peccato obnoxijs & eiusdem Sacramenti ope indigentibus, vt peccatoribus animos adderet: quando ipsi Sacerdotes eadem laborant infirmitate, vnde compati possint. Contulit autem potestatem absque omni restrictione, aut exceptione vllius generis peccati, vel numeri culparum, si vel septuagies septies, quod est, vel si infinities homo peccauerit. Ex quo apparet bonitas Dei, quæ sic est prona & facilis ad ignoscendum, imò optat ignoscere.

Isa. 43. 25.

2. 2. Quòd Deus seuerissimum iudicium, quod post hanc vitam manet, commutauerit in hoc placidissimum Sacramentum Pœnitentiæ; modò vti velimus, iuxta Pauli sententiam: *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, quia, vt alibi dicitur: *Non consurget duplex tribulatio.* 3. *Hic est fons patens Domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutione peccatorū & menstruatæ.*

1. Cor. 11. 31
Nah. 1. 9.
Zach. 13. 1.
3.

PVN-

PVNCTVM II.

QVOD actus confitendi sit præstantissi- Actus vir-
mus ob adiunctas virtutes, quæ simul tu um con
exercentur. 1. Est fides, quâ creditur, talem fessionis.
potestatem hominibus datam esse à Deo, & 1.
quasi claues Regni cælorum. 2. Spes, quâ con- 2.
tra vsum aliorum tribunalium per confessio-
nem facti speratur absolutio à reatu. 3. Chari- 3.
tas, ex qua procedit dolor peccatorum; &
studium recuperandæ gratię, quâ inhæreamus
Deo. 4. Humilitas, in aperiendo secreta cor- 4.
dis homini, ad sui confusionem: vt velit ha
beri pro eo quod est peccator. 5. Obedientia, 5.
in exequendo præcepto, quamuis difficili, cō-
fessionis: subijciendoque se homini, paratum
ad facienda iniuncta. 6. Iustitia, quando ad 6.
satisfaciendum Deo pro offensis, personam
sumit ipsemet accusatoris, & testis, sententiæ-
que executoris. 7. Fortitudo in superanda 7.
vehementi inclinatione, ad occultanda ex-
cusandaque peccata: quod fecit Adam in pa-
radiso, & pro magno prædicat S. Iob: *Si ab-* Iob 31. 33.
scondi quasi homo peccatum meum. Imò, non-
nunquā plus requiritur fortitudinis ad seip-
sum in hac re vincendum, quàm fuerat neces-
saria ad præcauendum peccatum.

Hinc constat, humilem confessionem esse Meritum
opus magni meriti; prædictosque actus ma- confitendi.
gno feruore concipiendos esse: quò sit con-
fessio fructuosior. *Puer* ab Elisæo suscitatus
oscitauit septies: ita nos per hos septem actus, 4. Reg. 4. 35.

quasi

quasi totidem respirationes, recipimus vitam gratiæ. & æquum est, vt cùm in hoc Sacramento dimittantur peccata septem mortalia, & dona septem Spiritus sancti conferantur, vicissim Deo hosce actus totidem offeramus.

PVNCTVM III.

3. Fructus. FRVCTVS Sacramenti huius consierandi sunt, qui reduci possunt ad tres, de qui-
Rom. 14. 17. bus dicitur: *Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*
1. Iustitia. 1 Est *Iustitia*, hoc est, gratia sanctificans animam, gratamque Deo faciens, & constituens filium Dei. Cui adnexa est charitas, cæteraque dona Spiritûs sancti, virtutesque infusæ. Quòd si iam iustificatus ad Sacramentum accedit, recipit augmentum gratiæ: nam
Apoc. 22. 11. *qui iustus est, iustificetur adhuc.* 2. Est *Pax*;
2. par. vtique cum Deo, sed & ab alijs inimicis; qua-
2. Pax. les sunt ipsa in primis peccata, deinde dæmones, & passiones propriæ. Primos hostes, hoc est, peccata, penitus delet. Secundos fugat: quippe non sustinent dæmones, manifestari medico morbos animæ. Tertios subi-
Prou. 16. 7. git Spiritui, sicut ait Sapiens: *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Nempè tentationes & internæ difficultates occultatæ non sinunt animam quiescere: expositæ autem Patri spiri-
3. tuali remittunt impugnationem. 3. *Gaudium*
Gaudiũ. in Spiritu sancto, depulsâ nube tristitiæ; ex

acu-

aculeo conſcientiæ, & ſerenitate reddita ex teſtimonio remiſsionis peccatorum, & meliore ſpe ſalutis: quod experiebatur Dauid: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Ipſa oſſa reuiuiſcunt, quæ exſiccabit triſtitia. *Pſal. 50. 10.*

Ex horum conſideratione fructuum excitabo meipſum ad ſuperandas difficultates confeſsionis: tùm etiam ex eo, quòd Chriſtus tantò maiora præſtiterit, vt mihi veniam pararet peccatorum. Denique, quòd potuiſſet grauiora his mihi imponere, ad remiſsionem obtinendam, qui alioqui reus eram æternæ confuſionis: quare in me quadrat illud ſerui dictum ad Naaman: *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi, Lauare, & mundaberis?* *4. Reg. 5. 13.* *Ergò pro anima tua non confundaris dicere verum: Eſt enim confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* *Eccl. 4. 24.*

MEDITATIO XXXI.

Præparatio ad Confeſsionem.

ANTE iudicium Sacramentale inſtituam ego ipſe mecum iudicium de meipſo. *Actu Pœnitentis.* Vbi *Ratio* ipſa ſit iudex decernens de grauitate culparum, & ſeueram indicens pœnam. *Conſcientia* accuſator accuratiſsimus nihil indiſcuſſum relinquens. *Timor* autem diuini iudicij quaſi lictor me ad quæuis pr-

auertenda feueritate illius iudicij velut adſtringens, paratumque exhibens. Denique *dolor* ſit exactor pœnæ. Et eſt quod S. Gregorius ait: *Conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat.* Porrò iudicium hoc priuatum peragam, ſupremum iudicem Deum ante oculos conſtituens, inſpectorem totius meæ actionis: vt inde exſtimuler ad ſeueriùs procedendum aduerſum me, quod exoptabat S. Iob: *Quis tribuat, vt veniam vſque ad ſolium eius? ponam coram eo iudicium. & os meum replebo increpationibus.* Et Iſaias: *Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul.*

Iob 2,3.4.35

Iſa. 43. 26.

PVNCTVM I.

Sunt partes pœnitentiæ.

QVOD Deus voluerit, vt actus hominis ipſius, eſſent pars Sacramenti pœnitentiæ, vt qui noſtris actibus Deum offendimus, noſtris quoque, diuina ope, factis impetraremus veniam: quare conuenit, vt quàm exactiſsimè perficiantur, ſicut vniuersè monemur: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.* Sunt porrò tres, *Contritio, Confeſsio, Satisfactio*: quæ reſpondent triplici generi culparum, cogitationis, oris, & operis. pro ſingulis ſpeciatim implorabimus gratiam; pro contritione, à Spiritu ſancto, qui eſt amor, ex quo debet manare contritio; à Filio, pro confeſsione; vt qui eſt ſapientia, faciat me cognoſcere exactè omnia, & integrè confiteri; à Patre pro ſatisfactione; vt cuius eſt potentia, conferat fortitudinem ad exequenda opera

Eccl. 33.

Contritio.

Confeſsio.

Satisfactio.

pera satisfactionis, fructusque faciendos pœnitentiæ.

PVNCTVM II.

REQVISITA ad prædictos actus. Ac primò, ad contritionē non sufficit dolor ex metu seruili supplicij, qui vocatur attritio; sed debet ex amore Dei super omnia proficisci: qui vocatur contritio. Est autem contritio mensura gratiæ in Sacramento conferendæ, vt pro magnitudine contritionis, detur gratia maior vel minor. Ex quo intelligitur, quanti referat, dolorem esse quàm maximum. Ad quem excitandum iuuant allata superius Meditat. V. quibus addi possunt ista. Confusio qualis.

Similia.

1. Quòd si mater amarissimè flet super mortem vnigeniti, quomodo non ego super morte spirituali animæ meæ, vnicæ & dilectæ, quam ipse interemi, peccando? *Luctum*, inquit Ierem. *vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et verò planctus super filio est inutilis: iste verò super animam, reddit illi vitam. Nec solùm flendum, quia mihi perijt anima: sed quia perijt Deo, cuius inprimis erat. Ergò, *Domine, erue à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam.* 1. Vt mater vnigenitū. *Ierem. 6. 26* *Psal. 21. 21.*

2. De Christi morte est apud Zachariam: *Plangent eum planctu quasi super vnigenitum.* Ego autem, peccando, præbui occasionē morti eius: imò, *rursum mihimetipsi filium Dei* 2. Vt Christi crucifixū. *Zach. 12.*

crucifixi, & ostentui habui: Et quibus non lachrymis tantum facinus expiabo?

3\. Vt Sponsum amissum. 3. *Sponsa* mœret de amisso sponso, cum quo omnia amisit; & anima dolere satis vnquam poterit iacturam cælestis sponsi, omniumque, quæ sibi contulerat, charismatum? Viduata porrò caret etiam fructu prolis bonorum operum. quòd si istæ considerationes lachrymas amoris non eliciunt, accersantur aliæ, à seueritate diuini iudicij, & suppliciorum, quæ timoris lachrymas prouocent, vnde ad amorem fiat gradus.

PVNCTVM III.

Confessio 1. integra. REQVISITA ad Confessionem. 1. Propositum certum confitendi omnia, superata omni confusione. Nam, si pudore nunc vincaris, quomodo feres confusionem iudicij tremendi? &, cùm tua delicta perspecta sint Deo, vt quid refugis eadem ministro illius manifestare? præsertim, quòd manifestatio hæc est tibi ad vitam; non sicut illa *Achan*,
Iosue 7. 25. cùm iussus est *confiteri furtum, & dare gloriam Deo*, ob quod lapidatus est: sed qualis fuit Dauidis apud Nathan, à quo retulit respon-
2. Reg. 12. 13 sum: Et *Dominus transtulit peccatum tuum.* Quare expedit, vt confessio inchoëtur ab eo peccato, de quo mox erubescimus, nam velut *Goliat* prostrato, phalanges reliquæ facilè profligabuntur.

2\. Candida. 2. Propositum, cum omni demissione confitendi, vt sit confessio clara & simplex, absq;

excusatione sui, vel accusatione alterius: vt fecêre primi parentes: item absque diminutione peccati, vel etiam exaggeratione, quæ obstet veritati, in qua potest subesse superbia per ostentationem humilitatis.

3. Vt velit Confessarij monita patienter, libenterque audire, vt audiuit Dauid reprehensionem Prophetæ: ***Audi tacens, & pro reuerentia accedit tibi bona gratia.*** 3. Humilis. *Eccl.* 22.9.

Conferet ad hæc, intueri personam confessarij tanquam Dei ipsius; Deumque in illo interiùs, & exteriùs venerari: nam & ideò Sacerdos non vtitur verbis precatorijs in absoluendo; sed absolutæ potestatis: ***Ego te absoluo.*** O quanti istud salutis verbum comparari dignum est? & amittes tu ob leuissimum pudorem? Audi Sapientem: ***Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.*** Si manifestaueris: ***Omnium iniquitatum tuarũ non recordabitur*** Dominus. Sacerdos Dei Vicarius. *Eccl.* 20. 4. *Ezech.* 18.22

PVNCTVM IV.

CIRCA Satisfactionem. 1. Paratus ero præstare omnia, quę mihi fuerint à Confessario iniuncta, vel ad medicinam peccato faciendam, vel ad satisfaciendum Deo pro iniuria, nam cùm gratis mihi remittatur pœna æterna culpæ mortali debita, inque temporariam commutetur, conuenit, vt hanc tota voluntate suscipiam, sicut Dauid: ***Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu me-*** Satisfactio 1. Obediens. *Psal.* 37.18.

ſemper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

2. Memoria paſsionis Christi. 2. Iuuerit memoria acerbiſsimæ pœnitentiæ, quam Christus in paſsione ſua ſubiuit pro peccatis meis, ne pro magno mihi ſit, tantò minorem pro reatu me peragere.

Purgatorij. Confert etiam, pœnas purgatorij cogitare: quæ cùm grauiſsimæ ſint, licet eas nunc redimere minori multò ſatisfactione. quin hæc ipſa ſatisfactio acceptatur à Deo ad nouum augmentum gratiæ & gloriæ: quod purgatorij cruciatibus non eſt conceſſum.

3. Propoſitũ emẽdandi. 3. Neceſſarium eſt, ſerium propoſitum non peccandi in poſterum: ſine quo eſt contritio ficta, confeſsio ſacrilega, & ſatisfactio inutilis, & abſolutio inanis ab effectu: quin nec venialis culpa abſque ſimili propoſito remitti poteſt. Quamobrem, vt monet Ieremias, *Ierem. 31. 21.* *Statue tibi ſpeculam,* (explora peccata tua) *pone tibi amaritudines* (amarè illa defle) *dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti*: quod eſt, propone ex corde vitam tuam corrigere.

MEDITATIO XXXII.

Gratiarum actio pro beneficio abſolutionis.

Confeſsio laudis. *Oſeæ 14. 2.* DVPLEX eſt confeſsio; & peccatorum, & laudis diuinæ. conuenit autem, vt hæc illi ſuccedat, quod ſuadet Oſee: *Conuertere Iſrael ad Dominũ Deum tuum, quoniam corruiſti*

corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. En humilis confessio peccati, cùm ait; *Omnem aufer iniquitatem*; propositum autem emendationis ibi: *Et accipe bonum*; deniq; gratiarum actio sunt *vituli labiorum*. De qua etiam Dauid: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*: nempe gratitudo, pro accepta gratia, est via ad perfectam salutem consequendam. Ideò Christo tantopere placuit Samaritanus ille; qui cum alijs nouem à lepra mundatus, redijt vnicus ad gratias agendas. Vituli labiorum. Gratitudo.

Opportunum fuerit, in Ecclesiam se recipere, & coram venerabili Sacramento opus hoc peragere gratiarum, memorando dulce illud verbum ac potens: *Absoluo te*: quod *auditui meo dedit gaudium, & exultare facit ossa humiliata.* Constant autem gratiæ tribus actibus: agnitione beneficij, laude auctoris, oblatione certi operis in illius obsequium. *Psal. 50. 10.*

PVNCTVM I.

AGNITIO beneficiorum Dei in Sacramento pœnitentiæ præceptorum. 1. Quòd omnia peccata mihi condonauerit, etiam ea, quæ non fuerim confessus per obliuionem, aut ignorantiam inculpabilem. 2. Quòd animum pacauerit meum à passionibus internis agitatum. 3. Quòd à morte æterna, & ea, quam priuatio gratiæ, & amicitiæ diuinæ Beneficia Confessionis. 1. 2. 3.

 affert,

affert, me vendicauerit. 4. Quòd in misericordia sua præuenerit me, vt ritè obirem Sacramentum; auxiliaque nunc offerat opportuna ad vincendas tentationes, permanendumque in gratia.

5. Quòd *repleuerit in bonis desiderium meum*, donans gratiam & charitatem, virtutesque reliquas infusas; aut si aderant, nouis augens incrementis.

6. Quòd renouauerit, vt aquilæ iuuentutem meam, depositis actibus veteris hominis, alacremque reddens ad opera virtutum, & viam mandatorum Dei nouo feruore decurrendam.

PVNCTVM II.

CONFESSIO laudis pro iisdem beneficiis. Quadrat illud Canticum Dauidis:

Psal. 102. 1 *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius*: quod licebit percurrere. Orabo supplex, vt impleatur in

Isa. 40. 31. me illud: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut Aquilæ*, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.

PVNCTVM III.

OBLATIO operis pro beneficiis. 1. Præcipuum est cautio à recidiuo: quod monuit Dominus: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; ne, vt *canis reuertar ad vomitum*: aut locum dem *septem aliis spiritibus nequioribus: & fiant nouissima peiora prioribus*. Et est signum non se-

1. Recidiua cauenda. *Ioan.* 5. 14. *2. Pet.* 2. 22. *Luc.* 11. 26.

riæ pœnitentiæ, mox secutus lapsus; & tali conuenit illud: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius: sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Nec ideò tamen animum despondebo, *nam septies in die cadit iustus, & resurget.* Eccl. 24.30 Prou. 24.16

2. Implebo statim iniunctam pœnitentiam, aut, si minùs licet totam, saltem eius partem, cum affectu obedientiæ, & cum feruore amoris, cupiens multò plura præstare; dicamque cum seruo illo debitore: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* 2. Pœnitentia non differenda. Matt. 18.2

3. Comparabo me ad sacram Eucharistiam percipiendam, quo opere non est aliud efficacius ad gratiam referendã. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* 3. S. Eucharistiæ sumptio. Psal. 115.1

MEDITATIO XXXIII.

Præparatio ad sacram Communionem.

DE excellentia & fructu Sacramenti huius considerabitur in 4. parte; vbi de Institutione; & in 6. parte, inter beneficia. Nunc considerationes tantùm aliquæ proponuntur præparatoriæ ad Sumptum. *Dignitas visitantis, vilitas visitati, modus, finis.*

PVNCTVM I.

1. Excellentiç Diuinitatis Christi.

DIGNITAS visitantis. Perfectiones diuinæ in Christo considerandæ sunt, & quà est in se infinitus, & quà extra se est principium, finisque omnium; & cùm tantus sit, non fuit ei satis induisse carnem nostram, nisi etiam singulis sese hominibus corporaliter communicaret, & in eis sedem thronumque collocaret, quò accederemus cum fiducia misericordiæ consequendæ, auxilijque opportuni.

2. Humanitatis.

Deinde consideretur idē Christus, quà homo. Is est, qui in vtero Virginis conceptus moratusque nouem mensibus, Tabernaculum suum innumeris & amplissimis ornauit donis. Qui, adhuc ex vtero, sanctificauit præcursorem, eiusque matrem Spiritu sancto repleuit: quidni ad me veniens, & in me existens, pariter faciat suæ gratiæ participem? Is iam natus, & in præsepio locatus, adoratores suos Pastores & Magos magnis impertijt bonis: & qui ipsum intra me venerabundus excipio, exosculor, indonatus relinquar? Iam natu grādis obibat regiones benefaciendo & sanando omnes, & ad me ingressus non similia præstabit? Caro illa tot cruciata supplicijs, & sanguis ille per tormenta effusus pro salute mea, in Sacramento sumpta, non operabuntur in me salutis effectum? Hic est, qui spoliauit infernum, in cœlos ascendit, & sedet à dextris Dei, dans bona hominibus. Hic egit

[...]fficia [...]hristi.

mor-

mortalis *Magistrum*, *Medicum*, *Redemptorem*, *Pastorem*, & *Sacerdotem* pro me: haud dubiè talem se nunc quoque exhibebit animæ meæ, quando tam benignè ad eam ingredi non dedignatur.

Ergò ad illius me pedes prouoluam cum *Magdalena*, lauans eos lachrymis contritionis; cum *Syrophœnissa tangam* fiducialiter *eius vestimenti fimbriam*, vt sanus fiam. Immittam in latus manusq; eius manum meam & digitos, exclamans cum Thoma, *Dominus meus, & Deus meus.* Luc. 7. 38. Affectus. Matt. 9. Ioan. 20.

PVNCTVM II.

VILITAS visitati: Is est homo, ad quem diuertit Deus. O vile hospitium; nec vile tantùm, sed immundum & horridum. Lingua hominis, quâ primùm excipit Christum venientem, est vniuersitas iniquitatis; guttur, quo demittit, gurges, crapulæ, & sepulchrum patens, fœtorem omnem exhalans; pectus & interiora, quò inducitur, est sentina prauarum cogitationum & appetitionum. Vilitas hominis.

Talis est homo ex se, nisi tu, Domine, laueris illum, & ornaueris: & vel fuisse aliquando talem, sufficit, vt indignus reputetur fauore tam eximio visitationis tuæ: visitas tamen, & mansionem apud eum facis, & cænas cum illo. O, *inclina cœlos tuos & descende:* adduc tecum cælestium virtutum comitatum, quo adornetur thalamus animæ meæ, Psal. 14

Oratio. ad dignè te excipiendum. O *Spiritus* ſancte, & Sanctificator, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur, plenitudine gratiæ præparaſti; da, vt qui eundem Dominum excepturus ſum, ſi minùs pari, quod fieri nequit, puritate, ſaltem non indignè ſuſcipiam.

PVNCTVM III.

Modus. MODVS viſitandi hominem. Suffeciſſet, ſi modò ſe in Sacramento præſentem exhibuiſſet aſpiciendum & adorandum, vt olim ſerpentem æneum; vel ſummùm, ſi tangendum: vt virtus de illo exiens ſanaret nos ab infirmitatibus animæ ſpiritualibus. At voluit intimè nobis copulari, Manducari vult. & in ipſa viſcera peruadere; ideoque in cibum ſe tradidit. Et impletur hîc etiam illud: *Homo circumdabit virum*, complectitur *Ierem. 31.* enim Chriſtum, perfectum Deum & hominem; non brachijs, ſed intimis viſceribus, quoad ſacræ perdurant ſpecies diuini Sacramenti.

PVNCTVM IV.

Finis. FINIS viſitandi hominem, nempe vt ei ſpeciatim illa conferat, ob quæ mortalis olim venit in mundum. Itaque venit
1. 1. vt Saluator; quò pretium ſui Sanguinis
2. mihi communicet. 2. vt Medicus, ad tol-

len-

lendas ægritudines per opportuna pharmaca. 3. vt magister, ad instruendum & illuminandum. 4. vt Sacerdos; per hoc Sacramentum applicaturus mihi fructum sui cruenti sacrificij, 5. sicut nutrix, vt lactet me sua dulcedine, pacis osculum præbeat, sibique adstringat amplexu charitatis; impleaturq; illud sponsæ desiderium; *Osculetur me osculo oris sui*. Sed & alia similia licet cogitare: quòd veniat vt pastor, me requirens; vt defensor, ad protegendum; vt ignis, ad purificandum & accendendum cor meum charitate. 3. 4. 5. Cant. 1.1

Post hæc, vel potius inter hæc, dum singulas causas considero veniendi, vicissim necessitatem meam conferam: veluti, quàm indigeam Saluatore, medico, magistro, & reliquis? Hinc partim admirabor dignationem Dei, partim vota inflammata concipiam, fruendi tam multiplici bono. Admirabor: Nam quid opus erat ob eos fines sic se demittere? Elias & Elisæus super defuncti pueri membra seipsos contraxerunt; membra membris iungentes, vt illum ad vitam reuocarent. Sic se Dominus maiestatis in panis particulam restringit, vt vitam mihi reddat, & poterat id solo nutu facere. Quando autem venire ipse vult ad sanandum me, quî satis exardescam in illius desiderium? dicam; *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluum me facias. Vtinam dirumperet cælos, & descenderes: à facie tua montes diffluxerunt.* Elata corda amore liquescerent: *Rorate cæli desuper, & nubes* Propria gestas. Oratio.

pluant

pluant iustum. Hisce & similibus sententijs me accendam cupiditate participandi diuina mysteria, & in ipso puncto maximè communionis; nam his cibus, quò prosit, quàm auidissimè capiendus est. Sed & contemplatione tātæ puritatis & sanctitatis, ô velim purior esse astris, certè dabo operam, vt me à præcedenti communionem die ita mente & corpore custodiam, vt in nulla re vel leuissima delinquam: vt sicut à media nocte ieiunus esse ab omni cibo & potu debeo, ita sim à culpa ieiunus.

Puritas sui mentis.

MEDITATIO XXXIV.

De spirituali Communione.

SERVIT hæc communio præparationi 1. ad communionem Sacramentalem: deinde audiendæ Missæ cum fructu, nam sicut Sacerdos celebrans offert sacrificium in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs; & 3. ad propitiationem peccatorum pro viuis, & defunctis; & 4. ad impetranda noua dona, tū sibi tum alijs, totique Ecclesiæ: ita audiens Missam, potest ad eosdem fines Deo offerre, quod ibi peragitur. Item; sicut celebrans consumit Sacramentaliter oblationem, ita audiens potest spiritualiter manducare, & participare de oblatis per actus internos fidei, spei, & charitatis, dicente Domino: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet in æternum.*

Cōmunio spiritalis ad quid?

Ioan. 6. 35

PVN-

PVNCTVM I.

EXERCENDA viua fides circa hoc Sacramentum: quæ quatuor nititur quasi columnis. SAPIENTIA Dei: qua valet inuenire modos ineffabiles communicandi se mortalibus. BONITATE; qua propendet ad se communicandum. OMNIPOTENTIA: qua potest, quidquid vult. denique VERITATE, quæ mentiri non potest: reuelauit autem nobis, in hoc Sacramento verè tradere se ipsum in cibum ac potum.

Actus fidei 4. columnæ. 1. 2. 3. 4.

His nixa fides, renuntiansque sensibus, firmiter credit, verè & realiter sub illis speciebus contineri Christum Dominum, verum Deum & hominem, cum omni gloria, quam in cœlo habet: & sicut ibi diuinitatis suæ conspectu, & præsentia humanitatis, satiat, beatque sanctos: ita in isto Sacramento replere bonis animas esurientium. Expediens fuerit ad actuandum magis hanc fidem, percurrere perfectiones diuinas Christi sigillatim, tum etiam humanas, & quæ egit tulitque propter nos: eliciendo actus fidei circa singulas, quòd hic lateat ille immensus, omnipotens, &c. & ille pro me natus, passus, &c. & ille medicus magister, &c. qualia in præcedenti Medit fuerunt indicata.

Professio.

Profitebor quoque, me ita certò credere ac si præsentem Christum oculis cernerem; nec secus gaudere de hac latente ipsius præ-

sentia; proque ista dignatione æquè gratias agere.

PVNCTVM II.

Actus Spei. EXCITANDA certa spes percipiendi fructus promissos participantibus hoc Sacramentum, si vel solo desiderio illud sumam, quales sunt: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*; Et, *qui manducat meam carnem,* (Ioan. 6. 50 51. &c.) *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*; Et, *Sicut misit me Pater, & ego viuo propter Patrem: qui manducat me, viuet propter me.* Nam potentia Dei non est alligata Sacramentis: quin similes effectus conferre possit & velit, præsertim desiderantibus eos ardenter; cùm præcipuè non est opportunum, sumere ipsum Sacramentum, votoque saltem sumitur. Quare dicam cum Centurione: *Domine* (Centurio. Matt. 8. 8.) *non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea*; & cum pia muliere: *Si tetigero tantùm fimbriam* (Luc. 8. 44.) *vestimenti eius salua ero.*

Serpens. Quòd si aspectus ænei serpentis sanabat saucios: quid ni aspectus fidei in Saluatorem mundi multò magis animam sanet? Si sola vmbra Petri curabat omnes: vtique & deuota memoria huius diuini Sacramenti, quæ plus est, quàm vmbra.

PVNCTVM III.

Charitatis actus. EXERCENDI sunt actus charitatis, quibus vnimur Deo, & conueniunt huic ma-

ximè

ximè Sacramento quod eſt vnionis. Amabo igitur illas perfectiones Dei, quæ inprimis elucent in iſto Sacramento bonitatem, charitatem, potentiam, liberalitatem; viciſsim optans, me ipſi liberalem exhibere. Cupiam Deo inhærere perfectè, & ſine intermiſsione; eiuſque ſimilitudinem viuam per virtutum actiones in me exprimere; ac potiſsimum per idem cum Deo velle & nolle Velim ex animo, vt omnes Chriſtum in hoc Sacramento agnoſcant, & venerentur; atque diuitias in eo latentes participent, gratias agentes & benedicentes Deo pro tam eximio dono. Offeram me totum Deo, qui cùm in omnibus ſuis operibus mirabilis ſit, in iſto etiam ſummè amabilis. Proponam igitur amare illum ex toto corde, mente, anima, fortitudine, & viribus; tum quia per ſeipſum digniſsimus eſt, & omni amore maior; tum ob tam eximia beneficia, quibus præuenit nos.

MEDITATIO XXXV.

Gratiarum actio poſt Communionem.

MAGNI refert, benè vti illo tempore, quo apud nos Chriſtus demoratur poſt ſumptam Euchariſtiam, nam & tunc habet locum Chriſti ipſius dictum; *quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*, & illud Eccleſiaſtici conſilium; *Non defrauderis à die bono*, *Ioan. 9 5.* *Eccl. 14. 1*

& particula boni doni non te prætereat.

PVNCTVM I.

ides præ- ntiæ Chri i.

EXCITANDA primùm est fides ardentior præsentiæ Christi; & quòd ille talis, & tantus iam mihi adsit: quia verò Rex non venit absque comitatu, me circum Angelis vallatum intuebor, & perculsus tantæ Maiestatis reuerentia, confundar apud me ipsum, dicámque Domino cum S. Petro: *Exi à me, quia homo peccator sum*; vel cum Elizabetha; *vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me?* & illud, *Quid est homo, quia memor es eius?* &, ô *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum?* Atque isti humilitatis & reuerentiæ sunt affectus. Deinde excitabo affectus gratiarum, vel cū Seraphim & Cherubim *incessabili voce proclamans. Sanctus, Sanctus Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, hoc est, exercituum siue virtutum. Vel cum pueris Hebræorum: *Hosanna filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.* Vel cum tribus pueris in fornace inuitabo omnes creaturas, *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.* Licebit etiam sigillatim inuitare ad laudandum Deum nouem choros Angelorum, tum singulos Sanctorum choros, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Virginum, Viduarum, Sanctorumque omnium.

Luc. 5. 8. — *.2.3.* — *Psal 8. 5.* — *Psal. 8. 2.* — Affectus laudis. — *Isai. 6.3.* — *Matt. 21. 9.* — *Dan. 3. 52.* — nuitatio Sanctorū. — nimæ.

Quin meas ipsas potentias animæ, inter-

nas

nas externasque prouocabo ad glorificandum Deum. Vos oculi mei, quibus datum est cernere in hoc sacratissimo velamine Dominum Maiestatis; tu lingua, labia, palatum, pectus, quæ tactu illius sanctificamini; tu mens, voluntas, memoria, quas reficit hoc cæleste Manna; *& omnia, quæ intra me sunt, benedicite Domino, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula.* Psal. 102. 1 Dan. 3, 56.

PVNCTVM II.

POST affectus submissionis & tantæ laudis, me conuertam ad hauriendum fructum ex Christi præsentia, ac primò per amorem arctè illum complectar cum sponsa: *Inueni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Non mors, neque vita, neque creatura alia potest me separare à charitate Dei; quæ est in Christo Iesu Domino meo.* 1. Vnio cum Christo per amorem. Cant. 3, 4. Rom. 8. 38

Deinde *effundam in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntiabo*, sigillatim exponens necessitates meas spirituales, & vitia, à quibus maximè impugnor. & postulans ab eo remedium, qui medicus est; lumen à Magistro; auxilium à potente. & vt impleatur in me illud ad Zachæum: *Quia hodie huic Domui salus à Deo facta est.* Vrgebo autem instanter, ac velut Iacob cum eo luctans; *non dimittam, nisi benedixerit mihi.* 2. Miseriæ explicatio Luc. 19. 9. Gen 32, 24

(?)

PVNCTVM III.

Apoc. 3. 20. CONVENIT tanto hoſpiti munus aliquod offerre. Ille quidem dicit: *Sto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quare videtur cœnam expetere. Ille quidem ſua ſecum infert fercula, quibus animam paſcat, delitias ſpirituales: ſed & paſci vult à nobis. Apponam ergò ipſi, quod futurum eſt ei gratiſsimum. in primis cor meum: quòd & petit; *Fili, præbe mihi cor tuum.* Imò Domine, libens offero; accipe; & quia tuum erit, fac, ne deinceps quidquam in illud ſubrepat, quod alienum ſit à te. Sed & *corpus* meũ *offero, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem:* cupiens *mortificationem* tuam, bone Ieſu, *in corpore* meo *circumferre*, & ibi me præcipuè mortificare, vnde maximè impugnor.

[ob]latio [..]i. Prov. 23. 26. Roma. 12. 1. 2. Cor. 4. 10.

[El]eemoſy[na]. Præter has ſpirituales dapes, è re fuerit, Chriſtum ipſum in pauperibus paſcere, ſi facultas ſubſit. Religioſus autem vota ſua *paupertatis, caſtitatis*, & *obedientiæ* opportunè renouabit. Sed & aliquid peculiare offeram eo die perficiendum, quem in affectibus pietatis traducam, implens illud, *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: Et, *viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Et, *in fortitudine* cibi iſtius *ambulabo vſque ad montem Dei Horeb.* Orabo tā dem, vt poſtquam conſumptis ſacris ſpecie-

[C]ant. 1. 12. Gala. 2. 20. 3. Reg. 19. 8.

bus corporalem suam præsentiam subtraxerit, peculiari tamen protectione sua non me vnquam destituat, assiduam mihi sui ipsius memoriam iugiter ingerendo.

MEDITATIO XXXVI.

De Purgatorio.

SCOPVS huius Meditationis est excitare eos, qui in via purgatiua sunt, ad opera satisfactoria pro peccatis suis suscipienda, & viuat etiam, vt misertus animarum purgatorij, eas suffragijs nostris subleuare velimus Scopus.

PVNCTVM I.

QVOD Deus constituerit, vt homo quicunq; mortalis peccati reus, etiam post deletam culpam, & æternam pœnam condonatam, debitor maneat subeundi aliquam satisfactionem temporariam: quam si in præsenti vita non exsoluerit, persoluat post mortem, priusquam ad gloriam beatorum admittatur. Atque ad eam rem destinauit Deus locum in inferioribus terræ partibus, quò anima à proprio Angelo deducitur purganda. Circa hanc fidei veritatem suspiciam primùm iustitiam Dei; qui, quamuis liberaliter remittit culpam pœnamque æternam; tamen non relinquit prorsus peccatum impunitum. Vnde etiam in ipso Sacramento pœnitentiæ voluit satisfactionem aliquam iniungi à Sacerdote pro de- Purgatoriũ ad quid. Iustitia Dei.

licti modo. Verùm superexaltat misericordia iudicium; siquidem loco tantorum & sempiternorum suppliciorum, ad correctionem nostram, temporali contentus est animaduersione. Cooperabor igitur diuinæ iustitiæ; & libenter à me ipso pœnas exigam, quas ille constituit; parum putans, quod in hac vita perpetior, pro debitis in altera peccato meo æternis cruciatibus.

2. [...]uritas necessaria.

Deinde expendam, quòd si minùs nunc exsoluero debitum istud, erit mihi luendũ post mortem, quando diuina id iustitiâ postulat: & nemo, nisi planè omni debito solutus, atque purgatus in cœlum admittitur. Atque vtinam modò ita viuerem, vt nihil postea repurgandum superesset.

3. [V]enialia [t]ollenda.

Præterea considerabo, quòd non solùm reliquiæ peccatorum mortalium exsoluendæ sint, verùmetiam venialium; & quotidianarum culparum reatus, nisi pœnis voluntarijs in hac vita tollatur, erit in altera per ignem expiandus; sicut dicit Apostolus: *Et salui erũt, sic tamen quasi per ignem.* Ex qua re colligam, quantopere Deus omne peccatum detestetur, quandoque iustos & amicos suos ob leues culpas ad conspectum suum admittit; sed in dirum carcerem priùs macerandos, expurgandosque detrudit.

[1.] Cor. 3. 15.

PVNCTVM II.

[P]œnæ dam[n]i causæ.

QVOD in Purgatorio est pœna damni, dilatio nimirum Visionis beatificæ. Hāc animæ iustæ grauiter sentiunt, postquā à corpore

1.

pore solutæ puriùs intelligunt, quantum sit illud bonum, quo adhuc carent. *Vnde spes, quæ differtur, affligit animam.* Deinde charitas in illis animabus est expeditior ab omni distractione, quò feruntur in Deum intensiùs; sicq; est eis acerbior separatio à Dei visione. Quare intimis sensibus dicunt: ***Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.*** Tertiò anguntur ab ignoratione temporis, in quod earum liberatio differenda sit. nam etsi diuinæ se committunt voluntati; dura tamen est eis incerta expectatio præsertim dum considerant, olim se minùs fuisse sollicitas de videndo quàm primùm Deo; vt meritò nunc puniantur dilatione incerta, quandò maximè cuperent Deum videre. Postremò inde etiam cruciantur, quòd à Christi humanitatis conspectu, eiusque Matris, & à commercio reliquorum Sanctorum iucundissimo arceantur.

Prou. 13. 12

2.

Psal. 119. 5

3.

4.

PVNCTVM III.

QVOD in Purgatorio sit pœna etiam sensus à vero igne, qualis est inferni, & adeò, quàm noster sit, acriori. agit autem cruciatque, tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ à Deo supra naturam motus, ad animas ipsas excruciandas; sicque *velut aurum & argentum percolandas*, expurgandasque, vt Malachias loquitur. Neq; ibi est quòd à sensu doloris animam auertat, ac distrahat; sicut in hac vita complura sunt. Quare illa pœna putatur grauior omni alia vitæ mortalis, etiã quo-

Ignis Inferni & purgatori

Malach. 3. 3.

rumuis Martyrum, Christique ipsius. Ergo viuam, vt tali purgatione non sit opus.

7. Affectus timoris. Concipiam ex his tres affectus Primus esto timoris diuinæ iustitiæ, quando sic animaduertit in amicos vel ob leues culpas quos alioqui amat, & à quibus amatur. Ita vt maiori terrori sit ista animaduersio, quàm damnatorum in inferno: quod illi capitales inimici sint, & irreconciliabiles, isti autem dilecti,

2. Satisfactio. & electi. Secundò eliciam propositum satisfaciendi potiùs in hac vita, vbi mitiori pœnâ licet debitum soluere, & vbi satisfactio ipsa simul valet ad meritum gratiæ & gloriæ, quod in Purgatorio non habet locum. Proinde rogabo Deum, vt, quòd minùs sponte mea præstitero, ipse tribulationibus immissis suppleat, quò futuras pœnas præuertam.

3. Venialium fuga. Tertiò, exhorrescam etiam peccata venialia, quæ similiter in vita altera expiatur. Proinde super fundamentum, quod est Christus,

1. Cor. 3. 12. *superædificabo* non *lignum, & stipulas*, sed *aurum & argentum*, *& lapides pretiosos*: nam illa, vt ait Paulus, ignis exuret: *saluus* tamen fiet homo ædificans, *sed quasi per ignem*.

PVNCTVM IV.

1. Patientia animarum. EX parte animarum purgantium duo sunt consideranda. 1. quòd pœnas sustinent patienter, conformantes se diuinæ voluntati & iustitiæ, quam impleri in se gaudent. Ex quo discam aduersa patienter ferre, quæ mihi purgatorij ignis loco sunt, cùm alioqui mi-

nùs crucient, & conferant etiam ad meritũ, & à Deo ob eum finem immittantur, vt per ea satisfaciam pro debitis peccatorum. Denique cùm omnia, quæ Dei sunt, amabilia iusto sint, pariter eius iustitia. 2 Quòd animæ purgantes vehementer expetunt subsidia viatorum per opera satisfactoria, aliaq; suffragia. Quòd si crudelis haberetur, qui proximum igne fortuito circumuentum cerneret, &, cùm posset, non eriperet, quomodo excusari poterit fidelis, qui, quoad potest, animabus defunctorum in tali necessitate non succurrit? Cogitabo, quid mihi tunc fieri vellem, illudque similiter alijs præstabo. Et reddit Deus vicem, quia *misericordes misericordiam consequentur*; excitaboque alios, qui mihi subsidium ferant, cùm illuc pertigero. Quin animæ ipsæ, à nobis adiutæ, cùm in conspectum Dei venerint, gratas se exhibebunt, pro nobis Deum obsecrando. Denique licèt opus satisfactorium, quod animabus applico, mihiipsi detraham, quoad effectum satisfactionis, ea tamẽ spiritualis eleemosyna meritum & charitatem auget, compensatque iacturam. *Sancta igitur & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

2. Expetunt suffragia.

Matt. 5. 7.

Grata sunt erga nos.

2. *Matt.* 12. 12. 64.

(°°)

INTRODVCTIO SECVNDÆ PARTIS.
DE EIVS SCOPO.

QVONIAM meditationes viæ ILLVMINATIVAE (vti vocant) tres partes continent, nempè INFANTIAM, PRAEDICATIONEM, & PASSIONEM seu mortem Saluatoris, per quas tenditur ad viam *vnitiuam*, quæ in duabus postremis partibus potissimùm à nobis tractatur, in prioribus illis scopus meditanti propositus esse debet perfecta Christi Domini *imitatio*. Nam sicut supremus ille Rex ac capitaneus noster *venit in hortum* Ecclesiæ militantis, hunc scilicet mundum, in quo *meteret Myrrham* molestiarum & calamitatum, quas ab *infantia* pertulit, *cũ aromatibus* odoriferarum virtutum; proponeret item doctrinam suam tanto cum affectu ac gustu, quasi *fauum mellis* comederet, donec tandem vino amoris inebriatus, nudus in ara crucis expiraret, tãto desiderio amarissimum alioqui passionis calicem exhauriens, quasi *lacte* temperatum *ebiberet*; ita & nos tanquam amici carissimi eniti debemus, vt tria & his similia in vita nostra exprimamus: Vt 1. *metamus myrrham* mortificationis cum *aromatibus* virtutum, quò passionibus inordinatis edomitis, puritatem

Cant. 5. 1.

eius repræſentemus. 2. Mox excellentem ac planè cæleſtem eius doctrinam ruminantes tanquam *fauum* dulciſsimum *cum melle* virtutum eius heroicarum miſtum comedamus. 3. Demum *vino* perfecti amoris inebriemur admiſto conſolationum lacte, vt affectibus terrenis exuti, vel in ipſa cruce (ſi Deo ita placuerit) mortem ipſam ſubire pro eius amore non reformidemus.

Cùm verò ordinatæ caritatis gradus tres reperiantur, videlicet *inchoatæ, proficientis ac perfectæ*; eodem modo in hac meditationum viæ illuminatiuæ diuiſione tres ſunt partes, INFANTIAE, PRAEDICATIONIS ac PASSIONIS CHRISTI, totidemque fines, ad quos illæ diriguntur; ea tamen ratione, vt eæ meditationes, quæ de *infantia* ſunt, ad teneriorem quendam amorem, tanquam *Lac & Mel* diuinarum conſolationum, animos (Tironum præcipuè) deducant, quò faciliùs deinde ad heroicarum eius virtutum imitationem excitentur. Neque in hoc triplici fine conſiſtendum, ſed conandum inſuper, vt Chriſtum verum DEVM ac hominem, certa atque integra cognitione intelligamus, infinitam *perſonæ* illius dignitatem, atque inæſtimabiles diuitias & gratiæ Theſauros penetrantes. atque ex hac cognitione *ignis* ille amoris in *meditatione exardeſcit*, quò ad perfectam eius imitationem, velut inflammati rapiamur, donec in nobis fiat illud, quod S. Gregorius Nyſſenus de quouis Chriſtiano affirmandum dicebat, *Serm. de perf. form. hom. Chriſt*

vt *Christianus* sit *alter Christus*, humilitate, patientia, reliquisque virtutibus, quibus illius in nobis formam imprimamus.

Quod vti melius assequamur, perpendendę nobis erunt, in hisce meditationibus præcipuè circumstantiæ. 1. *Personarum*, quæ in eo mysterio sunt, excellentia, & interiores affectus. 2. Earundem *verba* & modus proferendi. 3. Earum *opera*, actiones virtutesq;. 4. Earum *perpeßiones* ac tormenta, vt ex singulis fructum aliquem spiritalem ad nos deriuemus. horum omnium imitationem, aliosque pios affectus (de quibus initio primæ partis dictum) in nobis excitemus.

[S.] Ignat. in [E]xerc. hebd. [2] & 3.

Et hęc omnia in quouis meditationum puncto seruanda erunt, sed præcipuè circumstantia personæ (v.c. Christi D. & B. Virginis) cō sideranda erit, vt illius amorem ac heroicas virtutes & intellectu capiamus, & vita ipsa imitemur. Quod vti melius assequi possimus, nō parum conferet prima meditatio, quę hic subijcietur de excellentia Regis nostri cœlestis, qui nobis ad imitandum proponitur.

FVN-

Part. 2. pag: 157
AVE GRATIA PLENA DNS TECV BENEDICTA TV IN MVLIERIB.
ET VND...
VENIAT MATER DOMINI MEI AD ME Luc.1.cap.
Gloria in altissimis Deo. Luc. 2. cap.
TVLERVNT ILLVM IN IERVSALEM VT SISTERENT EVM DOMINO Luc. 2. cap.
Fuge in Ægyptum Mat.2
POST TR...
...SEDENTE IN MEDIO DOCTORV Luc.2

FVNDAMENTVM SECVNDÆ PARTIS MEDITATIONVM.

De Christo Rege inuitante ad sui imitationem.

PVNCTVM I.

QVòD Christus datus sit nobis in Regem, quod cōfitetur ipse Psalmo 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion.* 1. Christus Rex. *Psal. 2. 6.*

I. Hoc Rege melior, aptiorq; dari nequiuit. nam qui est homo, vnde compati possit sui similibus; & DEVS, vnde opitulari: & quod ait S. Leo, *nisi Deus verus esset, non adferret remedium*; & nisi *esset verus homo, non præberet exemplum*. *Serm. 1. de Nati.*

II. Deinde considerentur in Christo omnes Regiæ virtutes: *Sapientia*, qua nouit indigentiam nostram; *Omnipotentia* ad subleuandum; *Misericordia* ad miserendum; *Bonitas*, vt velit; *Prouidentia*, vt studeat nobis consulere; *Liberalitas & magnificentia*, qua opes omnes, ac semetipsum impertit; *Iustitia & prudentia* in gubernando; denique *æternitas*: Regnum enim eius Regnum æternum, quod non corrumpitur. 2. Regiæ virtutes.

III. Comparetur hic Rex cum terrenis Regibus. Hi tributa imponunt, ille aufert; 3. Antithesis. *Isa. 10.*

imò

imò exſoluit ex proprio ære ſuorum debita: Iſti ſuos exhauriunt, vt ipſi abundent: ille egenus factus eſt, vt illius inopiâ nos diuites eſſemus; Iſti in regendo à recto ſæpè deflectunt, ignorantia, paſsione, aut malitia; ille nunquam, quippe infinitè ſapiens, iuſtus & bonus; Iſti graues leges imponunt, quas ipſi non ſeruant; ille ſuaues, præitque exemplo: Iſtorum Regna quamuis aurea, argentea, ærea, aut ferrea, tandem comminuuntur, quia baſi nituntur fictili; illius non erit finis.

2. Cor. 8.

Matth. 15.

Dauid. 2.

4. Affectus.

IV. Hinc varij affectus concipiendi; veluti gratiarum actionis ad Patrem pro tam noſtrî amante, & abſolutiſsimo Rege; gaudij & gratulationis, quòd liceat tali Regi familiarem atque intimum effici: quod apud mortales Reges tanti fit; deſiderij ac ſtudij, omnia exantlandi tanti Regis gratiâ.

PVNCTVM II.

1. Chriſti officium.

QVEMADMODVM hic Rex ſuos ſubditos alloquatur, & inuitet. I. ait: Decretum ſibi eſſe, iuxta æterni Patris præceptum, Dæmoni, Mundo, & Carni, vitijſque omnibus bellum indicere; vt, ijs debellatis, cæleſtem Patris Regiam triumphator obtineat. Porrò, qui ſequi ſe velint in hac expeditione, conformari ipſos debere ſuo Duci, vt cum illo ſimiliter regnent, iuxta illud, ***Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*** II. Ad ſequendum alliciunt iſta. 1. Vocantis dignitas, & mille nomina,

Ioan. 12. 26.

2. Motiua Imitationis.

quibus obstrictus ei sum. 2. Iustitia causæ: vt hostes infensissimos profligemus, cuiusrei vtilitas est potissimùm mea. 3. Exemplum Ducis: qui vt præiret, è cœlo venit; quique maiori iure, quàm Gedeon, aut Abimelech, illud requirere à nobis potest: *quod me facere videritis, facite.* 4. Promissio certissima victoriæ & coronæ: si per nos non steterit. 5. Denique secutura inde gloria Dei Patris, & ipsius Christi. His tanquam *funiculis Adam, & vinculis charitatis trahis nos*, ô Rex: ô si obsequamur! Iud. 7. 17. & 9. 48. Ose. 11. 3.

PVNCTVM III.

I. QVòD pauci sequantur Christum. Omnes quidem (vt ait D. Bernardus) Christiani volunt peruenire ad Christum; sed pauci ipsius vestigia sequi; quibus iurauit Dominus: *quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* Et quia *vocaui & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* II. Aliqui sequuntur, sed eminus, quo ad præcepta tantùm; vt ille adolescens, qui *tristis abijt*, cùm audiret à Domino: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni sequere me.* III. Alij per omnia Ducem suum sequuntur, posthabitis etiam concessis voluptatibus, diuitijs, honoribus, in voluntaria paupertate, castitate, & obedientia, qualem ille vitam amplexus est; quibus nunc *centuplum promittitur*, & in posterū *vita æterna*: quamuis non tam ob eximiam remunerationem;

Diuersitas sequentiū.
1.
Bern. ser. 21 sup. Cant.
Luc. 14. 24
Prou. 1. 24
2.
Matt. 19. 21
3.
Matt. 19. 29

quàm ob immensum debitum, quo obstringimur, amandi hunc Regem, eique modis omnibus inseruiendi, id præstari conueniat; &
Eccl. 23.38. quia, vt ait Sapiens, *gloria magna est sequi Dominum*; eoque maior, quò propiùs sequimur, satagentes illud implere; *Perfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est*; & adeò, sicut Rex noster, quem Pater nobis ad imitandum proposuit. Qui autem specialiter ad hoc vocati non sunt, promptum nihilominùs animum, studiumque suum offerant; v-
Matt. 5.48. Psal. 107.2. surpantes illud, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* IV. Sunt alij, quibus satis non est, ita Christum sequi, nisi alios quoque ad idem pelliciant, ac *conuocent*, vt est in Pro-
Prou. 9.3. uerbijs; *Ad arcem* Christianæ perfectionis. quales sunt Religiosi illi, quorum est institutum Apostolorum instar non modò saluti & perfectioni propriæ, verùm etiam proximorum incumbere.

MEDITATIO I.

De Decreto Diuino Incarnationis VERBI, pro reparatione Hominis.

PVNCTVM I.

1. Decretum. QVÒD Deus ab æternitate statuerit humanum genus in Adamo lapsum reparare, tum misericordiâ diuinâ tum, miseriâ nostrâ id flagitante.

I. Con-

I. Condiderat ad imaginem suam tum Angelos, tum homines; sed cùm ex illis plurimi peccassent, voluit in eis iustitiæ suæ seueritatem exercere; in his autem misericordiæ diuitias ostendere: Quod ex parte Dei suadebat ipsa misericordia, quia cùm in Angelis peccantibus exercuisset iustitiæ seueritatem, decebat ipsum in homine saltem misericordiam exhibere: quæ maximè apparet in condonatione peccatorum, ne iustus tantùm, & rigidus, nulloque modo misericors haberetur. I. Angelis iustus. Hominibus misericors.

II. Ex parte verò hominis misericordiam Diuinam prouocabant duæ causæ. 1. Quòd aliena vnius culpa reliquos infecerat, & reos constituerat, absque propria singulorum voluntate: Et quòd non pauci, sed totum genus humanum interibat; mundusque istæ causâ hominis creatus frustrabatur penitus suo fine, dum nulli prorsus hominum ad salutem consequendam vsui erat futurus. Non conueniebat autem, vt Deus totum suum opus, omne scilicet genus hominum, interire sineret, prouidentiamque suam circa mundi conditionem proposito fine vniuersè fraudari. Quare ad misericordiam diuinam inflectendam nos etiam illa duo efficaciter allegare possumus; & quòd culpa aliena *in peccatis cōcepti*; & quòd *opus manuum Dei* simus. *Nihil enim odisti*, Deus, *eorum quæ fecisti*, *& operi manuum tuarum porriges dexteram* 2. Causa, quòd homo Diaboli fraude inductus est. Is II. Causæ: 1. Aliena culpa. Psal. 50 6. Psal. 137 8. Sap. 11. 25. 2. Serpentis tentatio.

enim, cùm in Deum nihil posset, à quo fuerat damnatus, iram suam in Dei imaginem conuertit. Quare hominis causam Deus vt suam suscepit, ne Malignus contra Deum gloriaretur, quasi in Deum egregiè vltus, dum ab eius obsequio hominem abalienasset; sicque statim Deus ipsi denuntiauit fore, vt qui mulierem deceperat, à muliere vinceretur: *ipsa conteret caput tuum.* Et quia eodem liuore nunc etiam impetimur à dæmone, licebit ad Deum similiter clamare: *Exurge Domine, iudica causam meam.*

Gen. 3. 15.

Psal. 37. 22.

PVNCTVM II.

QVÒD DEVS Pater, ad remedium peccati, ipsum Filium suum voluerit incarnari. I. Habuit alios modos: vel per mediam condonationem; vel si per modum satisfactionis, potuit creare hominem peccati expertem; vel per aliquem Angelorum salutem afferre: sed elegit, quod optimum: non enim alius reparator aptior, non medium efficacius, non Redemptio copiosior reperiri potuit: vt *vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.*

I. Optimum medium Satisfactionis.

Rom. 5. 20.

II. Confer culpam hominis cum remedio. Ille superbiuit, Diuinitatem, scientiamque Dei affectauit; *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*: quo meruit cum tota stirpe deleri in perpetuum. Contrà verò Deus, in remedium abijcit sese: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem*

II. Antithesis.

Gen. 3. 5.

Philip. 2. 6.

homi-

hominum factus : vt homo gloriâ & honore coronetur, imò fiat Deus, in Christo quidem per vnionem Personæ, in reliquis vero per gratiæ adoptionem. Prorumpam igitur in laudes tantæ bonitatis, Moysis verba vsurpans: *O Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax; qui custodis misericordiam in millia; qui aufers iniquitatem & scelera, atque peccata, nullusq́; apud te per se innocens est.* Venerabor tanti mysterij Maiestatem, facie pedibusque more Seraphin obuelatis, cumque iisdem clamans: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, plena est omnis terra gloria eius.* *Exod. 34. 6.*

III. Gratias agam pro tam stupenda adinuentione, qua, vilitatē assumens meam, suam impertijt celsitudinem. Discam meipsum abijcere propter eum, qui se ita abiecit propter me; & æmulabor charitatem, qua summum, quod potuit, fecit mea causa; & vicissim quicquid sum, & valeo, ipsi reddam, nec sic quidem satis meo debito facturus. Et postquam Deus me tanti fecit, cauebo ne degenerem. III. Gratiarum actio. *Leo Serm. 1. de Natiu.*

PVNCTVM III.

QVOD Deus isto facto omnes diuinas perfectiones insigniter expresserit. 1. Bonitatem infinitam, dum summè se homini communicauit vnione hypostatica, qua totum genus humanum fit Deo agnatum. 2 Charitatem, quia non potuit nobis maius bonum velle, neque magis illud velle: siquidem, vt illud Virtutes. 1. 2.

assequeremur, Filium suum vnigenitum dedit, quo vicissim facto voluit, nos vnum secum facere charitate. 3. Misericordiam; qua
3. vt subueniret nobis, miseriarum nostrarum capax fieri voluit, & particeps: vnde etiam *disceret compati infirmitatibus nostris, tentatus per omnia absq; peccato.* 4. Iustitiam, quam
4. cùm negligi non oporteret, transtulit in se debita nostrorum peccatorum: in eo summè misericors, quòd per rigidam iustitiæ exhibitionem voluit nobis esse misericors, sibi rigidus.
5. 5. Sapientiam in concilianda iustitia, & misericordia; in copulandis rebus tam dissitis, Deo & homine; æterno & temporali; passibili & impassibili. 6. Omnipotentiam, quia
6. hoc est diuinorum operum maximum: VERBVM CARO FACTVM. 7. Sanctitatem o-
7. nem atque virtutes, quarum viuum exemplar constituit in Christo, vt nos ad imitandum prouocaret.

MEDITATIO II.

De infinita Dei charitate, quæ elucet in mysterio Incarnationis; & de fine illius.

Ioan. 3.16. MATERIA huius Meditationis sumetur ex verbis Christi: *Sic* DEVS *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

PVN-

PVNCTVM I.

QVIS dilexit,& quē? I. Deus dilexit,qui nullius indigēs extra se, nec amare opus habuit aliquid extra se, seipso infinitè beatus. amauit igitur me ex mera gratia. II. Dilexit autem mundum, hoc est,peccatores, contemptores ipsius Maiestatis. In hoc commendat charitatem suam ; quòd cùm inimici essemus, ita dilexerit. III. Conferam, quam sint diuersa Dei & hominum studia : illius, in diligendo ; hominum, in posthabendo illius præcepta , & tam eximiam charitatem. Applicabo hæc omnia ad me sigillatim. quòd ego sim ille, ita à Deo dilectus ; & ille vicissim, ita in Deum ingratus.

I. Deus dilexit.

II. Mundum.

III. Antithesis.

PVNCTVM II.

QVANTVM dilexit. *Primò* ex dono intellige : vt Filium suum vnigenitum daret. Amor Dei erga creaturas non verbis constat, sed factis : & quò plus quemquam diligit, maiora ei præstat. Quando igitur summum quod habet, mundo donat , infinitè illum amat. Exaggeratur iste amor, si consideretur , in qualem tam eximium donum conferatur, in mundum ingratissimum ; qui pro dono reddit Deo omne genus flagitij & offensæ. O, reddam ego meliorem vicem Deo meo, quidquid sum & valeo ; idque *non verbo aut lingua , sed opere & veritate.*

Quanta dilectio.

Mundus ingratus.

Ioan. 3. 18.

PVNCTVM III.

Causæ dilectionis. Ioan. 3.16.

QVARE ita dilexit, vt incarnaretur Filius Dei? nempe, vt *omnis qui credit in eum non pereat: sed habeat vitam æternam.*
1. I. Vt liberemur ab interitu, hoc est, à peccato, quod est mors animæ, & à seruitute Diaboli, & à gehenna æterna.
2. II. Vt vitam gratię
3. & gloriæ adipiscamur. III Nemo à participatione tanti fructus excluditur. ait enim:
Ioan. 3. 16. *Omnis qui credit*, vtique fide viua, *quæ per dilectionem operatur.* Hinc collige triplicē quasi finem Mysterij Incarnationis. 1. Vt patefaceret nobis Deus thesauros suæ bonitatis, potentiæ, aliarumque perfectionum, vt in prima meditatione huius Partis est ostensum. 2. Vt liberaremur ipsi à tantis malis. 3. Vt cū Deo æternum regnaremus. Hoc quasi triplici funiculo deuincit nos sibi Deus, vt ipsum toto corde redamemus, tum, quia ob infinitas suas perfectiones dignissimus est; tum, quia est salus, redemptio, beatitudo & corona nostra.

Tres fines Incarnationis. 1. 2. 3.

MEDITATIO III.

Pro Festo Concept. 8. Decem.

De electione Matris, ac eius Conceptione.

PVNCTVM I.

Cur Deus ex Matre.

VOLVIT habere Matrem, cùm potuisset corpus iam perfectum sibi assumere, vt dedit Adæ. causæ potuerunt esse istæ.

1 Vt vtrumq. sexum insigni honore afficeret: virum, ex sumptione naturæ; fæminam, ex ea carnē accipiens. videlicet propter omnes venit, & ita voluit etiam fæminam huic mysterio cooperari. 2. Vt, quia nobis (vt ait D. Bernardus) vnus vir, & mulier vna, vehementer nocuêre, per vnum nihilominùs virum, & mulierem vnam, omnia restaurentur. 3. Vt nobis loco Matris esset, & apud Filium aduocata. nam is etiam Deus est, & Iudex, & eatenus timendus. 4. Vt infans factus, & subditus Matri, subiectionis nobis præberet exemplum. 1. 2. 3. 4.

PVNCTVM II.

QVÒD hanc inter mille elegerit, non ob eius propria merita; sed potiùs, quia in Matrem elegit, ideò in eam contulit tot illa, tantaque ornamenta, quibus digna Dei Mater ffiiceretur. Electio Matris gratuita.

Gratulabor ipsi, ac beatam dicam: quia fecit ei magna, qui potens est.

PVNCTVM III.

ELECTIO DEI Matris est planè singularis: vnde etiam dicitur Electa, vt Sol; quasi vnica inter creaturas, vti vnicus est in mundo Sol. quòd igitur vniuersè de electis dicitur, *elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*: id singulariter in Dei Matrem conuenit. I. Electa est, vt esset Sancta, vt, quæ editura erat Sanctū Sanctorū, esset quoq; ipsa Sancta Sanctorū. II. E- Singularis. Ephes. 1. 4. Electa. I. Sancta.

II. Immaculata. lecta est, vt immaculata esset, & supra omnes pura; vt quemadmodum Christus, quà Deus, Patrem habet ipsum puritatis fontem; ita & quà homo, purissimā haberet Matrem. III. III. In conspectu Dei. Electa est, vt talis esset in conspectu Dei, nō foris tantùm, & ad oculum: sed intenta semper, vt Deo placeret. Nec id solùm; sed etiam in conspectu incarnati VERBI, cui erat materna obsequia exhibitura. IV. In Charitate. IV. & postremò, Electa est in charitate, qua nimirum à sanctissima Trinitate supra omnes creaturas dilecta fuit. A Patre quidem, quòd Mater esset futura vnigeniti Filij sui; à Filio, quòd sua ipsius Mater; à Spiritu sancto, quòd ipse obumbraturus esset Matri Virgini, Dei Filium cōcipienti.

PVNCTVM IV.

Priuilegia conceptionis B.M.V. CONCEPTIO B. MARIAE. Quando venit plenitudo temporis, concepta est B. MARIA, qualem esse Matrem Dei decebat, & qualem potuit Sapientia Diuina sibi Matrem præparare, quatuor imprimis insignitā prærogatiuis. I. Immaculata. I. Concepta est absq; labe originali, quia id Filio Dei, ex ea nascituro, debebatur. Nec ideo nō est B. Virgo per Christum redempta: nam, cùm duo sint redemptionis bona, vel à peccato mundari, vel, ne illud incurras, præseruari; istud est pręcipuum, perfectissimaq; redemptio. Pręseruata autē est à peccato, dum felix illius anima præuenta est infusione Diuinæ gratiæ, & charitatis, ne ipsa corpori infusa, ex carne ab Adamo proseminata,

culpam

culpam originalem contraheret. II. Omnis mali fomitis & concupiſcentiæ expers fuit; quales primi parentes conditi ſunt, quòd poſterior Eua non debuerit eſſe inferior priore, cùm creata eſt; vt nec ſecundus Adam inferior extitit primo; ſed tantò ſuperior. Et præſeruatio ab Originali culpa hoc poſtulabat, vt rebellione carnis, pugnaque cum Spiritu careret; quantò hæc pugna præcipuus eſt effectus culpæ Originalis, à qua Dei Mater fuit exempta. III. Confirmata fuit in gratia vt ab ea excidere nunquam poſſet per lethale peccatum; nec verò per veniale de charitatis feruore remittere. Quin ita in Deum ordinata fuit illius charitas, vt in actionibus ſuis omnibus id ſemper ageret, quod optimum, Deo que maximè gratum eſſe intelligeret: quæ eſt perfectio beatæ vitæ. IV. in ipſo conceptu tãta ei copia gratiæ habitualis, cæleſtiumque chariſmatum donata eſt, quanta nulli alij, etiam Angelorum, contigit; imò quam vel acceſsione inſignium meritorum nemo potuerit æquare. quòd ſi talis concepta eſt, quantum erit illud gratiæ, quod excellentiſsimis ſuis promeritis per omnem vitam accumulauit? quantum porrò gloriæ, tum gratiæ primùm infuſæ, tum reliquis vitæ meritis reſpondens? vtique immenſum gloriæ pondus ſortita eſt. Nec vanum eſt, quòd tantâ illam gratiâ præuentã dicimus, præ omnibus etiã cæleſtibus, quãtò præ omnibus tantò differentius nomen hęreditauit, vt Mater Dei nominetur, & ſit.

II. Sine fomite.

III. Confirmata.

IV. Gloria pleniſsima.

MEDITATIO IV.

Pro festo Natiuit. 8. Sept.

De Natiuitate & Vita B. Virginis vsque ad Annuntiationem.

PVNCTVM I.

Natiuiras B. V. gaudiosa.

NATIVITAS eius gaudium attulit vniuerso Mundo. ipsa Trinitas sanctissima gauisa est, quando illa nata erat, per quam exhibere Mundo gloriam suam, salutemq́; nostram operari decreuerat. Ipsi Angeli in cælo, Patresque in lymbo, & in terra iusti credi possunt inusitato lætitiæ sensu fuisse à Deo perfusi, quamuis eius causa non esset omnibus perspecta. Nimirum vt aurora solet prænũtiata solis exhilarare animos, ita MARIAE ortus Mundum lætificauit. quòd si multi in Natiuitate Præcursoris gauisi sunt, quantò maior in Natiuitate Genitricis Dei fuit causa gaudendi! Porrò est quædam eius Natiuitas spiritualis, cùm peculiaris quædam deuotio erga Dei Matrem in corde nostro oritur, signum haud dubium appropinquantis ad nos Iustitiæ solis: adeò, vt B. Anselmus non dubitet affirmare, eam deuotionem, signum esse æternæ prædestinationis, ipsa Dei Matre impetrante nobis certa salutis media. O Virgo potentissima, *in electis tuis mitte radices.*

Eccli 24. 13.

PVNCTVM II.

NOMEN ei impositum MARIAE: Credibile est, diuino instinctu, nam & variæ eius nominis notiones aptè significant huius puellæ excellentias. I. exponitur stella maris, & est MARIA faustum sidus mare huius seculi nauigantibus. II. Mare amarum, est MARIA pelagus gratiarum, in quam omnes, tanquam in mare flumina, confluxerunt, quia & a maritudinibus redundauit, *cuius animam pertransiuit gladius*. III. DOMINA & EXALTATA, vtiq; domina suarum appetitionum. Item Angelorum, quia super omnes exaltata. imò si ita loqui fas est, etiam Dei ipsius, quãdo Christus *ei subditus erat*. IV. ILLVSTRATA, siue ILLVSTRANS: nam & sibi & alijs lumen accepit, quæ Apostolorum Magistra meruit appellari. ô Maria, *oleum effusum nomen tuum*, illuminans, sanans & exhilarans.

De nomine B. V. M.

I.

II.

Luc. 2. 35.

III.

Luc. 2. 51.

IV.

Cant. I. 2.

PVNCTVM III.

TRIENNIS præsentatur in templo. I. voluit Deus eam ab infantia sibi dicari, & quasi in domo Regia educari, quam filio suo destinauerat sponsam; quam velut inuitans, ait: *Audi Filia & vide: obliuiscere populum tuum & domum Patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum*: Obaudiuit Virgo ac libentissimè obsecuta est; tum parentum voluntati, quia, Deo inspirante, illam præsentare Diuino ser-

Præsentatio B. V. 21 Nouemb.

I.

Psal. 44. 11.

no seruitio voluerunt; tum diuino instinctui, interiùs eam mouenti. nam & rationis vsum iam tunc habuisse (si non antea ex vtero Matris, sicut Ioannes) credendum est. Felices, quos Deus tempestiuè accipit à speculo malo.

II. II. Consideranda pietas parentum Ioachimi & Annæ, qui, obsequentes diuinæ inspirationi, Filiam vnicam obtulerunt, vt Anna altera
1. Reg. 1. 28. Samuelem; postquam ablactatus fuisset. offeram & ego me, libertatē & amorem omnem.

III. III. Puellæ promptitudo & feruor. *Lætata,*
Psal. 121. 1 inquit, *sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domū Domini ibimus.* Ingressa templum, alacriter gradus conscendit, per hoc innuens, quanto feruore ad culmen perfectionis ferebatur; vt
Psal. 83. 6. ei optimè conueniat illud: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Superatis gradibus, humi prosternitur, & ipsa semet penitus Deo offert, & consecrat; non ad tempus, vt aliæ Virgines solebant: sed in perpetuum. Ascendit oblatio in conspectu Dei, in odorem sua-
Gen. 8. 21. uitatis, *odoratusque est Dominus odorem suauitatis: & ait: Veni sponsa mea,* ponam in te thronum meum, in te habitabo.

PVNCTVM IV.

Vita B. V in templo. VITAE ratio in templo. I. Proficiebat ætate & spiritu, quasi lux splendens, &
I. Creuit. crescens vsque ad perfectam diem. 1. per singulas actiones augebatur charitate & gratia.

2 sin-

2 singulas faciebat omni contentione & studio possibili 3. discretè & constanter operabatur. 4. pios vbiq; affectus miscebat, & quasi condiebat quascunque actiones. Quare admirati Angeli dixisse videntur, *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* quæ non retrocedit, sed crescit semper; *pulchra, vt luna?* plena gratiæ; *Electa, vt sol?* non habens parem; *Terribilis, vt castrorum acies ordinata?* omnibus instructa virtutibus, sub regimine inuictæ charitatis? II. Consideranda sunt exercitia illius mentalia, quæ comparari possunt scalæ Iacob: gradus autẽ fuerũt: *Lectio, Meditatio, Oratio*, & *Contemplatio.* Lectioni Sacræ Scripturæ insistebat; lectã, meditãdo ruminabat tũ orationes feruentissimas ad Deũ fundebat: & denique per contemplationem Deo inhærebat, liquidissimas hauriens voluptates. Sic ascendebat Beata illa anima; sed & descendebat ad opera manuum in vsus templi: inter ipsa autem opera à Deo nunquam recedens. Porrò Angeli etiam ipsi ascendebant & descendebant: quia solent sic occupatos sua visitatione consolari, ferreque in cœlum preces.

2. 3. 4. *Cant. 6. 9.*

II. Exercitia mentalia B. V.

PVNCTVM V.

VIRGINITATEM vouet, videlicet cupiens quàm maximè placere Deo, & tota ipsius esse; planè non cogitare, quæ Mundi sunt. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* conclusus & commu-

Vouet Virginitatẽ.

Cant. 4. 12.

nitus

nitus per votum, vt nulli pateat accessus, præterquam sponso? vnde illud: *quomodo fiet istud?*

Luc. 1. 34.

PVNCTVM VI.

Desponsatur.

NIHILOMINVS desponsatur Viro, præscia diuinitus, voto suo id nihil obfuturum: voluit ita Deus. 1. vt mysterium celaretur diabolo; dum putaret; Mariam more aliarum concepisse. 2. ne haberetur adultera, cùm peperisset. 3. vt haberet vitæ solatium, & auxilium in educatione filij.

1.
2.
3.

PVNCTVM VII.

I. Desideria incarnationis.

I. DESIDERIA incensa aduentûs Saluatoris. Solet Deus eximium aliquid collaturus, desiderium eius excitare, quo præparetur animus. II. Deinde charitas Virginis, qua ferebatur in Deum, accendebat desiderium videndi illum in terris conuersantem, vt in Canticis: *quis mihi det se fratrem meum, sequentem vbera Matris meæ,* (factum hominem) *vt inueniam te foris, & deosculer.* III. præterea vrgebat illam Zelus diuinæ gloriæ, à cuius notitia & obedientia totus mundus aberrabat, nec non cura salutis humanæ: vt proinde voces illas Patrum asiduè vsurparet: *Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos,* &c. *Et salutare tuum da nobis. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

II.

Cant. 8. 1.

III. Zelus.

Psal. 79. 3. & 84. 8. Isaia. 45. 8.

MEDITATIO V.

De tempore exhibitæ Redemptionis.

PVNCTVM I.

CVM homo peccasset, & mortis sententiam Deus in illum ferret, misericordiæ recordatus, statim ei remedium promisit, per semen mulieris, quod est Christus. Magni interest, vt, qui lapsus est, continuò resipiscat: dum autem futurum Mediatorem Deus promittebat, ad pœnitentiam ex reconciliationem iam tunc inuitabat, nam in fide venturi iustificari statim potuerunt.

Promissa redemptio

PVNCTVM II.

QVAM opportunitatem Deus captat sui consilij exequendi. Attollam oculos in personas Diuinas decernentes, sicut olim: *faciamus hominem*: ita iam, subueniamus lapso. Dein, conuertam me ad homines in terra degentes, omni flagitiorum genere coopertos, cum summa veri Dei ignoratione: imò etiam sibi diuinitatem arrogantes, & ipsum quoque Dei populum, planè moribus corruptum, itaque affectum, vt non esset venientem Saluatorem recepturus; sed ei potiùs necem illaturus. Atque hoc mundi statu, vt veniat, decernitur; quasi captata occasione, vt per improbitatem sui populi neci datus, hanc ipsam verteret in remedium, quod & factum. Vide

Opportuno tempore.

charita

charitatem, non auersantis peccatores: vide misericordiam, tali modo subuenientis.

PVNCTVM III.

Causæ dilationis. 1. 2.

CVR non venerit ab initio. Duæ sunt causæ. 1. vt morbo inualescente, magis appareret necessitas remedij, ac medici virtus. 2. vt magis desideratus veniret, plurisque fieret beneficium. Gratulabor mihi, quòd me viuere contigerit, postquam exhibitus est, vt participare valeam copiosiùs de plenitudine illius.

MEDITATIO VI.

Prò Annunc. B. V. 25. Martr.

De missione Gabrielis, & Salutatione Virginis.

PVNCTVM I.

S. Trinitatis legatio.

I. EXPEDITVR legatio ad Virginem. I. *Deus* mittit summa dignatio. *quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.*

Psal. 85.

II. Mittitur *Angelus* Gabriel, cuius notio nominis est, *Fortitudo Dei*, quasi, quòd nunciaret, quamuis difficile, Dei virtute perficiendum foret: apud quem *non est impossibile omne verbum.*

Luc. 1. 37.

III. Mittitur ad Virginem, non celebrem mundo, sed fabro desponsatam, in ciuitate ignobili.

IV. summa legationis, vt velit esse *Mater Dei.* Etsi Deus potest, quiduis iure suo à creatura requirere, vult ta-

men

nen obsequium nostrum esse voluntarium, quo sit suauius: sic neque per gratiam ad hominẽ venit, nisi volentem. V. Legationes Dei ad singulos hominum sunt inspirationes sanctæ, quæ pro talibus reuerenter excipiendæ sunt, & obsequenter. V.

PVNCTVM II.

SALVTATIO Virginis. Gabriel in assumpto aëreo, corpore decorus & grauis, sanctimoniam referens, ingressus conclaue, reuerenter Virginem salutat. Sic nuncij Euãgelici toto habitu corporis præse ferant modestiam atque interiorem animi compositionem. I. AVE, pax tecum; securam esse vult. ô Aue, quæ Euæ nomen commutasti, illiusque maledictionem in benedictionem. II. *gratia plena*: non compellat ex nomine, MARIA; sed nouum ei nomẽ imponit, *Gratia plena*; quo imprimis gaudere debeat. *plena* vocatur per excellentiã: nam etsi alij quoque pleni dicti sunt gratia, at hæc præ omnibus, quippe capacitas vasis amplior, quantò Matris Dei dignitas antecelluit omnes alias. debuit enim accipere gratię tantũ, vt digna fieret mater Dei. III. *Dominus tecum*; omni modo, quo est in iustis; sed in te excellentius. tecũ per gratiam & peculiarẽ prouidentiã; & mox etiã habitaturus corporaliter in vtero tuo. Abstinuit à verbo, *est*, *fuit*, aut *erit*: quia sine variatione semper tecũ: *In æternum non commoueberis* IV *Benedicta tu in mulieribus*, expers maledictionis illius: in dolore paries: siquidem absque illecebra cõci-

Salutatio Angeli.

I. Aue.

II. Gratia plena.

III. Dominus tecum.

Psal. 146.

IV. Benedicta tu in mulieribus.

pies. item illius, quæ opprobrio erat in populo Iudaico, *sterilitatu.* nam virgo concipies. sed inde potissimum benedicta, quia in Filio tuo benedicentur omnes gentes, atque ita omnium benedictionum Mater existes. ô benedicam te in vita mea; & tu me benedictionum filij tui participem facito.

PVNCTVM III.

).V. virtutes.

QVOMODO Maria excipit salutationem.
1. 1. *castè.* sola, sine teste, ad viri affatum turbatur.
2. 2. *humiliter*, dum audit sua præconia, hæret.
3. 3. *prudenter* examinans; *qualis est ista salutatio.*
4. 4. *silenter*, verecunda tantùm vultus mutatione loquens. *Pulchra sunt genæ*
Cant. 1. 10. *tuæ sicuti turturis*, auis castæ & verecundæ. ô si Eua sic excepisset verba serpentis!

PVNCTVM IV.

Iusaois angeli.

ANGELVS instat. I. remouet timorem:
I. *Ne timeas*: est proprium boni Angeli sedare turbatos animi motus, quod est necessarium ad diuina excipienda: quamuis ea Mariæ turbatio caruerit vitio, imò fuit laudabilis.
II. II. Fiduciæ causam indicat; *inuenisti enim gratiam apud Deum* ô securum mentis solatium! ab hoc fonte manant reliqua, quòd *gratia plena*; quòd *Dominus tecum*; quod *benedicta sis.* ô, inueniam gratiam apud filium tuum, Virgo Mater benedicta!

MEDITATIO VII.

Expositio nuntij ad Virginem.

PVNCTVM I.

NVNCIAT, quòd ſit editura filium; & qualem eum, ac quantum. I. *vocabis nomen eius Ieſum*, quod Deus vocari iubet, id in re eſt; erit igitur Saluator. II. *hic erit magnus*, & Naturâ, quia Deus; & officio, quia Mediator Dei, & hominum; & donis, quia *vnxit eum Deus præ participibus ſuis*; itaque abſolutè Magnus & excellenter. III. *Filius Altiſſimi*, nō vt alij iuſti per adoptionem, ſed naturalis. IV. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid*, thronum & imperium in illo Dauidico ſignificatum, non quale illud fuit, ſed excellentius. V. *& regnabit in domo Iacob in æternum*, non in carnali domo Iacob, ſed in ſpirituali, in Eccleſia credentium, idque *in æternum*. Qui igitur tantus eſt, ecce eum concipies, & paries: eouſque ſe dimittet, vt concludatur in vtero tuo, & fiat infans. *Paruulus* quippe *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius*. Hic lapillus exciſus è monte ſine manibus, implebit terram.

I. Qualem concipiet? *Luc. 1. 31.* II. III. IV. V. *Iſai. 9. 6.*

PVNCTVM II.

REPLICA Virginis: *quomodo fiet iſtud? quoniam virū non cognoſco* I. elucet eximius caſtitatis amor, quòd tanto promiſſo capitur;

Replica Virginis. I. Caſtitas.

pitur; quin consultum vult suo pudori, & voto, atque nuntium examinat ex debito suo. Sic cautos pro castitate esse oportet; nec per speciem boni in pericula irruere. Didicerat ex Isaia, quòd Messiam Virgo conciperet: cùm ergo promitteretur ei Messias in filium, an modo id fiat à Propheta indicato, prudenter exquirit. II. Prudentia responsi. 1. non præceps, bis priùs interpellata, tandem loquitur. 2. parcum & necessarium, vt non potuerit esse magis. 3. Modestum ac humile; seruauit consilium Sapientis: *Adolescens, loquere in tua causa vix: si bis fueris interrogatus, habeat caput responsum tuum.*

II Prudentia.

Eccles. 32. 10

PVNCTVM III.

SATISFACTIO Angeli: quòd diuinitus patrandum sit. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*; ita vt quæ antea plena es, superimplea t te magis ac magis gratiâ suâ, ad dignè concipiendum talem filium. 2. *Virtus Altißimi obumbrabit tibi*; vt absque concupiscentiæ æstu concipias, ipso operante, sine viro. 3 Id autem fiet, quia, *quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei*. Sanctum nascetur, quia ex modo conceptus sui, non erit culpæ obnoxius, vt cæteri filij hominum. Debebatur Filio Dei, vt quando nasci homo dignabatur, ita conciperetur, vt ratione sui conceptus nō cōtraheret culpā: contraxisset autē, aut certè reus fuisset cōtrahendi si ex viro conciperetur. Amolitur ergo Angelus huius rei suspicionem; aitq; san-

1. Opus Spiritus Sancti.

2.

3.

ctum

ctum nasciturum; non vt mater eius, quæ per præuentionem gratiæ præseruata est a culpa originali; sed planè *sanctum*, ac proinde absq; viri ope concipiendum. ô superueniat in me Spiritus sanctus, & etiam, atque etiam suâ gratiâ impleat: obumbret autem aduersus ardorem peruersarum cupiditatum, *in æstu vmbraculum*.

PVNCTVM IV.

ANGELVS fidem facit exemplo Elisabethæ. 1. inducit hoc exemplum vt innotesceret Virgini: vnde non parum lætitiæ erat perceptura. 2. quia solet Deus fidem sibi habentibus signum aliquod exhibere ad fidei solatium; sicut in incredulos animaduertere: vt cùm Zachariam cæcitate percussit. 3. sed illud potissimum diuinis dictis assentiēdi fundamentum esse monet: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. facere potest, quicquid dixerit. Discā ego, quòd sterilis parit Ioannem, id est, gratiam, contingere spiritualiter: quando peccator concipit, & parturit spiritum salutis, bonorumque operum. Virgo etiam parere potest, si filios Christo generet spirituales.

Exempla Angeli.
1.
2.
3.

MEDITATIO VIII.

De assensu Virginis.

PVNCTVM I.

RESIGNATIO Virginis in qua elucet. 1. *fides* singularis, quòd Virgo esset cōceptura & paritura. 2 *humilitas* eximia, dū se an- Assentitur.

ſeruum nuncupatum. Exultabo & ego tali nomine cum Dauide dicens: *O Domine, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Psal. 115. 16 *Fiat mihi.* Fiat mihi Humilis Obedientia & reſignatio, ac ſi dicat: quamuis indignam me ſentiam tanto munere, ſubijcio tamen me diuinæ voluntati. Et ſi quidem Deus conſenſum à me requirit pro ſua bonitate, qui iure ſuo poteſt pro libitu diſponere: permitto me ipſi. Et tandem opus hoc omnipotentiæ Dei eſt, qui dicendo *fiat*, creauit cælum & terram: dicat ille, & factum erit. Fortè etiam præuidens paſsiones filij & ſuas cauſa Filij, hoc verbo acceptauit omnes, ſeque obtulit paratam. *Secundum verbum tuum*; poteſt ſic exponi, quaſi Angelum alloquatur: ſecundum verbum, quòd dixiſti. Secundum verbum tuum. Poteſt & ad Deum referri, ad quem eleuata mente dicat: *ſecundum verbum tuum*, prout diſpoſuiſti; quin ſecundum verbum tuum, qui eſt filius tuus, & vult fieri etiam ſeruus. Fiat igitur in me, quod ille vult. Sic ego me in manus Dei reſignare diſcam.

PVNCTVM III.

RECESSVS Angeli. I. Exultauit Angelus, tum de tam ſublimi legatione à ſe obita, tú de optato illius exitu. I. Angelus lætus. II. Mox ſe proriuit, & in cælum remeauit. II. Redit. ita nos obitis in myſterijs debemus ad Deum, & ad interiora nos referre. III. Reddita Deo ratione legationis, iterum ſe exhibet promptum ad alia obſequia, ita & nos, vno expleto miniſterio, III. Promptitudo. non dicemus: ſatis eſt; ſed alacres erimus ad plura. Eſt id Sanctorum Angelorum,

Iob 8.35. vt significatur apud Iob: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent: adsumus.* IV. Credibile est, quòd Angelus Gabriel

IV. Laudes.

apud Cælites deprædicauerit prudentiam, humilitatem, cæteramque sanctitatem Virginis MARIAE. Tu imitare.

MEDITATIO IX.

Executio Incarnationis, & corporis assumpti qualitates.

PVNCTVM I.

QVOMODO ipsa Verbi Incarnatio peracta sit. In momento, quo B. Virgo consensit, sanctissima Trinitas operata est totum mysterium, formando corpus perfectum ex purissimo sanguine B. MARIAE, creandoque animam rationalem; vtrumque autem Personæ Verbi Diuini vniendo ita, vt eadem fieret persona DEI & hominis; atque ita vnus & idem esset DEVS & Homo. I. In hoc opere complacuit sibi Beatissima Trinitas, tanquam se in primis digno; singulæque Personæ Diuinæ peculiarem habuêre exultandi rationem. *Pater* ob adimpletam promissionem suam: & quia in hunc hominem DEVM summo, præ omnibus simul creatis, amore ducebatur. *Filius*, ob arctissimum complexum assumptæ naturæ, in qua totum genus humanum cognatum sibi fecerat; quare incepit hominem amare, tanquam se. SPIRITVS SANCTVS, quòd opus id esset eximij amoris, & ita ipsi peculiariter attributũ; quodq; *super*

I. Lætatur SS. Trintas.

Isai. 2. 1.

Chri-

Christũ ipse *Spiritus* S. absq; mensura *requieuisset*. II. Exultauit ipsa Humanitas assumpta, circumspiciens, quò esset euecta. III. Tum Mater, in cuius Thalamo fuêre nuptiæ istæ admirabiles, Dei & hominis celebratæ. Nam & hoc credibile est, quòd hoc arcanum tunc ipsi fuerit reuelatum, vt penitus in illud introspiceret. ac si ad Elisabethæ gratulationem ita exultauit spiritus eius in Deo Salutari suo; quantò maiori sensu perfusa est, cùm intra viscera eius tota Trinitas illud perficeret? 2. Humanitas. 3. B. Virgo.

Est cur etiam exultemus nosipsi, propter quos id totum peractum est; quique in Christo euecti sumus ad quandam cum Deo cognationem: tantùm ne degeneres simus.

PVNCTVM II.

CVR mortale & patibile corpus acceperit? Etenim quòd esset DEVS, & quà homo, ab originali culpa immunis, debebatur ipsi immortalitas, & impatibilitas: cùm contraria sint pæna peccati. Item, quia secundum animam Beatus, & clara DEI visione fruens, debuit corpus habere gloriosum. voluit tamen ea assumere ad commendationem charitatis, & ad exemplum humilitatis; dum quasi culpæ reus, quæ non rapuit, exoluit. Contrà ego reus pænas debitas refugio. Christi corpus quale.

PVNCTVM III.

CVR corpus infantile accepit, & in vtero formari voluit, cùm potuisset aliunde Cur infans.

1. accipere corpus perfectum? 1. Vt per omnia fratribus assimilaretur, & teneriùs ad amandum
2. pelliceret nos infans DEVS. 2. Vt tanta demissio nos permoueret. Cæli te non capiunt, & clauderis in vtero Virginis?
3. 3. Vt ingrediens mundum, patientiæ & mortificationis daret documenta. Vt enim clauderetur vtero & inde aleretur, captusque sensibus in abdito illo per nouem menses delitesceret; & is quidem, qui iudicio integro rationis, internisque sensibus pollebat, mirum quantæ vexationis fuerit?

MEDITATIO X.

De perfectionibus animæ Christi, & de affectibus illius in ipso Conceptu.

PVNCTVM I.

QVAE dona Christi animæ infusa in ipso conceptu. Quanta debebantur Filio
Ioan. 1. 14. Dei. Vnde à Ioanne dictum est: *Vidimus glo-*
Ioan 3. 34. *riam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et à Ioanne Baptista: *Non ad mensuram dat ei Deus Spiritum Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.*

Gratiæ Christo datæ.

1. 1. Puritas sine macula: quippe erat Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: ideoque ipse
2. impeccabilis. 2. Sanctitas in summo gradu supra Angelos. scilicet, non solùm fuit à cul-

pa re-

pa remotissimus; sed interna etiam Sanctitate simillimus Deo. 3. Visio clara Dei, quæ est gratia consummata; & qui illam sequitur, amor, & fruitio gaudij ineffabilis: de quo intelligi potest illud: *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* 4. Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: vnde nouit omnia, non præsentia modò, sed præterita, ac futura. Quippe iudex omnium actionum constitutus. 5. Potestas miraculorum pro nutu voluntatis. 6. Potestas Excellentiæ in ipsa interiora cordium dimittendi peccata, flectendi corda, largiendi gratias spirituales, & Sacramenta constituendi. 7. Gratia capitis Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis; atque huius tam Angelorum, quàm hominum: à quo proinde influxus in totum corpus manat; & est ipse prædestinatorum primus, *primogenitus in multis fratribus*, ad cuius exemplar cæteri prædestinantur, *conformes fieri imagini Filij Dei.* Hi sunt *septem oculi in lapide vno* apud Zachariam, & *Stellæ septem circa filium hominis* à Ioanne visæ.

3. 4. 5. 6. 7.

Rom. 8. 29 *Zach. 3. 9.* *Apoc. 1. 16*

PVNCTVM II.

4. Affectu Christi erga Deum.

QVOS in Deum affectus elicuerit Christus in momento conceptionis, quando visa Dei facie, clarè aspexit, quantis bonis præuentus fuisset? Quatuor velut flumina ex Paradiso ab illa anima beata magno impetu eruperunt; Amoris in tantā bonitatem; gratitudinis ac studij referendæ vicis; Humili-

tatis

pies. item illius, quæ opprobrio erat in populo Iudaico, *sterilitatis*. nam virgo concipies. sed inde potissimum benedicta, quia in Filio tuo benedicentur omnes gentes, atque ita omnium benedictionum Mater existes. ô benedicam te in vita mea; & tu me benedictionum filij tui participem facito.

PVNCTVM III.

Q.V. virtutes.

QVOMODO Maria excipit salutationem. 1. *castè*. sola, sine teste, ad viri affatum turbatur. 2. *humiliter*, dum audit sua præconia, hæret. 3. *prudenter* examinans; *qualis est ista salutatio*. 4. *silenter*, verecunda tantùm vultus mutatione loquens. *Pulchra sunt genæ tuæ sicuti turturis*, auis castæ & verecundæ. ô si Eua sic excepisset verba serpentis!

Cant. 1. 10.

PVNCTVM IV.

Eutaxis angeli.

ANGELVS instat. I. remouet timorem: *Ne timeas*: est proprium boni Angeli sedare turbatos animi motus, quod est necessarium ad diuina excipienda: quamuis ea Mariæ turbatio caruerit vitio, imò fuit laudabilis. II. Fiduciæ causam indicat; *inuenisti enim gratiam apud Deum* ô securum mentis solatium! ab hoc fonte manant reliqua, quòd *gratia plena*; quòd *Dominus tecum*; quod *benedicta sis*. ô, inueniam gratiam apud filium tuum, Virgo Mater benedicta!

MEDITATIO VII.

Expoſitio nuntij ad Virginem.

PVNCTVM I.

NVNCIAT, quòd ſit editura filium; & qualem eum, ac quantum. I. *vocabis nomen eius Ieſum*, quod Deus vocari iubet, id in e eſt; erit igitur Saluator. II. *hic erit magnus*, e Naturâ, quia Deus; & officio, quia Mediaor Dei, & hominum; & donis, quia *vnxit e m Deus præ participibus ſuis*; itaque abſolutè Magnus & excellenter. III. *Filius Altiſsimi*, nō t alij iuſti per adoptionem ſed naturalis. IV. *abit illi Dominus ſedem Dauid*, thronum & mperium in illo Dauidico ſignificatum, non uale illud fuit, ſed excellentius. V. *& regna t in domo Iacob in æternum*, non in carnali omo Iacob, ſed in ſpirituali, in Eccleſia creentium, idque *in æternum*. Qui igitur tantus t, ecce eum concipies, & paries: eouſque ſe imittet, vt concludatur in vtero tuo, & fiat fans. *Paruulus* quippe *natus eſt nobis, & Fi us datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſu er humerum eius*. Hic lapillus exciſus è mon: ſine manibus, implebit terram.

I. Qualem concipiet? Luc. 1. 31. II. III. IV. V. Iſai. 9. 6.

PVNCTVM II.

REPLICA Virginis: *quomodo fiet iſtud? quoniam virũ non cognoſco* I. elucet eximius caſtitatis amor, quòd tanto promiſſo ca-

Replica Virginis. I. Caſtitas.

pitur; quin consultum vult suo pudori, & voto, atque nuntium examinat ex debito suo. Sic cautos pro castitate esse oportet; nec per speciem boni in pericula irruere. Didicerat ex Isaia, quòd Messiam Virgo conciperet: cùm ergo promitteretur ei Messias in filium, an modo id fiat à Propheta indicato, prudenter exquirit.

II Prudentia. II. Prudentia responsi. 1. non præceps, bis priùs interpellata, tandem loquitur. 2. parcum & necessarium, vt non potuerit esse magis. 3. Modestum ac humile; seruauit consilium Sapientis: *Adolescens, loquere in tua causa* (Eccles. 32. 10) *vix: si bis fueris interrogatus, habeat caput responsum tuum.*

PVNCTVM III.

SATISFACTIO Angeli: quòd diuinitus patrandum sit.

1. Opus Spiritus Sancti. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*; ita vt quæ antea plena es, superimplea t te magis ac magis gratiâ suâ, ad dignè concipiendum talem filium.

2. 2. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; vt absque concupiscentiæ æstu concipias, ipso operante, sine viro.

3. 3 Id autem fiet, quia, *quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei.* Sanctum nascetur, quia ex modo conceptus sui, non erit culpæ obnoxius, vt cæteri filij hominum. Debebatur Filio Dei, vt quando nasci homo dignabatur, ita conciperetur, vt ratione sui conceptus nō cōtraheret culpā: contraxisset autē, aut certè reus fuisset cōtrahendi si ex viro conciperetur. Amolitur ergo Angelus huius rei suspicionem; aitq; sanctum

ctum nasciturum; non vt mater eius, quæ per præuentionem gratiæ præseruata est a culpa originali; sed planè *sanctum*, ac proinde absq; viri ope concipiendum. ô superueniat in me Spiritus sanctus, & etiam, atque etiam suâ gratiâ impleat: obumbret autem aduersus ardorem peruersarum cupiditatum, *in æstu vmbraculum.*

PVNCTVM IV.

ANGELVS fidem facit exemplo Elisabethæ. 1. inducit hoc exemplum vt innotesceret Virgini: vnde non parum lætitiæ erat perceptura. 2. quia solet Deus fidem sibi habentibus signum aliquod exhibere ad fidei solatium; sicut in incredulos animaduertere: vt cùm Zachariam cæcitate percussit. 3. sed illud potissimum diuinis dictis assentiẽdi fundamentum esse monet: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* facere potest, quicquid dixerit. Discã ego, quòd sterilis parit Ioannem, id est, gratiam, contingere spiritualiter: quando peccator concipit, & parturit spiritum salutis, bonorumque operum. Virgo etiam parere potest, si filios Christo generet spirituales.

Exempla Angeli.
1.
2.
3.

MEDITATIO VIII.

De assensu Virginis.

PVNCTVM I.

RESIGNATIO Virginis in qua elucet. 1. *fides* singularis, quòd Virgo esset cõceptura & paritura. 2 *humilitas* eximia, dũ se an-

Assentitur.

seruum nuncupatum. Exultabo & ego tali nomine cum Dauide dicens: *O Domine, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* *Fiat mihi.* Humilis Obedientia & resignatio, ac si dicat: quamuis indignam me sentiam tanto munere, subijcio tamen me diuinæ voluntati. Et si quidem Deus consensum à me requirit pro sua bonitate; qui iure suo potest pro libitu disponere: permitto me ipsi. Et tandem opus hoc omnipotentiæ Dei est, qui dicendo *fiat*, creauit cælum & terram: dicat ille, & factum erit. Fortè etiam præuidens passiones filij & suas causa Filij, hoc verbo acceptauit omnes, seque obtulit paratam. *Secundum verbum tuum*; potest sic exponi, quasi Angelum alloquatur: secundum verbum, quòd dixisti. Potest & ad Deum referri, ad quem eleuata mente dicat: *secundum verbum tuum*, prout disposuisti; quin secundum verbum tuum, qui est filius tuus, & vult fieri etiam seruus. Fiat igitur in me, quod ille vult. Sic ego me in manus Dei resignare discam.

Psal. 115. 16. Fiat mihi

Secundum verbum tuum.

PVNCTVM III.

RECESSVS Angeli. I. Exultauit Angelus, tum de tam sublimi legatione à se obita, tú de optato illius exitu. II. Mox se proriuit, & in cælum remeauit. ita nos obitis in mysterijs debemus ad Deum, & ad interiora nos referre. III. Reddita Deo ratione legationis, iterum se exhibet promptum ad alia obsequia, ita & nos, vno expleto ministerio, non dicemus: satis est; sed alacres erimus ad plura. Est id Sanctorum Angelorum,

I. Angelus lætus.

II. Redit.

III. Promptitudo.

Iob 8.35. vt significatur apud Iob: *Nunquid mittes ful-
*gura, & ibunt; & reuertentia dicent: adsu-
IV. Laudes. *mus.* IV. Credibile est; quòd Angelus Gabriel
apud Cælites deprædicauerit prudentiam,
humilitatem, cæteramque sanctitatem Virgi-
nis MARIAE. Tu imitare.

MEDITATIO IX.

Executio Incarnationis, & corporis assumpti qualitates.

PVNCTVM I.

QVOMODO ipsa Verbi Incarnatio peracta sit. In momento, quo B. Virgo consensit, sanctissima Trinitas operata est totum mysterium, formando corpus perfectum ex purissimo sanguine B. MARIAE, creandoque animam rationalem; vtrumque autem Personæ Verbi Diuini vniendo ita, vt eadem fieret persona DEI & hominis; atque ita vnus & idem esset DEVS & Homo. I. In hoc opere complacuit sibi Beatissima Trinitas, tanquam se in primis digno; singulæque Personæ Diuinæ peculiarem habuêre exultandi rationem. *Pater* ob adimpletam promissionem suam: & quia in hunc hominem DEVM summo, præ omnibus simul creatis, amore ducebatur. *Filius*, ob arctissimum complexum assumptæ naturæ, in qua totum genus humanum cognatum sibi fecerat; quare incepit hominem amare, tanquam se. SPIRITVS SANCTVS, quòd opus id esset eximij amoris, & ita ipsi peculiariter attributũ; quodq; *super*

I. Lætatur SS. Trintas.

Isai. 2. 1.

Chri-

Christũ ipse *Spiritus* S. absq; mensura *requieuisset*. II. Exultauit ipsa Humanitas assumpta, circumspiciens, quò esset euecta. III. Tum Mater, in cuius Thalamo fuêre nuptiæ istæ admirabiles, Dei & hominis celebratæ. Nam & hoc credibile est, quòd hoc arcanum tunc ipsi fuerit reuelatum, vt penitus in illud introspiceret. ac si ad Elisabethæ gratulationem ita exultauit spiritus eius in Deo Salutari suo; quantò maiori sensu perfusa est, cùm intra viscera eius tota Trinitas illud perficeret?

2. Humanitas.

3. B. Virgo.

Est cur etiam exultemus nosipsi, propter quos id totum peractum est; quique in Christo euecti sumus ad quandam cum Deo cognationem: tantùm ne degeneres simus.

PVNCTVM II.

CVR mortale & patibile corpus acceperit? Etenim quòd esset DEVS, & quà homo, ab originali culpa immunis, debebatur ipsi immortalitas, & impatibilitas: cùm contraria sint pæna peccati. Item, quia secundum animam Beatus, & clara DEI visione fruens, debuit corpus habere gloriosum. voluit tamen ea assumere ad commendationem charitatis, & ad exemplum humilitatis; dum quasi culpæ reus, quæ non rapuit, exoluit. Contrà ego reus pænas debitas refugio.

Christi corpus quale.

PVNCTVM III.

CVR corpus infantile accepit, & in vtero formari voluit, cùm potuisset aliunde

Cur infans.

pa remotissimus; sed interna etiam Sanctitate simillimus Deo. 3. Visio clara Dei, quæ est 3.
gratia consummata; & qui illam sequitur, amor, & fruitio gaudij ineffabilis: de quo intelligi potest illud: *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* 4. Omnes 4.
thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: vnde nouit omnia, non præsentia modò, sed præterita, ac futura. Quippe iudex omnium actionum constitutus. 5. Potestas miraculorum 5.
pro nutu voluntatis. 6. Potestas Excellen- 6.
tiæ in ipsa interiora cordium dimittendi peccata, flectendi corda, largiendi gratias spirituales, & Sacramenta constituendi. 7. Gra- 7.
tia capitis Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis; atque huius tam Angelorum, quàm hominum: à quo proinde influxus in totum corpus manat; & est ipse prædestinatorum primus, *primogenitus in multis fratribus*, ad cu- Rom. 8. 29
ius exemplar cæteri prædestinantur, *conformes fieri imagini Filij Dei.* Hi sunt *septem oculi in lapide vno* apud Zachariam, & *Stellæ* Zach. 3. 9
septem circa filium hominis à Ioanne visæ. Apoc. 1. 16

PVNCTVM II.

4. Affectus Christi erga Deum.

QVOS in Deum affectus elicuerit Christus in momento conceptionis, quando visa Dei facie, clarè aspexit, quantis bonis præuentus fuisset? Quatuor velut flumina ex Paradiso ab illa anima beata magno impetu eruperunt; Amoris in tantā bonitatem; gratitudinis ac studij referendæ vicis; Humili-

tatis

tatis, recognoscendo, ex se, quà homo, non ea habere; sed gratuita esse dona Dei. Tandem obedientiæ promptæ & liberalis oblationis sui ad omnia pro Patris gloria. Afficiar ego similiter pro omnibus, quæ retribuit mihi.

PVNCTVM III.

Erga proximum.

1. Dolor de peccatis.

QVOS affectus erga proximum conceperit? 1. Tot tantisque sceleribus animaduersis, per quæ offendebatur in primis Deus, tùm peribant homines, deque illis diabolus triumphabat, inæstimabilem concepit dolorem; non obstante, quòd aliunde, ex visione clara Dei, immenso perfundebatur gaudio. quid ego pro meis, non vt Christus pro alienis, concipiam? vt autem ille ab initio sui conceptus; ita & ego statim ac lapsus sum, dolorem assumam & lamentum. 2. Intellecta tunc voluntate Patris, vt per ipsum tanto malò remedium afferretur; immensum amorem, quo prosequebatur Patrem, in ipsum etiam hominem conuertit; quem sic amari à Patre suo cernebat, & ex amore ardens concepit desiderium eundem redimendi, proque zelo diuinæ gloriæ gauisus est, datam sibi occasionem & facultatem vindicandi illam ab iniurijs peccatorum. Quare obtulit se, dicens: *Sacrificium & oblationem voluisti, corpus autem adoptasti mihi, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam,*

2. Oblatio sui.

Psal. 39. 7. Hebr. 10. 5.

DEVS.

PVNCTVM IV.

QVÒD Christo à primo momento fuerint à Patre æterno proposita, & sigillatim repræsentata, quæcunque per omnem vitam pati eum & agere oportebat pro salute nostra; atque ea tunc tanquam Patris sui præceptum obsequentissimè acceptauit, vt & in decursu vitæ assiduè postea fecit, seipsum quotidiè immolans. Nec generatim tantùm, sed nominatim singulos, pro quibus illa acceptauit, ante oculos habuit, eisque speciatim applicuit laborum suorum fructum. quare Paulus ita loquitur, & ego quoque loquar; *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Fui ego, fui in illius mente, in primo illo instanti suæ conceptionis, & me me respexit, & pro me obtulit sese iam tunc.

Pro omnibus in specie mortuus.

Galat. 2.

MEDITATIO XI.

De profectione Beatæ MARIAE ad Elisabetham.

PVNCTVM I.

QVÒD Christus mox à conceptu properauit Præcursorem suum Ioannem sanctificare, sicque impulit Matrem; vt Elisabetham inuiseret. Iam tunc auspicatus est officium Saluatoris; & iam est de bono suorum sollicitus; & per hoc significat, quantum malum sit, diutiùs in peccato hærere.

In festo Visitationis 2. Iulij.
Christus festinat.

PVNCTVM II.

Præsens sanctificat Ioannem.

POTVIT absens sanctificare Ioannem Baptistam; sed maluit præsens, charitatis & humilitatis præbens exemplum, dum Maior adsit Minorem. Deinde, vt MARIA esset cooperatrix, & instrumentum primæ huius sanctificationis; futura aliquando Mediatrix peccatorum apud Filium. Demum quia Christus, quam animam ingreditur, vrget eam ad opera pietatis, atque a contemplatione ad actionem instigat, pro gloria Dei.

B. Virginis obedientia perfecta.

PVNCTVM III.

QVEMADMODVM Beata Virgo obediuit inspirationi diuinæ? non mandatum expectauit: sed nutum secuta est; non texuit moras, sed abijt cum festinatione; non mota intentione minus recta, vel curiositatis, vel explorādi causa, an ita res haberet, quòd Elisabetha concepisset: sed vt Deum in illa glorificaret. Denique non est territa difficultate viæ, & insolito labore; nec dedignata est ipsa Mater iam Dei visere Matrē serui. Considera etiam modestiam in publico, non circumspiciens, sed afflans intuentibus sanctimoniam. Dignum *Salomonis ferculum*, quo Rex pacificus circumfertur.

Cant. 3. 9.

MEDITATIO XII.

De ipsa Visitatione Elisabethæ.

PVNCTVM I.

MARIA præueuit salutando Elisabetham; ac ea mediante salutatione, Verbum Diuinum, in eius vtero inclusum, replet bonis Ioannem. Nam expiat illum à labe originali, donat gratiâ & sanctitate, vsum rationis tribuit; Prophetam facit, & mysterium edocet Incarnationis, gaudio exultare facit, & hæc in momento omnia. Nempe facilè est Deo *subitò honestare pauperem*; & illud quadrat: *Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Christus in MARIAE gremio. Hinc confidam mediante eadem Matre Virgine, me quæuis obtenturum.

Ingressus B. V. ad Elisabethã felix Ioanni.

Eccl. 15. 23.

Prou. 20. 8.

PVNCTVM II.

EFFECTVS eiusdem salutationis in B. Elisabetha. 1. Quòd excitata est ad DEI Matrem prædicandam magna voce: *Benedicta tu in mulieribus,* (sicut Gabriel te compellauit) *& Benedictus fructus ventris tui.* Hoc plus dico, quàm Gabriel. nam à fructu tu benedicta, non ille ex te. Aduerte quòd Spiritus sanctus impellit ad Christi, & Mariæ glorificationem. 2. Inspirata est ei humilitas, agnitioque beneficij: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* ita solet Spiritus sanctus inter dona ipsa sensum humilitatis da-

Elisabetha. 1. Laus. B. V.

2. Humilitas.

tis da. e, gratamque acceptorum recognitionem. nam sequitur: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ, exultauit infans ore gaudio in vtero meo*. Taliter affici debemus, quando nos Deus visitat; & maximè in sacra communione. 3. Donum accepit Prophetiæ: nam confirmat animum Virginis per spiritum Propheticum, laudans illam, quòd crediderit; & prænuncians, perficienda omnia in ea, quæ ei dicta fuerant ab Angelo. Sic lumen, gratiasque à Deo acceptas oportet referre ad aliorum vtilitatem. 4. *Nomen nouum* MARIAE datum promulgat, compellans eam MATREM DEI.

3. Prophetia.

PVNCTVM III.

MEDITATIO circa canticum B. MARIAE. vbi considera, quòd laudata B. Virgo ab Elisabetha, non reddidit ei vicem more mundano; sed tota in Deum transfert. Ita auertendæ laudationes. Deinde, quàm parca alioqui verborũ, circa Deum liberalis, implens illud, *Benedicentes Deum exultate illum, quantum potestis, maior est enim omni laude*. nimirum ex abundantia cordis loquebatur. porro decem constat versiculis, quasi totidem cordis psalterium. *Magnificat anima mea Dominum*. Magnificè de Deo sentiens, & summa eius omnia ducens, & toto corde exaltans. Non in præterito aut futuro loquitur, sed in præsenti, Magnificat: quasi hoc sit ipsius perpetuum studium. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: docet nos, quali-

Canticum B. Virg.

Eccle. 43. 33.

Quomodo laudendũ.

ter gaudendum. 1. non in corporalibus, sed in spiritualibus gaudere oportet. 2. Non tam in donis, quàm in largitore ipso. 3. Etsi in Deo, tãquam naturæ autore, magis tanquam in salutari & Redemptore. 4. Spiritus imprimis gaudeat, superior animæ pars, etsi solet in corpus etiam redundare. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 5 in Deo & non in me ipso, illi tribuendo omnia, non mihi. *anima mea exultabit in Domino & delectabitur super salutari suo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Recensere incipit causas, ob quas Deum sic magnificat, tres sunt propriæ; septẽ, cum alijs communes. Hæc igitur prima: *Quia respexit*, id est, benignè facere, *Humilitatem Ancillæ suæ*: paruitatem atque vilitatẽ, quo dicto non prædicat suam virtutem Humilitatis, sed eam exercet agnoscendo suum nihilum, & indignitatem, quantum ex se. ergo ait: quia benefecit immerenti: sic sancti sunt affecti, & ita impetrant à Deo gratiam, qui *humilia respicit in cœlo & in terra.* & : *quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitate animam meam. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc secunda causa glorificandi Deum; quanquam nõ tam, quòd ipsa prædicanda sit beata, quàm quòd tantis eam Deus præuenit benedictionibus, vnde id secuturũ sit: Magnificat Deum tum etiam, quoniam ea prædicatio cessura sit in emolumentum ipsorum, qui beatam eam dicent: in quibus vt ego sim, Beatam te dico.

1. Quomodò gaudendũ. 2. 3. 4. *Psalm. 33. 3.* 5. *Psal. 34. 9.* Causæ magnificandi. 1. *Psal. 112. 6.* *Psal. 30. 8.* 2. Causa.

Beata es, vt Elisabetha dixit: quia credidisti; Beata, vt pia illa Mater exclamauit: quia portasti vtero tuo Christum, & multò etiam magis: quia audisti, & custodisti mente Verbum Dei. In te omnes illæ octo benedictiones conueniunt excellenter, quas Filius tuus pronuntiauit: Beati pauperes spiritu, mites, &c. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius* Tertia causa magnificandi, magna

3. Causa.

fuerunt, quòd Virgo esset, & Mater; & quòd Mater Dei, tum cætera, quæ propterea ipsi diuinitus collata sunt, quæ simul omnia ante oculos habens, Magnificat Deum, quia fecit ei verè magna. Nec obstat humilitati, quòd se magnam à donis agnoscit, dum ea refert soli Deo accepta, quod & faciunt in cœlo Beati,

Apoc. 4. 8.

gloriam dantes Deo. Porrò omnipotentiam & sanctitatem Dei laudat, vt etiam illi dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*: ab omnipotentia quippe Dei veniunt talia opera, referuntur autem eò, vt Dei nomen sanctificetur, quod est omninò sanctũ, dignumque ab omnibus sanctificari. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Quarta causa iam communis cum alijs, à

4. Causa.

misericordia Dei in omnes diffusa, & in omnem posteritatem. Videlicet cogitabat, Verbum illud, hominem factum, quod vtero gestabat, per magnam Dei misericordiam esse latum ad salutem omnium gentium, pro quo beneficio, non quà suum tantùm, sed quà omnium magnificat authorem. Ita enim iusti pro

alienis

alienis etiam gratias Deo agunt, non tantùm vt propria sunt. Illud etiam magnificat, quòd Dei Misericordia ita est profusa, vt quantumuis benefaciat, vlterius semper disponat benefacere, à progenie in progenies, quippe inexhausta. *Fecit potentiam in brachio suo.* Quinta causa ab operibus omnipotentiæ diuinæ, 5. Causa. qualia Deus plurima patrauit ab initio Mundi, in creatione, conseruatione, & gubernatione illius, ac præsertim in prouidentia circa hominem, cuius causa operatus est tot magnalia in populo Hebræorum, & tandem iam mirabilium maximum, Incarnationem Verbi pro salute hominum. Quæ simul animo complectens Virgo prudentissima, Magnificat Dominum. *Dispersit superbos mente cordis sui.* 6. Sexta causa laudis ab operibus Iustitiæ, quòd Causa. superbum Luciferum exaltantem solium suum, quòd molitores Turris Babel, quòd Pharaonem, Nabuchodonosor, & alios passim elatos humiliare consueuit, amator ipse humilitatis, adeò, vt etiam exinaniuerit se ipsum, & hac sua potissimum humilitate superbos depresserit. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Causa septima & octaua à 7. Iustitia simul & misericordia, ex comparatione diuersorum inter se, potentium & hu- Causa, & 8. milium, diuitum & esurientium: nam potentes deponit, exaltat humiles, esurientes replet, abundantes egere facit. Est & hoc iudicium Dei magnificatione dignissimum, de

quo tanquam suo operi e gloriatur. *Disperge superbos, & confunde eos.* &c. *& ego confitebor, quod saluare te poßit dextera tua.* & alibi: *qui ponit humiles in sublimi. qui dißipat cogitationes malignorum.* Quia verò id maximè conuenit tempore Euangelij, inde Prophetissa nostra Magnificat Deum: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.* Nona & decima causa Prima à prouidentia erga suos: nam etsi videtur aliquando eorum obliuisci, in tempore tamen semper adest. Secunda à fide promissorum, quam certò seruat. Vtrumque eluxit in Christi aduentu, qui etsi dilatus, cùm oportunum fuit, executus est, impletæ quoque sunt promissiones Abrahæ, cæterisque Patribus factæ.

Iob 40. 8.

Iob 5. 11.

.& rc. Causa.

PVNCTVM IV.

QVòD B. Virgo manserit apud Elisabetham, quasi mẽsibus tribus. Vbi cogita, qualis inter ipsas conuersatio fuerit! quàm inflammata colloquia, & diuini sermones ab eis habiti fuerint! & quantum Elisabeth profecerit ex tam diuturno MARIAE consortio, quæ prima salutatione sic fuerat affecta! & quæ denique sanctitatis exempla, ac odorem Virgo Mater afflauerit toti domui, quantasq; benedictiones à Deo conciliauerit! nam si ob commorationem Arcæ Deus benedixit Obededon, vt Dauid eius æmulatione constitue-

Edificatio ...ariæ.

...nedictio.

rit:

rit: *Ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam*: quantò MARIA melior est illa Arca? Zachariæ tamen non est reddita loquela, quia impleri debuit Angeli prædictio, & oportuniùs erat ad gloriam Dei, vt in ipsa Natiuitate Ioannis id fieret. Discam non præfigere tempora, aut modum Deo, eique me committere. 2. Reg 6. 1.

MEDITATIO XIII.

De Natiuitate Præcursoris.

PVNCTVM I.

In festo Natiuitatis Ioannis. 24. Iulij. Conceptionis Circumstantiæ.

ILLIVS Conceptio. 1. Ex sterilibus Parentibus, & iustis, qui filium à Deo impetrarunt: nam, quæ etiam Deus facere destinauit, exequitur per orationes. 2. Idem Gabriel Zachariæ de Ioanne nuntiauit, qui postea MARIAE de Christo, par in Angelis promptitudo obsequendi; siue magna, siue minora imperentur. 3. Iubet Gabriel vocari: Ioannem, id est, gratiam, quòd gratia in ipso singulariter 1. elucere: qui sine meritis ad tantum officium 2. esset electus, & esset etiam diuinæ in se habi- 3. tantis gratiæ insignia documenta daturus, & præcipuè, quòd gratiæ Euangelij Præcursor veniret; nam *Lex vsque ad Ioannem*. 4. prædicit, magnum fore coram Domino, sanctitate, & officio. 5. speciatim victûs asperitatem commendat: *vinum & siceram non bibet*: tan- Matt. 11. 13. 4. 5. Luc. 1. 15.

6. quam verus Nazaræus, Deo consecratus. 6. *& Spiritu sancto replebitur, adhuc ex vtero Matris suæ.* pro dignitate officij, & ex vtero vsque ad
7. finem talis erit. 7. *Præcedet in spiritu, & virtute Eliæ.* zelus commendatur, *& conuertet multos filiorum Israel, parabitq; Domino plebem perfectam*, ad recipiendum Euangelium. Itaque erga Deum pius, erga se austerus, erga proximum zelosus.

PVNCTVM II.

Prærogatiuæ. PRAEROGATIVAE Ioannis in vtero. 1.
1. quòd primitiæ fuerit sanctificationis à
2. Christo impertitæ, post Incarnationem, & adeò copiosissimę. 2. quòd acceptum semel vsum rationis tunc etiam conseruauerit. Vnde adhuc ex vtero per feruentes actus merita colligebat. 3. quòd eius intuitu repleuit Deus eius
3. Matrem spiritu Prophetico, ac donis.

PVNCTVM III.

In Natiuitate quæ accidêre. Luc. 1. NATIVITAS Ioannis. 1. Mater diuinitus edocta, vult vocari Ioannem. 2. Pater recipit loquelam & prophetat: Benedictus, &c. 3. Exultatio, vt prædictum fuerat: *multi in Natiuitate eius gaudebunt*, & admiratio; *quis putas Puer iste erit.* 4. quòd iam tunc *Manus*
Isai. 49. 1. *Domini erat cum illo. Dominus ab vtero vocauit me, in vmbra manus suæ protexit me,* &c.

MEDITATIO XIV.

De eo, quòd Ioseph voluit dimittere MARIAM Coniugem suam.

Pro Vigilia Natiuitatis.

PVNCTVM I.

SANCTITAS Iosephi; nempe pro munere, ad quod fuit electus. Superauit Patriarchas: Fide Abrahamum; tolerantiâ Iacob; castitate alterum Iosephum; consuetudine cũ Deo Moysen; charitate populi Samuelem; humilitate & mansuetudine Dauidem. Vt diuinis vacaret, voto se Castitatis obstrinxit, quã ita eximè consecutus est, vt ex consuetudine familiari Virginis nihil animus eius cõtraheret, imò ad amorem eius virtutis magis accenderet.

Sanctos Veteris Test. superat.

Votum Castitatis.

PVNCTVM II.

QVÒD DEVS non reuelauerat Iosepho mysterium sicut Elisabethæ, & Zachariæ, ad exercitationem virtutis tùm MARIAE, tùm Iosephi; dũ hic angitur de sponsæ lapsu, illa de infamia apud iustum. sic suos probat Deus. *Proba me Domine & tenta me.* Et debet cum gaudio suscipi, quando absque culpa nostra; & præsertim, quando potiùs propter virtutẽ tribulatio contingit, vt MARIAE.

Executio Ioseph & Mariæ.

Psal. 25. 2.

MEDITATIO XV.

De expectatione Partus.

PVNCTVM I.

QVOMODO ipſe Chriſtus infans expetierit ardenti deſiderio perficiendi ſalutem noſtram, vt iam tunc diceret: *Baptiſmo habeo baptizari; & quomodo coarctor, donec perficiatur?* nihilominùs continuit ſeſe per nouem menſes, neque ad diem ſecum diſpenſauit, quòd ea incluſio pæna quædam eſſet, ad ſatisfaciendum pro nobis; quales occaſiones non omittebat. Deinde, erat quaſi quidam receſſus, in quo opus ſuum Patri commendabat, antequam illud aggrederetur; ſicut in deſerto comparauit ſeſe ad prædicandum, per dies quadraginta.

Luc. 12. 50 Naſcendi deſiderium Chriſti.

PVNCTVM II.

DESIDERIA B. MARIAE videndi, & fruendi aſpectu filij, quem ſciret Deum, & ex ipſa hominem. Item fouendi, ſeruiendi ipſi, maternaque obſequia exhibendi, pro eo, quod dignatus eſſet ipſam habere matrem. Quare dicebat: *Quis mihi det te filium meum, vt inueniam te foris & deoſculer?* & tandem optabat eum prodire cõmunis ſalutis cauſa.

B. Virginis.

Cant. 8. 1.

Ego ſimiliter in me deſideria excitabo, vt Chriſtus in me & alijs naſcatur per gratiam, vtque illum omnes ament, eique ſeruiant. Item conceptos animo ſalutares affectus, vt

pariam, & in rem deducam, adnitar. quod ni fiat, velut fœtus, vltra tempus vtero inclusus, excruciat Matrem, ita cohibitæ inspirationes Diuinæ exulcerant mentem. *Desideria*, inquit Sapiens, *occidunt pigrum. Vult* quippe, *& non vult.* Vnde monet Apostolus: *Spiritum nolite extinguere.* Huc referri possunt Antiphonæ Ecclesiæ: O Sapientia, & cætera.

Prou. 21. 25.
1. Thess. 5. 19

PVNCTVM III.

B. V. Certa de Virginitate.

EXPECTABAT Diua partum, certa de integritate sua, siquidem integra conceperat, & habebat firmum Propheticum sermonem: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est, nobiscum Deus.* Et se illam esse considerans, de qua prædictum erat: *Exultabat spiritus* eius *in Deo salutari* suo; dicebatque: ô tu, verè mihi Emanuel: nam & Gabriel ad me: *Dominus tecum.* Cæterùm non angebatur de futura partûs difficultate, doloribusque, vt cæteræ Matres, quando ipsa sine carnali voluptate conceperat: tantùm erat intenta præparandæ animæ affectibus pietatis ad vicinum partum, qualiter nos conuenit disponi ad Christum excipiendum, iuxta Præcursoris monitum: *Parate viam Domino,* intentionem dirigite, superbiam deprimite, asperitatem morum deponite.

Isa. 7. 14.
Matt. 1. 23.
Luc. 1. 47.
Ioan. 1. 23.

MEDITATIO XVI.

Profectio Beatæ Virginis in Bethlehem ex Nazareth

PVNCTVM I.

QVÒD Christus destinato consilio suum in mundum ingressum ita disposuit, vt esset illius modus nobis quidem ad exemplum quàm vtilissimus; ipsi verò ad ferendum permolestus & grauis. Vnde extra Nazareth nasci voluit, vt qualicunque domestica commoditate nascens priuaretur. I nunc, qui tam studiosè tuas commoditates consectaris.

Extra patriam nascitur.

PVNCTVM II.

OCCASIO profectionis extitit tributum à Cæsare indictum, & is quidem ambitione, ad ostentandum Imperium, & cupiditate auri ducebatur, in Edicto promulgando: Christus autem humilitatis & subiectionis exercendæ inde occasionem sumpsit, ad exemplum. Quid ni ego *subijciam* me *omni humanæ creaturæ propter Deum*?

Occasio.

1. Pet. 2. 1

PVNCTVM III.

RATIO itineris, singulari totius oris modestiâ procedebat Virgo, mente in illũ, quem gestabat, defixâ; tacitaque cum illo loquens, aut de illo cum Iosepho. non grauabat sacra sarcina gestantem, sed subleuabat; ac

Ratio itineris.

propinqua fruendi illo spes vires reficiebat, cùm alioqui sat prolixa & difficilis via, asperitásque hyemis teneram Virginem fatigarent.

PVNCTVM IV.

Lucæ. 2.1. Quod hospitio excluditur, *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Iam tunc illud implebatur: *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* quin vulpes, astuti, & cupidi homines à suis foueis Christum excludunt: Volucres autem superbi & nobiles à suis nidis, vt stabulum subire debeat, vbi *bos & asinus cognoscant possessorem suum*, mites ac humiles Repellitur, quia non agnoscitur. ô si cognouisses, & tu quàm sæpè Domine repelleris à me? quoties pulsanti non aperio?

Lucæ 9.58

Isai. 1.3.

MEDITATIO XVII.

Natiuitas Christi.

PVNCTVM I.

In Natiuitatis festo.

Exultans prodit.

Psal. 18.6.

Bona pro hospitio.

Quomodo, imminente nascendi tempore (quod nec præuenire, nec prorogare Christus voluit) *exultauit vt gigas ad currendam viam*; & illam quidem asperam, ac difficilem, ab ipso primo ortu ad exitum vsque à summo vsque ad summum, ab vtero ad crucem. Deinde, hospitium suum, vterũ Ma-

tris,

tris, Rex tantus haud reliquit indonatum in egressu suo. quare tunc ineffabili luce ac lætitiâ Matris suæ animam perfudit. Cauit etiam illi ab omni incommodo, quòd alioqui in partu reliquæ mulieres perpetiuntur. nam & sine dolore enixa est, & claustro virginali nequaquam violato.

PVNCTVM II.

VIRGO præsentiens partum, secedit parumper, totaque in Deum absorpta, præstolatur Saluatorem Deique salutare, quò repentè edito, atque conspecto, quid illa senserit, nec cogitando assequi licet. Agnoscebat filium suum: sed & eundem Filium Dei, verùm Deum. illinc amor ipsam exstimulabat; hinc reuerentia retrahebat; vtroque autem attemperato, mixtoq; amore cum reuerentia; gaudio cum lachrymis infantem in vlnas accipit, suauiatur ac liquescit anima eius in complexu Nati. Deinde, pannis eum inuoluit, quos prouida parauerat; locatumque reuerenter in præsepio, prima adorat; Gratias agit, quòd venisset propter salutem hominum; quódque se dignatus fuisset honore Matris. vicissim ei offert, dicatque sua Matris obsequia affectu inenarrabili. simili eum sensu Sanctus Ioseph & adorat, & gratias agit pro nutritij sibi munere commisso, fidelemque suam operam promittit. Faciam & ego.

1. In Contemplatione partus.

2. Pannis inuoluit.

PVNCTVM III.

infantis persona.

MIRA in hoc infante expendam; ac pręcipuè, quòd qui Deus est, & sedet super Cherubim, in humili præsepio iacet. Deinde, quomodo gratias agit Patri, cuius voluntate illic reclinatus est, offertque seipsum ad perficiendum opus Redemptionis. clamat etiam ad nos tacitus: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, &, *nisi efficiamini sicut paruuli*, &, *quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum*. Præterea quid agit infans: plorat & alia agit quæ talis. nam etsi perfecta vtebatur ratione, quæ tamen erant illius ætatis, naturam agere sinebat: quidquid autem ageret, Deo offerebat pro reconciliatione Mundi, infantiles lachrymas, vagitus, & omne tale. Postremò, quæ iam tunc patiebatur, æstimabo Aspero anni tempore, intempesta nocte, loco incommodissimo, in rerum omnium paupertate, & reiectus ab omnibus: nec ea patitur inuitus, aut necessitate; sed volens, certoque consilio. Pauper sum ego, & in laboribus à Iuuentute mea.

Verba. *Matt.* 11.29 c. 18.3. & 4

Actiones.

Passiones.

Psal. 87. 16.

MEDITATIO XVIII.

Annuntiatio ad Pastores.

PVNCTVM I.

Angeli adorant.

QVÒD Angeli, viso, Domino in præsepi, obstupuerũt, supplicesq; eũ de cœlo adora-

dorauerunt, iubente etiam Deo Patre. *& adorauerunt eum omnes Angeli eius.* Et cum absconditum mortalibus, obscurumque cernerent, gestiuerunt omnes venire in terras, atq; illius annuntiare Natiuitatem. sic ego accendar studio manifestandi Dei nomen hominibus, vt cognoscant in terra viam eius, in omnibus gentibus salutare eius. *Heb.1.6.*

PVNCTVM II.

QVOD Pastoribus Christus annuntiatur 1. Non sapientibus circa Bethleem, quia superbi; non diuitibus, quia cupidi; non Nobilibus, quia delitijs dediti: sed humilibus pauperibus, laboriosis, superque gregem vigilantibus: *Confiteor tibi Pater, quia reuelasti ea paruulis.* 2. Annuntiatur gaudium, cuius materia est: *quia natus est nobis Saluator.* non sibi nascitur, non Angelis; sed nobis, qui salute indigebamus. *Nobis natus, nobis datus, ex intacta Virgine* 3. Signa mirabilia indicantur, per quæ reperiatur, *Inuenietis infantem, pannis inuolutum, positum in præsepio*, ergo signa sunt infantia, paupertas, & humilitas. ex his intelligam⁹, an in me natus sit, si ea vigeant in corde meo.

Pastoribus euclatur. 1.

Matt.11.12. 2.

Luc.2.10.

3.

PVNCTVM III.

ANGELORVM gratulatio & glorificatio. mittit Deus Angelos, vt sic humiliatum eius filium clarificent, quod Deus facere consueuit inter despectiones. Deinde, vt discamus, quid nos face-

Quare mittantur Angeli.

re

re conueniat; quomodo glorificare, & gratias agere, quando propter nos ille Humiliatus est. *Gloria in excelsis Deo*: quippè non aliud Dei opus magis ad illius gloriam facit, quàm Incarnatio Verbi. Quòd si in cœlo propter illud glorificatur, vtique & in terrâ. Deus propter hoc debet glorificari. *quæ* ideò dicitur *plena gloriâ* Dei. ô impendã me totũ in illã. *Et in terra pax*: Multiplex pax, hominis cũ Deo, per remissionẽ peccatorũ: Hominis secum, per subiectionem carnis ad Spiritum; Hominum inter se per concordiam voluntatum. *Orietur in diebus illius iustitia, & abundantia pacis. Hominibus bonæ voluntatũ.* Iis nimirum, erga quos benigna est Dei voluntas, quæ est radix nostri omnis boni. sed & ijs, qui ipsi sunt bonæ voluntatis ordinatæ in Deum, subiectæque illius legi. Talibus promittitur pax; non autem ijs, qui boni sunt intellectus, aut alijs pollent talentis.

Isai. 6.3.

Psal. 75.7.

PVNCTVM IV.

RECEDVNT Angeli, & in transitu inuisunt præsepe, ibi canticum repetentes, quanta Mariæ exultatione!

MEDITATIO XIX.

Adoratio Pastorum.

PVNCTVM I.

Pastorum feruor.

PROFICISCVNTVR Pastores. Nõ postha-

bent

bent acceptum nuntium, vt quidam diuinas inspirationes; sed hortantur se mutuo ad inquirendum ostensum sibi bonum. Est quòd apud Ezechielem *Cherubim percutiebant* inter se *alas*, quasi gestientes, ad obsequium Deo præstandum Deinde, etsi non fuerit eis mandatum, nutum tamen pro mandato habuerunt. Perfecta obedientia. Denique festinantes feruore magno ac desiderio. *Ezec. 1 & 3.*

PVNCTVM II.

REPERIVNT annuntiatum, & adorant. Credibile est, ad primum conspectum ex infantis ore promicuisse splendorem, simulque intus illuminatos fuisse pastores, vt illum Mesiam & Deum esse cognoscerent. Deinde ad hanc illustrationem reuerentia tacti, simulque amore succensi, prosternunt corpora, adorant, gratias agunt, offerunt de sua paupertate, implentes illud: *non apparebis vacuus ante Dominum.* Tum ad matrem conuersi, quæ sanctitatem spirabat, eam reuerenter alloquuntur, gratulantur de tali prole, narrant quæ viderant, & audiuerant de puero hoc. Illustrati Pastores. *Deut. 16. 17.*

PVNCTVM III.

RECEDVNT ad propria, glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quę audierant, & viderant, vel circa præsepe: nam viderant infantem admirabilem, & audiuerant ibi aliqua mirabilia de illo à Matre: vel quæ Recedunt.

audiuerant ab Angelo, & conferendo ea cum visis ad præsepe, laudabant Deum. Deinde hæc audita & visa narrabant alijs; & omnes, qui audiuerunt mirati sunt, tum apud præsepe narrabant, quò alij aliqui confluxerant, exciti aduentu Pastorum. tum obuijs, vt fit in rebus insolitis. Porrò cæteri mirabantur, MARIA autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quatuor genera hominũ. 1. quidã, etiã auditis, nihil mouebantur, alijs intenti. 2. Aliqui illac transeuntes, & introspicientes, nihil notantes singulare, præteribant. 3. alij fide viua accedentes, agnoscunt & adorant, fructumque referunt; sed recedunt ad sua. 4. alij inhærent, vt Maria & Ioseph, voluuntque asiduè, & inter se conferunt mysterium.

Quatuor genera hominum ad præsepe.

MEDITATIO XX.

Circumcisio Christi.

Pro festo circumcisionis 1. Ian.

PVNCTVM I.

Obedientia

AESTIMANDA in Matre & sponso obedientia legis, ob quam subiecerunt, Circũcisioni Filiũ, imò ipsimet circũciderunt, vel Maria, vel Ioseph. Itẽ affectus Matris in ipso actu: quã cõpatiebatur! quã blandè fouebat, quã deuota sanguinẽ excipiebat, quâ diligentiâ plagam curabat: quâ curâ primitias Sanguinis & præputium asseruabat, eaque Patri æterno offerebat: vel sola ad redemptionem nostram abundè suffectura?

PVNCTVM II.

QVALIS in Circumciso infante affectus! 1. Obedientiæ erga legem durissimam, in qua poterat secum dispensare, vt Deus; aut quâ etiam non tenebatur, quippè ab originali culpa immunis, cuius erat testificatio ipsa Circumcisio quam suscipiendo, vniuersæ legis faciendæ debitor fiebat. 2. Humilitatis, dum notam peccatoris accipit: nos autem, qui verè sumus peccatores, renuimus videri, aut dici. 3. Patientiæ in ferendo vulnere, ob teneram complexionem, valde acri; & quia pollebat vsu rationis, non tantùm ictum sensit, sed expectatio abscisionis, & aspectus cultri timorem & tristitiam naturaliter afferebat: quod in alijs non euenit infantibus. Porrò ita doluit, & plorauit, vt simul gauderet ob impletam in eo Patris voluntatem 4. Charitatis tum erga Patrem, tum erga nos, quâ etiam omnem Sanguinem dare, innumerasque plagas accipere paratus fuit.

1. Christi obedientia.

2. Humilitas.

3. Patientia.

4. Charitas.

PVNCTVM III.

QVòD est quædã spiritualis circumcisio, quam Christus nos docet sua corporali: nẽpè superflua abijcere in vitæ cõmodis, & inordinatos affectus resecare. Hanc nostrã circumcisionẽ qui iuuant, eique cooperantur, amandi sunt; nẽpe qui vel incõmodo, vel iniuria aliqua nos afficiũt: vnde nimius nostri, & honoris proprij amor castigatur. Deinde considera, quòd Christus tripliciter Sanguinẽ fudit.

Circumcisio spiritalis.

Sanguinem fudit ter.

dit. 1. In circumcisione à suis, debito & sancto
1. ministerio. 2. à se ipso in horto per vehemétem
2. cum imminente morte conflictationem ani-
3. mi spontè susceptam. 3. à Sathanæ ministris in
passione ipsa. Ita etiam circúcisio nostra par-
tim ab ijs, qui præsunt, perfici debet, ampu-
tando occasiones & mortificando subditorum
affectus, detrahendoque non necessaria: par-
tim à nobis ipsis per voluntarias mortificatio-
nes, partim ab aduersarijs & calumniatori-
bus. Offeram me ad omnem modum.

MEDITATIO XXI.

De impositione Nominis Iesu.

PVNCTVM I.

Iesu nomē. NOMEN Christo imponitur à Deo, qui solus potuit nominare ipsum, vti solus nouerat finem & officium illius. nominauit autem Iesum, hoc est, Saluatorem. quod nomen si quidam alij acceperunt, vt in figura tātùm, & secundùm quid: Christus autem simpliciter & excellenter multis modis. 1 quia ab omni simpliciter malo nos liberat. 2. quia sic liberat, vt simul introducat in omne genus boni in hac vita & altera. 3. quia modo singulari liberat, quòd sit Deus & homo; vnde fit, vt, persoluto pretio, ad æqualitatem redimat, non ex potentia tantùm, qui dicit: *Ego qui loquor iustitiā, & propugnator sum ad saluandū.* Igitur, *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Porrò B. Virgo Maria prima fuit, quę infan-

Christo antonomasticon.

Isai: 63. 1.
Habac. 3. 18
2. V. nomen indit.

infanti iam nato hoc nomen imponendum edixit, & prima illud pronuntiauit: Iesus est nomen eius; in pronuntiando autem tum ipsa præcipuè, tum Ioseph, & astantes mira perfusi sunt suauitate, tanquam ex effuso foras vnguento, quippè *oleum effusum nomen tuum*, ô Iesu: *ideo adolescentulæ dilexerunt te.* inprimis Mater, *cuius spiritus exultauit in Deo salutari suo.* In Deo Iesu suo: Impositum sibi nomen acceptauit infans, gratiasque agit Patri æterno pro nomine, & officio, ad exequendum illud paratissimus. Cant. 1. 3.

PVNCTVM II.

CVR nomen in Circumcisione imponitur. 1 ad clarificandum ipsum, vt quia tanquam esset peccator, circũcidebatur; ex nomine innotesceret, eum esse Saluatorem, qui tollit peccata mundi. 2. ad significandum, quòd Saluator veniret per Sanguinem, cuius modò quasi primitias offerret, daturus postea totum.

PVNCTVM III.

EXCELLENTIAE huius nominis: quod si nec nominari potest, *nisi in Spiritu sancto*, vt ait Apostolus, quis eius excellẽtias assequatur? 1. cõplectitur perfectiones diuinas, qui si Iesus est, vtiq; in facto bonus, Sanctus, sapiens omnipotẽs, misericors; sunt enim hęc necessaria ad saluandum: siquidem *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* 2. cõplectitur omnia dona gratię & virtutum; quia *de plenitudine eius* participare 1. Cor. 12. 3 Excellentię huius nominis. 1. 1. Cor. 1. 20. 2.

 debent,

3. debent, qui saluantur. 3. officia omnia illius, quòd sit Magister, Medicus, Pater, iudex, Aduocatus, Pastor, Protector. Iesus meus & om-
4. nia. 4. est compendium aliorum nominũ apud Isaiam: *Vocabitur nomen eius admirabilis con-*
Isaia. 6 9. *siliarius Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Prin-*
5. *ceps pacis.* 5. est mihi fons & origo bonorũ omnium. in hoc datur remissio peccatorum; orationes à Deo exaudiuntur, ægritudines spirituales curantur, tentationes vincuntur; dæmones profligantur, pericula auertuntur: est Lux & Dux, atque ad omnes virtutes stimulus.

Pro Epiphania D. 6 Ian.

MEDITATIO XXII.

Magorum profectio Hierosolymam.

PVNCTVM I.

APPARITIO stellæ: Voluit Deus, sicut in Iudæa pastoribus, ita etiam Gentibus manifestare ortum Saluatoris, atq; ad adorandum vocare, siquidem omniũ erat Saluator, tum Iudæorum, tum gentiliũ. illis autem per Angelum, his per nouam Stellam significauit, iuxta vaticinium Balaam. Multi etiã alij eandem stellam viderunt, & quem indicaret, coniecerunt, sed hi tantũ magi ad inquirendum permoti sunt. Sic plerique commodis temporalibus intenti, posthabent lucem diuinæ inspirationis, aiuntque illud: *Leo est in via. occidẽdus sum*, prætexẽtes excusationes,

Num. 24. 17.
Soli tres Reges sequuntur.
Prou. 22. 13. c 26. 13.
Amos 5. 19.

ſed *qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix*: & iſti pro temporali incommodo incurrunt æternum. *Iob 6. 16.* Singulare beneficium magis collatũ, vt præ tot alijs efficaciùs mouerentur, vt omnibus poſtpoſitis; quærerent Chriſtum; quale Abrahæ: *egredere de terra tua*. Optem ita vocari: *Gen. 12. 1.* &, ſi vocatus ſum, Mundumque reliqui, vt Chriſtum inuenirem, gratias agam. Nam alioqui, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, ita vt obtemperent. *Mat. 20. 16.*

PVNCTVM II.

PROFECTIO Magorum. Dant ſe viæ: & ecce, vident ſtellam præire ducem, vt olim Hebræos antecedebat columna nubis per diem, ignis per noctem. *1. Stella duci.* nempè aggredientibus magno animo ſeruitium Dei adeſt gratia ſingularis ad proſequendum cœpta. Sequuntur ſtellæ ductum, in neutram partem declinando; *2. Sequuntur.* & cùm illa vel quieſcendo, vel mouendo. ita ego ductum rectæ rationis, ſupernaturale item lumen, & illuſtrationes à Deo immiſſas, & denique ſuperiorum, & ſpiritualis Patris directionem ſequar, quaſi totidem ſtellas, vel vnam potiùs ex pluribus coagmentatam. Appropinquantibus illis Hieroſolymam ſubducitur aſpectibus eorũ ſtella, *3. Se abdit.* ad fidei conſtantiæque probationem; ac licèt triſtati fuerint, non tamen à cœpto deſtiterunt. Ita nos, cùm ſubtrahitur conſolatio, non reſiliemus. Conuerterunt autem ſe ad media ordinaria, quærendo ex alijs; ſicuti

Cant. 3. 3. Sponsa: *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Adeundi Prælati, & qui nos iuuare queunt.

PVNCTVM III.

INTERROGANT audacter de Rege nato. 1. Elucet fides eximia. non quærunt: an sit natus, sed de loco tantùm, quasi de re nihil dubitent. 2. Magnitudo animi. non verentur, in regia ciuitate, & aula ipsa alium Regem Iudæorum quærere, quàm qui præsidebat. Qua tanta illorum confidentia turbatur Herodes, ipsi verò minimè. Cum Herode turbatur Ciuitas, quæ potiùs gaudere debebat, cùm ex Mesiæ expectatione, veriquę sui Regis tota penderet: sed fit, vt potentioribus consentiatur, etiam in malo.

1. Fides.
2. Magnanimitas.
Turbatio.

PVNCTVM IV.

HERODES inquirit ex Sacerdotibus. Elucet mira prouidentia Dei. 1. Quòd iniquum faciat cooperari suo consilio. Diligentiâ enim Herodis patefit locus Natiuitatis. 2. Quia per malos ministros & sacerdotes aperit sensum scripturarum pijs. *Labia enim Sacerdotum custodiunt scientiam.* 3. Quòd scriptura sit lumen ad inueniendũ Christum, quæ cũ habetur, non est opus alia stella. *Scrutamini scripturas, illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* 4. Iudicium Dei, quòd gentiles è longinquo cum labore veniunt adora-

Herodes locum designat.
Mala. 1. 7.
Ioan. 5. 30.

tum; Iudæi autem, quibus promissus, & inter quos erat, non se loco mouent, scilicet *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* *Ioan. 6. 44.*

MEDITATIO XXIII.

Inuentio & adoratio Regis Nati.

PVNCTVM I.

PROSEQVVNTVR Magi iter, & iterum vident stellam. Cùm primùm de loco Natiuitatis indicium acceperunt, relicto aulæ strepitu, pergunt. nō nisi ex necessitate, inter tales morari oportet viros Religiosos. Quin ipse Rex Dauid à tumultu cupiebat liberari. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Nota etiam bonitatem Dei, qui Magos iam ex indicio pergentes, voluit solari, reddita stella, vnde illi mirificè recreati sunt. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animā meam.* Ita Deus agit cum homine.

Desere aulas.

Psal. 54. 7

Psal. 93. 15

PVNCTVM II.

APPVLSVS in Bethlehem, & ingressus in domum. 1. Stupent, cùm vident stellam super casam stare. sed continuò illustrati sunt, quòd Regnum eius non est, vt Mundi. 2. Inueniunt Puerum cum Maria Matre eius, sic etiam pastores. Non facilè disiunguntur IESVS & MARIA, & debent in affectu

1. Stupor Regum.

2. Iesus & Maria.

5. Illustrantur Reges. nostro coniungi. 3. Ad conspectum Infantis emicuit ex eius vultu radius, qui etiam mentes Magorum illuminauit, vt agnoscerent, illum esse verum DEVM, Regemque & Saluatorem. Vnde gaudio magno valde perfusi sunt, magis quàm ex reuisa stella. Et vti quæ erat Christus *stella matutina.* Quare impletum tunc in Magis illud: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Apoc. 2. 28. c. 22. 16. Psal. 16. 15.

PVNCTVM III.

1. Reuerentia. MAGI adorant, & offerunt. 1. Procidunt ad terram totis corporibus, simulque animis demissisimè prosternuntur, impleriq; cœpit: *Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent.* 2. Fuit adoratio Latriæ, tanquam vero Deo exhibita, pro salute hominum facto homini: pro quo in genus humanum beneficio, proque singulari erga se Magi gratias ex intimo corde infanti egerunt, impleueruntque illud pro sua parte, *& adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes seruient ei.* O seruiant illi omnes, ac imprimis ego, & tandem fiat ei, quod apud Isaiam: *Mihi curuabitur omne genu.* 3. Promunt Aurum Regi, Thus Deo, Myrrham homini mortali: nec non interna; Aurum charitatis, Thus deuotionis, & Myrrham mortificationis. quæ & ego offeram: ac, si Religiosus sum, trina vota. In Myrrha Castitatem, quâ caro à corruptione præseruatur: in Auro Paupertatem, quæ omnibus se

Psal. 71. 9. 2. Latria. Psal. 71. 11. Isai. 45. 23. 3. Oblatio.

abdicat Christi causa: in Thure Obedientiam, quæ est oblatio totius hominis in odorem suauissimum Deo. Nec bonus IESVS dimisit indonatos, aut se vinci liberalitate passus est. Reddidit vicissim Magis Aurum Sapientiæ, qua mysterium Incarnati VERBI perceperunt; Thus insignis deuotionis, internæque consolationis; Myrrham incorruptionis à peccatis, ne posthac laberentur lethaliter, quæ est confirmatio in gratia. ita piè credi potest.

PVNCTVM IV.

COLLOQVIA Magorum cum MARIA: narrabant de stella, de gestis Hierosolymis, circumspiciebant casam, præsepia, pannos, ipsam Matrem admirabantur. illa vicissim conseruabat omnia, conferens in corde suo; laudabat eorum fidem, confirmabat. Non adfuerat initio Ioseph, vt indicaretur, Infantem hunc non habere Patrem in terris, quà homo erat. superueniens autem Ioseph, quæ sensit? quæ dixit? Cùm pernoctassent ibi, admonentur in somnis, ne redirent ad Herodem, (quod ille petierat) ne ipsi & infans in periculum adducerentur. parent, & alia via reuertuntur, gratulantes sibi pro suscepto labore. Ita ijs contingit, qui constanter Christum quærunt.

MEDI-

MEDITATIO XXIV.

Pro festo Purificat. 2. Febr.

Purificatio Matris, & præsentatio Filij.

PVNCTVM I.

B. Virgini virtutes.

VIRGO implet legem Purificationis, quę iubebat: Mulierem quæ peperisset Masculum, oblato sacrificio purificari in templo
1. post 40. dies. 1. Libenter se continuit per illos dies in illa casa, intenta alendo filio, &
2. defixa in contemplatione tantæ rei. 2. Enituit puritas, quòd, cùm purissima esset, ad-
3. huc voluit purificari. 3. Obedientia erga legem, à qua tamen erat exempta, quòd conce-
4. pisset, non excepto semine. 4. Humilitas, profitendo, se indigere purificatione, dum ritum
Leuit. 12. 2. 3 seruabat *offerendi columbum, aut turturem pro peccato*: sicut filius se peccatorem exhibuit,
5. admissa circumcisione. 5. Amor paupertatis, quia non agnum obtulit in holocaustum; sed pullum columbę, aut turturem, quod permittebatur pauperibus, & potuisset procurare Agnum ex oblatione Magorum; sed maluit ex
6. pauperibus esse. 6. Deuotio & reuerentia, qua munus suum obtulit Sacerdoti, petens pro se orari. Hæ sex Virtutes sunt instar sex
Cant. 2. 2. foliorum lilij candidissimi, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

PVNCTVM II.

LEX altera iubebat offerri Deo omne primogenitum, in memoriam liberationis

ex Ægypto, ab internecione primogenitorũ omnium, tam hominum, quàm pecudum. 1. Deuotè offert Patri æterno filium ipsius, & proprium oblationẽ significatam præteritis sæculis per tot illas primogenitorum oblationes, & optatissimam ipsi Patri æterno, multoque acceptiorem, quàm Abelis, Noë, Abrahæ, omnibusque Mosaicis sacrificijs: per quam petebat pia Mater toti Mundo salutem, & reconciliationem. 2. Infans quoque ipse offert sacrificium Patri: quandoquidem priores oblationes non auferebant peccata: at speciatim cogitabo, quòd pro me se obtulerit: ô offeram ego me ipsum.

1. Oblatio B. Virginis.

2. Ipsius Christi.

PVNCTVM III.

PRIMOGENITVS debebat redimi quinque siclis. 1. Redimitur à Deo Patre, cui fuerat oblatus. Non sibi retinet, testificans, quod vult, prorsus eum esse nostrum. 2. Redimit Virgo Mater, vt nutriat, non vt seruet sibi, sed Mundo 3. pretium, quinque sicli, non pluris hic, quàm alij primogeniti, redimitur. Ostendit Deus promptitudinem dandi eum nobis, vt noster sit: siquidem tam paruo redimi eum sinit. Quinque sicli possunt intelligi, mortificatio quinque sensuum, vel quinque virtutes, quæ ad Christum disponunt, recuperando cum Deo gratiam. Viua fides, Timor Dei, dolor de peccatis, fiducia de Misericordia Dei, ac stabile propositum emendationis

Redimitur 5. siclis.

Sicli quid?

4. Redimitur in eum finem, vt sub potestate hominum sit, & morti etiam pro ijs tradatur.

MEDITATIO XXV.

De Simeone & Anna in præsentatione Christi.

PVNCTVM I.

Simeon qualis? VIRTVTES Simeonis & oraculũ. 1. Erat
1. vir *iustus & timoratus*; cauens diligentissimè, ne quid offendat. *Qui timet Deũ nihil negligit.* 2. *Expectans consolationem Israel*, per
2. ardentia desideria, per preces cum fiducia
Eccles. 7. 19 magna. 3. *Et Spiritus sanctus erat in eo*, non tan-
3. tùm sicut est in quouis iusto, sed peculiariter, à quo proinde incitabatur ad flagitandam ardenter & expectandam consolationem Israel, ipse enim spiritus postulat pro nobis, dum postulare facit. Qua fiducia & vitæ sanctimonia meruit *responsum accipere, non visurum se mortem, donec videret Christum Domini.* DEVS *Voluntatem facit timentium se, & deprecatio*
Psa. 144. 19. *nem eorum exaudit.* 4 Datur etiam nunc aliquibus in hac vita videre Christum Domini per contemplationem; sed quia scriptum est:
Exod. 33. 20. *Non me videbit homo & viuet*; moriar per mortificationem, vt videam per contemplationem: aut planè moriar hic, vt illic videam facie ad faciem.

PVNCTVM II.

IMPLETVR votum Simeonis. *Venit in spiritu in templum, & accepit Christum in vlnas suas.* Verè *potens est Dominus facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus.* Eph. 3. 20.
Petierat Simeon videre, & datur ei amplecti ipsum, contrectare, exosculari: Multi tunc aderant, solusque agnouit Simeon, quòd Infans nihil præ se ferret foris singulare. Ita contingit, vt solùm, qui dispositi dignè sunt, Christum in Eucharistia agnoscant, & fruantur. Solus Simeon illustratur.
Præterea æstimetur gaudium boni Senis, præ quo ducebat omnes labores pro nihilo, & nihil superesse amplius in hac vita sibi optandum. Ita & tu, *propter eminentem scientiam Iesu Christi, omnia arbitrare vt stercora, vt Christum lucrifacias.* Philip. 3. 8. Duo collige ab Exemplo Simeonis, quæ faciunt ad felicem mortem. Corollarium. 1. Fiduciã, quam sancti concipiunt futuræ retributionis, cùm experiuntur in hac vita, quomodo Deus consoletur suos, ac centuplum eis nunc reddat, iuxta promissum suum. 2. Fastidium rerum humanarum: vnde cupiunt dissolui, & esse cum Christo. Tandem quid sensit Mater, similiter & Ioseph, cum agnosci puerum à sancto sene viderent, & ita prædicari. *Mirantes erant super his, quæ dicebantur de illo.* Luc. 2. 33.

PVNCTVM III.

Prædictio Simeonis.

SIMEONIS ſermo ad MARIAM. Prædicit, ipſam doloris gladio transfigendam. ſic Deus miſcet triſtia lætis, ſummo conſilio. Et voluit, vt B. Virgo & Mater iam tunc inciperet amaritudinem filij paſsionum perſentire. Deinde de puero, quòd futurus ſit in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael. Ex parte quidem Chriſti, nulli in ruinam, ſed in reſurrectionem tantùm, ad prouectionem ad gratiam & gloriam. ex parte verò ipſorũ hominum, qui abuſuri erant beneficio, & ſcandalizandi in ipſius humilitate, etiam ad ruinam. Item quòd in ſignum contradictionis, in quem tanquam in ſcopum iacularentur, calumniando doctrinam, miracula, mores, & vitæ etiam inſidiando. Gaudebo ad imitationem Chriſti, quando propter ipſum contradicetur mihi.

PVNCTVM IV.

Annæ virtutes.

ANNAE confeſsio. cui etiam reuelatus fuit Chriſtus: eius quoque inſignes extitêre virtutes, quibus id promerita eſt. *Caſtitas Vidualis, Oratio, & ieiunium, Legis obſeruatio, & aſsiduitas* in templo cum annorum 84 *perſeuerantia* in hiſce bonis operibus.

MEDI-

MEDITATIO XXVI.

est de applicatione sensuum.

MEDITATIO XXVII.

Dominica infra Circumcisionem.

Fuga in AEgyptum.

PVNCTVM I.

PERSECVTIO Regis Nati. instigante Diabolo, qui suo Regno à tam admirabili Infante metuebat: Herode Rege successorem non ferente, & populo assentiente Regi impio, Christus quæritur ad necem. Cœpit iam tunc impleri Simeonis vaticinium de contradictione. Et voluit Pater æternus ab Infantia Filium suum laboribus exerceri, & proprium est Mundi persequi aduersantes sibi. Id euenit primitiuæ Ecclesiæ. & passim iustis. *Omnes enim, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* & præmonuit nos Christus, *non est seruus maior suo Domino; si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Potuit aliter quàm fugiendo declinare periculum; sed ita maluit. 1. Vt plus pateretur in exilio apud extraneos, nec fugit ad Magos, vbi in pretio esset; sed ad ignotos, vbi lateret, quod imitari debemus, vt velimus in occulto esse, dum aliter de nobis disponit per superiores. 2. Voluit etiam genti Idolis deditæ prodesse, & implere Isaiæ prædictionem: ***Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur***

Christi Persecutio.

2.Tim.3.12.

Ioan.15.20.

Quare fugerit.

1.

2.

Isai.19.1.

AEgyptum, & commouebuntur simulachra AEgypti à facie eius. Hæc nubes fuit sacra illius humanitas, vel etiam Matris vlnæ, in quibus portabatur. Simulachra aūt cōmota sunt, quia fundamentū ab eo positū est illius perfectionis, quæ postea in AEgypto maximè viguit in sanctis Anachoretis & Cœnobitis, per quam Idola, quibus Mundus seruiebat, diuitiæ, honores, & voluptates, prostrata sunt & conculcata. ô cùm Christus in nube panis ingreditur ad me, simulachra prauarum affectionum turbentur! Quod Christo euenit fugienti in AEgyptum à facie Herodis, euenit eius corpori primitiuæ Ecclesiæ, sanctisque Apostolis, qui pulsi à Iudæis, se ad gentes conuerterunt. Ne me deserat, obsecro, meus Iesus. ne ego tibi, bone Iesu, secedendi præbeam occasionem, & ne alius accipiat coronam meam.

PVNCTVM II.

[A]pparitio [A]ngeli.

REVELATIO de fuga capescenda. Deus mittit Angelum, prouidentiam gerens de Filio, donec veniret hora eius; gerit etiam de Iustis, adoptionis filijs. Per Angelum intimat, quia vult sibi obediri, etiam in ministris. Non matri intimat, sed Iosepho, cui, vt capiti domus, voluit Matrem subiacere. Nec illa ægrè tulit, sed perinde paruit, ac si fuisset sibi reuelatum. dummodo voluntas Dei fiat, non interest, per quem innotescat. Discam ita obedire, & subordinatis.

PVNCTVM III.

CIRCVMSTANTIAE Mandati. 1. dormienti noctu imperatur. vult Deus postponi quietem, & commoda propter obedientiam. 2. Iubetur puerum & Matrem adducere, cęteris relictis, quò tutiùs abiret. Sic ego, dum voluntas Dei vrget ad aliquid, non prospiciã de commoditatibus: sufficit Iesum & Mariam secum habere. 3. Locum exilij designat AEgyptum, hostilem terram. Qui sub obedientia Religiosa degunt, non sibi deligant locum: vbique tuti sub Dei manu erunt. 4. Terminum exilij non assignat, *donec dicam tibi.* Deo relinquamus, quamdiu in hoc aut illo munere & loco versemur, quia ipsi est cura de nobis. 5. Rationem fugæ reddit, ob periculum ab Herode. Etsi ad obediendum non requiritur, vt ratio reddatur, Deus tamen subinde facit, vt qui alioqui sine ratione paratus est obedire, si ea ex abundanti reddatur, suauius faciat. Vt in rebus fidei, quando ad promptitudinem credendi accedit miraculum, solatium est credenti. Quando autem rationem præcepti non assequimur, perinde obsequemur: imitantes quod dicit Paulus, *confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens, quoniam & super id, quod dico, facies.*

1. Nocte.

2. Puer & Mater.

3. Indifferentia loci.

4. Temporis.

5. Fugę ratio.

Ad Philem. ver. 21.

PVNCTVM IV.

OBEDIENTIA Ioſephi. 1. nihil replicauit, aut difficultates mouit. 2. celeriter obediuit. 3. non eſt moratus difficultatem itineris, & rerum neceſſariarum inopiam.

PVNCTVM V.

COMMORATIO in AEgypto: in magna rerum paupertate, labore manuum victitantes inter barbaros & impios, ferebant pacatiſsimè, Deo curam relinquentes; cruciabantur ob gentis impietatem & peccata. Credibile eſt, aliquos, ad Dei notitiam cultumque permotos fuiſſe admiratione huius ſanctæ familiæ; quam etiam iuuerint aliquibus ſubſidijs.

MEDITATIO XXVIII.

Cædes Innocentium, & reditus ex AEgypto.

In feſto SS. Innocentũ.

PVNCTVM I.

Ambitio.

COGITA. 1. quàm ſit ambitio pernitioſa, vt talia patret, & Chriſto ipſi inſidietur, & quàm ſuſpicax, vbi non eſt timendum 2. quàm Chriſtus compaſſus fuerit innocentibus, 3. quàm illis benè ceſſerit mors pro Chriſto obita.

PVNCTVM II.

MORTVO Herode reuocantur ex AEgypto. 1. Herodes frustratus voto occidendi Christum, regnum etiam amisit infelici morte, pro quo retinendo fuerat Christum persecutus. sic nihil proficit tandem iniquitas. 2. Ioseph admonetur per Angelum, fiduciamq; in Deũ maiorem cõcipit, quando videt, ita sui curam geri, sibique commissorum. Ideò me proijciam in Deum, *in cuius manu sortes meæ sunt.* 3. Angelus apud Iosephum non nominat ex nomine MARIAM, aut sponsam suam, nec modò, nec in priori apparitione, sed Matrem vocat, *accipe puerum & Matrem eius*, quia hoc nomen ipsi gloriosissimum, & ita ferè Euangelistæ appellant.

1. Decipitur Herodes.

2. Ioseph monetur.

Psal. 30. 15.

3. Mariã nominat.

PVNCTVM III.

REDITVS ex AEgypto. 1. sensère illi, qui assueuerant sanctis hisce hospitibus, & fortè ad Dei cognitionem adducti fuerant, illorum abscessum. 2. Ioseph solitus in dubijs ad Deum recurrere, edocetur, ne transeat in Iudæam. 3. Christus nomen contraxit à ciuitate, vbi enutritus; vt Nazaræus vocaretur, id est, sanctus, Deoque sacer. quis vt ille? vel floridus: quomodo non alius, omni genere virtutum, *flos campi, & lilium conuallium.*

1.

2.

3.

Cant. 2. 1.

MEDITATIO XXIX.

Christus ascendit in templum, & manet.

Dominica prima post Epiphaniā.

PVNCTVM I.

Consuetudo visitandi templ.

QVOD consuetudo fuerit MARIAE & Ioseph ascendendi in templum temporibus à lege præscriptis, ter in Anno, tum spiritu parendi legi, tum peculiari deuotionis erga Dei domum. Christus autem simul ascendebat, quòd ita parentes vellent; & vt ibi Patrem glorificaret, gratiasque solennes ageret cum reliquo populo pro communibus & priuatis beneficijs, quæ fuerat legis ratio præcipientis ascensum. Nec quia consuetudo erat, ideò ex consuetudine faciebant: sed ex deuotionis spiritu, quòd est in talibus atque alijs virtutum actionibus seruandum nobis.

PVNCTVM II.

Remansit Puer.

REMANSIT *puer Iesus in templo*: quia magis etiam, quàm Samuel versari in Dei obsequio appetebat, & vt exemplum daret pietatis circa res sacras, & cultum diuinum, præsertim in ea ætate, quando alij incipiunt ratione vti, vt doceret iam tunc assuescere oportere pietati, exercitationique virtutum. Remansit autem inscijs parentibus, ne, si illi repugnarent, videretur inobediens, cùm alioqui remanere eum oporteret: vel si per-

Inscijs parentibus.

mitte-

mitterent, eorum præsentia sibi foret impedimento. Discam affectum carnis & sanguinis deponere, &, si coniuncti prohibituri sunt, celare ipsos consilium, quamuis dolituros. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quã me, non est me dignus.* Et, *qui dixit Patri suo & Matri suæ, nescio vos, &c. hi custodierunt eloquium tuum.* *Matt. 10. 37* *Deut. 33. 9.*

PVNCTVM III.

VOLVIT IESVS manifestare se, idque in templo, & apud legis Doctores. in quo actu insignes exhibuit virtutes. 1. Modestiam, vultu, verbis, & moribus singularem; vt ea permoti, ad consessum eum admiserint. 2. Humilitatem, interrogando, & audiendo, quasi discens, non autem docens. 3. Sapientiam in quæsitis, & responsis, vt stuperent. 4. Zelum, quia non ad ostentationem, sed pro gloria Dei faciebat, vnde elati confunderentur, humiles illustrarentur interiùs. Quàm mihi eæ virtutes necessariæ! qui immorigerè, & arroganter scientiam iacto, quæ nulla est; indeque meam, non Dei laudem quæro.

Christi modestia.
Humilitas.
Discretio.
Zelus.

PVNCTVM IV.

QVID egerit illo triduo. Credibile, mansisse in templo semper, & humi cubasse, ac sine cibo vixisse, vel tenui emendicato.

MEDITATIO XXX.

Quæritur IESVS, & inuenitur.

PVNCTVM I.

Parentum virtutes in quærendo IESVM.

QVÒD DEVS Parentes, amiſsione talis Filij, abſque eorum culpa, & dum pium obſequium præſtant, voluerit exercere ad exemplum virtutum. 1. Patientiæ; nam ita dolebant, vt interiùs non turbarentur, neq; pacem cordis amitterent, neque conquererentur; ſed Deo ſe committerent. 2. Humilitatis, dum culpæ ſuæ tribuerent, quæ aberat omnis; vel quòd indignos ſe putarent tali vitæ ſolatio. 3. Studij, & curæ, vbi primùm aduerterunt, quærendi illum, dolore & amore exſtimulante, quodq; id paterni officij eſſe intelligerent. Non inuenerunt autem inter cognatos, quia propter eos non deſeruiſſet parentes. 4. Orationis, qua per noctem petebant à Deo ſibi reddi. Contingit ſpiritualiter amitti Chriſtum per diem proſperitatis, & animaduerti in nocte tribulationis, vel per diem vitæ, dum per teporem hęret quis in aliquo peccato mortali, nec ſe agnoſcit: aliquando tamen ad vitæ noctem recognoſcit. Gratiam quoque deuotionis Deus ſubtrahit ob varias cauſas, vel culpabiles, vel ex prouidentia.

PVNCTVM II.

Tempus tridui.

QVOMODO inuenitur. 1. Poſt triduum: in typum alterius tridui à morte ad Reſur-

surrectionem eiusdem Christi. Sed illa amissio & mora fuit multò acerbior, hæc tantùm quædam illius prægustatio. 2. Locus, in templo inuenitur, Orationis loco. Inuenietur in corde nostro, si illud fecerimus Orationis locum, non negotiationis: sic *sponsa non inuenit in plateis* & turbis distractionum, nec verò *in lectulo* commoditatum: quia, vt apud Iob, non inuenitur in terra suauiter viuentium. 3. Inter quos inuenitur? in medio Doctorum, audiens & interrogans. Inde intelligi potuit, cur remansisset. Inuenitur apud eos, qui habent clauē scientiæ. Cogitent isti, inter ipsos Christum esse, obseruareq; quomodo alios dirigant. 4. Gaudium MARIAE, maius quàm Matris Tobiæ: instar illius, quod postea percepit, cùm rediuiuū à mortuis recepit filium. Inuento IESV in tali actu & plausu, non ingessit se mater, vt fit, prædicando, suum esse filium, at modestè & tacitè rem considerabat, & exitum præstolabatur.

Locus templum.
Cant. 3.1.
Iob 28. 13.
Societas Doctorum.
Gaudium B. Virginis Mariæ.

PVNCTVM III.

QVOMODO Mater alloquatur inuentum filium. 1. *Fili quid fecisti nobis sic*? non est curiosa inquisitio causæ, sed amorosa expositio doloris, vt cùm Iob: *quare me posuisti contrarium tibi*? & Christus: *Vt quid dereliquisti me*? & Dauid: *Quare faciem tuam auertis*? simul indicatur, ab ipsius Dei prouidentia afflictionem venire, & posse, cùm velit, mederi. Solet in his verbum addi fiduciæ;

1. Alloquitur filium amanter.
Iob 7. 20
Mat. 27. 46
Psal. 43. 24.

vt, *Deus Deus meus*, vt quid? &c. & Maria: Fili, quid? nam ex amore & fiducia proficisci debent tales quasi querelæ.

2. Humiliter.

2. *Pater tuus & ego.* Honorat sponsum, dum primo loco nominat, & gloriosum Patris titulum tribuit, se humiliat, quasi eius filius habeat alium Parentem præter se, quod inde colligebatur.

3. Cum dolore.

3. *Dolentes quærebamus te.* Debet quæri cum dolore, qui ex amore procedat, & cum simplicitate cordis purã ipsius gratiâ: non ob gustũ, aut commodum aliud. Et quærendus est diligenter, & perseueranter. *Quæretis me, & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.*

4. Breuiter. *Ierem. 29. 13*

4. *Sic*, emphasim habet. quàm pauca & cordata verba! vti aliàs solita Diua Virgo.

PVNCTVM IV.

Cur asperiusculè?

QVID responderit Christus. 1. *Quid est, quòd me quærebatis?* subasperior in speciem responsio. Sic subinde expedit, ad exercitium patientiæ, & humilitatis, quando etiã abest omnis culpa, vt hîc. Voluit etiam indicare, se plus esse, quàm hominem.

Seruire Deo.

2. *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* commendatur nobis studium diuini obsequij præ rebus omnibus.

PVNCTVM V.

CHRISTVS *descendit cũ eis, & erat subditus illis.* In itinere quærebat Mater ex eo, quid egisset illo triduo, & conseruabat verba eius in corde suo. Quàm deinceps fuerit Virgo attenta, ne Christum amitteret. Vtinã & ego!

MEDI-

MEDITATIO XXXI.

Vita Christi vsque ad annum trigesimum.

PVNCTVM I.

IESVS *proficiebat sapientia & ætate apud Deum & homines* Habuit à suo conceptu omnem sapientiam, & gratiam: proficiebat autem, quotidiè magis exercens, forisque ostendens. quemadmodum Sol in se idem, *crescere* dicitur *vsque ad perfectum diem*, secundum operationis efficacitatem. Spiritualiter crescere aut decrescere varijs modis contingit. 1. Aliqui, vbi cœperunt, mox retrocedunt. De his Christus: *Mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, non est aptus Regno Dei.* & sunt vt vxor Loth, *quæ versa est in statuam salis*, quòd retrospexerit. 2. Alij in progressu remittunt de feruore, & medijs, per quæ profecissent, qui in periculo sunt deficiendi. Ad tales Christus: *Habeo aduersum te pauca, quòd Charitatem primam reliquisti.* 3. Alij incipiunt, & pergunt, sed lentè qui etsi exteriùs non appareant deficere, solent tamen interiùs. 4. Alij, vbi inceperunt, pergunt alacriter: *ascensiones in corde suo facientes, & euntes de Virtute in virtutem.*

Prou. 4. 18.

1. Mali retrocedunt à modis. *Luc. 9. 62.* *Gen. 19. 26*

2. *Apoc. 2. 4.*

3.

4. *Psal. 83. 6.*

PVNCTVM II.

CRESCEBAT *coram* DEO *& hominibus.* Vitanda extrema. Aliqui, non habita

1. Modus crescendi.

bita ratione ædificationis apud homines, quæuis faciunt feruore proficiendi; alij tantùm coram hominibus proficere student, non in corde coram Deo. oportet autem prouidere bona & coram Deo, & coram hominibus. Crescebat autem *sapientiâ & gratiâ*. ad sapientiam spectant meditatio cælestium, prudentia agibilium, discretio sermonis: ad gratiam autem eæ omnes actiones virtutum, quibus placemus Deo & hominibus reddimur amabiles. Sicut de Christo dicitur: *non erit tristis neque turbulentus*. Proficiebat & Maria ab exemplo filij proficiam & ego.

2. Sapientia.

Isai. 42. 4.

PVNCTVM III.

Christus obediens.

DE Christo ab hoc tempore ad trigesimũ annum ætatis non habetur aliud, nisi quòd *erat subditus illis*. 1. cogita, quis obediebat. 2. in quibus: quæ in domo fabri, & paupere occurrunt faciendo; & faciebat omni affectu. Laus obedientiæ non est à dignitate actionum quæ fiunt; sed ab intentione & affectu facientis, qualescunque imponantur, licèt suo genere paruæ.

PVNCTVM IV.

Cur faber. *Marci 6. 3.*

EXERCVIT Christus fabrilem etiam post mortem Ioseph: vnde dicebant, *Nonne hic est faber filius Mariæ?* 1. ad exemplum vitandi otij. 2. vt se subijceret maledicto Adæ: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*. 3. Causa humilitatis. considera, quo affectu interno o-

Genes. 3. 19.

pera

pera faciebat, & offerebat Patri æterno la bores illos. tu fac similiter in omnibus.

PVNCTVM V.

QVOD Christus tanto tempore latuerit vsque ad trigesimum annum. Vnde postea mirabantur, *quomodo literas sciret, cùm non didicisset*. Imò dicebant: in furorem versus est: quia tam insolita dicebat & faciebat, qualia ab eo expectari non poterant, ex comparatione vitæ prioris. Ama latere, nec teipsum ostenta: Erit tempus, cùm Deus disposuerit.

PARS TERTIA MEDITATIONVM.

DE VITA ET DOCTRINA Christi à Baptismo ad Passionem.

INTRODVCTIO AD MEditationes III. Partis.

DE DVPLICI VITA, ACTIVA & Contemplatiua.

SPIRITVALIS vita constat partim externis actionibus, & dicitur Actiua; partim internis, & vocatur Contemplatiua. cùm vtræque iunguntur, efficitur vita Mixta; quam Christus tenuit & exhibuit. Ambæ sunt in Maria & Martha sororibus adumbratæ: de quarum officijs & proprietatibus aliquid pręmittendum est in vsum Meditationum sequentium.

CAPVT I.

De Actionibus vitæ Actiuæ.

Obsequia vitæ actiuæ. *Luc.* 10. 38.

INSINVANTVR in Martha, de qua S. Lucas: *Ingressus est Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Quibus verbis significantur tria obsequia vitæ actiuæ. Primum est, vt

1. Præparatio.

præparetur Christo domus, quod fit tribus modis.

Part 3 pag. 238
VOX CLAMANTIS IN DESERTO, PARATE VIAM DOMINI
BEATI PAUPERES SPIRITU QVONIAM IPSORUM EST REGNU Coelorum
Transfiguratus est
UNDE EMEMUS PANES UT MANDUCENT
HÆC CUM DIXISSET VOCE MAGNA CLAMAVIT LAZARE VENI FORAS
Tollat crucem suam

modis. 1. vt mundetur tota, videlicet à peccatis. Quoniam *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Huc pertinent opera pœnitentię. 2. vt reddatur tranquilla & absque tumultu: quò possit hospes quietem capere. Id perficitur compressis, & mortificatis passionibus appetitus. 3. vt ornetur, vtique virtutum moralium feruenti studio, & exercitatione. *Sap. 1. 4.*

II. Eleemosyna.

Secundum obsequium est, excipere Christum hospitio in pauperibus: sicut Martha excipiebat illum in seipso cum discipulis suis; exercendo in pauperes opera septem misericordiæ corporalis, de quibus Christus: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* *Mat. 25. 40.*

III. Zelus animarum.

Tertium est, præparare Christo hospitium in aliorum etiam animis: quod fit per opera misericordiæ spiritualis, perque ministeria docendi, concionandi, confessiones audiendi, & Sacramenta administrandi. Hoc erat munus discipulorum, quos præmittebat Christus *in omnem locum, quò erat ipse venturus.* *Luc. 10. 1*

CAPVT II.

De Actionibus vitæ Contemplatiuæ.

EXPRIMVNTVR in Magdalena sorore Marthæ. *Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat* *Luc. 10. 39.*

verbum

Pe vuin illius. Hoc est præcipuum Contemplatiuæ. sorores sunt, quia ab eodem Patre Deo genitæ: sed prior Martha, quæ Deo hospitium parat; tum Magdalena, quæ iam domi excepto fruitur. Huic conueniunt ista

I. Appropinquare Iesu. 1. Magdalena propinquior est Christo, quippe inhærens pedibus eius; Martha autem causa ministerij per domum discurrit. *Accedite*

Psal. 33. 6. *ad Deum & illuminamini.* 2. *sedet*: nempè quiescit, absque distractione, vni rei intenta, sepositis curis omnibus, atque internis potentijs sensibusque omnibus collectis, pacatisque

II. Assidere.

Psal. 45. 11. affectibus. *Vacate & videte, quoniam ego sum*

3. 84. *Deus. Audiam quid loquatur in me Dominus.* 3.

III. Ad pedes. *ad pedes* manet, inde affectus hauriens salutares, qui per pedes significantur. Primò, *humilitatis*, dum recumbit in nouissimo loco; de

1. 2. 3. inde *reuerentiæ* erga Christi Maiestatem; quam recognoscens demittit sese. Tertio *subiectionis*, paratam se ad obsequium illo situ protitens. Quartò *imitationis*, vestigijs Chri-

4. sti insistere cupiens. Talibus contingit illud:

Deut. 33. 3. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de*

IV. Audire Iesum varie. *doctrina illius.* 4. audit verbum. & huic rei præcipuè contemplatiua intendit. audit autem. vel sacros & pios libros legendo, vel spirituales magistros & cohortationes auidè excipiendo; vel meditando, & cum Deo colloquendo, vel denique per intuitũ contemplationis veluti spectando diuinam veritatem. In quem actum maximè conuenit auditio: nam hæc fit absq; nostris ratiocinationibus per il-

lapsum doctrinæ in interiorem auditum. Sic Paulus *audiuit arcana verba*. & Christus ipse: *Quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* 2. Cor. 12. 4. Ita anima per contemplationem excipit diuinas illustrationes & sensus, nullo labore, Ioan. 15. 15. magno gustu suauitatis; & *suscipit*, quod optat S. Iacobus, *in mansuetudine insitum verbum, quod saluat animas* suscipientium. Iac. 1 21.

CAPVT III.

Vita Actiua opus habet contemplatione.

ID apparet in Martha: quæ *satagens circa frequens ministerium, stetit & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic illi, vt me adiuuet.* Luc. 10. 40. Sanè Contemplatio debet adiuuare Actionem, vt hæc cum deuotione & suauitate perficiatur. Quare Martha stetit, aliquantulum intermittens actionem. Queritur autem amanter de subsidij defectu à sorore; per hoc volens impetrare à Domino auxilium contemplationis. Iube, inquit, & confestim fiet. *Mitte de cælis, & à sede magnitudinis tuæ spiritum sapientiæ, vt mecum sit, & mecum laboret: & sciam, quid acceptum sit apud te,* Sap. 9. 10. hoc est, vt tibi placere possim in actione mea. Sunt quidam ex occupatis in actione, qui queruntur quodammodo de ipso Deo, quasi

I. Contemplatio adiuuet actionem.

II. Contéplationis defectum queruntur.

quasi ab ipso deserantur, nulla quiete ac
pirandum concessa; quasi culpa actioni
quòd destituantur fructu contemplati
Qui quidem, si humilitatem colerent
magno beneficio ponerent, quòd in Dei
tiam sese totos impendere liceat sanctis
onibus, atque eâ ratione donum conten
tionis obtinerent, quod modò auertun
per superbam querimoniam, & fort
mulatam, qua tegere volunt & exc
tepiditatem suam in studio contempl
nis.

III. De contē-platiuis malè iudicant.

Alij autem queruntur de contempla
quasi otiosis, & Ecclesiæ Dei nihil conf
tibus, sed planè inutilibus: quo in iu
multum peccant. 1. Primò, quòd velint, ó
eandem inire viam secum, quasi vna ta
sit ad perfectionem contendendi. 2. Deine
rant, quòd otiosos existimant, qui Deo to
cant; & inutiles, quorum orationibus p
mum iuuatur Ecclesia, & illi ipsi, qui p
mis dant operam. Quare Dominus Mag
nam defendit, quę otiositatis arguebatu
rore. Agat igitur gratias Deo vnusquisqu
sua vocatione; in eaque se perficiat: d
que aliorum bono gaudens, faci-
at illud sibi propri-
um.

CAP

CAPVT IV.

De moderanda Actione.

NIMIAM sollicitudinem coarguit Dominus, quando Marthæ dixit: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Huius verò inquietudinis causa est triplex. Prima est naturæ conditio, ex qua quidam sũt ita animo inquieti, vt se colligere nõ valeant, ideoque amant distractiones. Alij autem sunt pacati, facilesque ad collectionem sui: sicut autem hos charitas, cùm opus est, ad actionem prouocat: ita illos frenare debet, & ab effusione cohibere timor spiritualium damnorum inde prouenientium; & spes de virtute gratiæ Dei eos ad connitendum confirmare.

I. Inquietudo naturæ.

Secunda causa est zelus indiscretus, atque defectus experientiæ: vnde fit, vt omnia complecti velint, & vbiq; adesse. Sic Dominus redarguit sollicitudinem Marthæ *circa plurima.* Corrigendus est error iste, & suum cuique rei tempus dandum, iuxta illud: *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis; & qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Hoc est, vir sapiens captat otium suo tempore, & vacare à curis; & per diminutionem, siue cessationem ab actione intendit sapientiæ acquirendæ.

II. Defectus Iudicij.

Eccl. 28. 25.

Tertia est causa, ab amore sui ipsius, quo fit primùm, vt in res proprias nimio amore feramur, atque ita effundamur foras supra modum: deinde impulsu vanæ gloriæ sæpè vrgemur ad multa aggredienda, & prosequenda,

III. Amor sui nimius.

Impetuosus.

non obstante propriò spiritûs detrime
Indiscretus Denique, per indiscretionem, non æstimar
quid expediat, dum licere videatur; co
1 Cor.6. 12. Pauli documentum: *Omnia mihi licent*,
non omnia expediunt. Quidquid ergo spec
aliquàm boni habet, sine delectu suscipit
quod est inconueniens.

CAPVT V.

De vno necessario, quod est pro prium vitæ Contemplatiuæ.

HOc Vnum commendauit Christus
Magdalena, *Porrò* VNVM *est necess*
Huc spectat vita Contemplatiua, vbique
nuens pluralitatem, amans vnitatem. Pr
I. in vsu rerum temporalium: ex quibus stu
Vnitas par quàm paucissimis vti. *Habentes alimenta*
simoniæ. *quibus tegamur, his contenti simus*. Multum
1.Tim. 6. 8. confert ad quietem cordis; & singularite
sectati sunt viri contemplatiui; & quò pa
ùs istis vtimur, liberaliùs à Deo donamur
II. ritualibus bonis. Secundò requiritur *vn*
Intentionis *intentionis*, quæ debet esse gloria Dei; & c
ad illam per se diriguntur, vti est præcipuè
lus nostra. quidquid non huc refertur, ex
vnum est, si vel totum mundum lucrifacia
Ephes.4.4. Huc spectat etiam *Vnitas*, quâ sumus *vn*
corpus, & vnus spiritus cum Christo, & vn
omnium fides, vnum baptisma, vna spes voc

onis, *vnus Dominus*, *vnus Mediator*, *vnus Deus*, *& Pater omnium*. Quare deteſtabor, quæcunque me ab hac vnitate corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, quocunque modo abducunt aut diuellunt. Tertia eſt, *vnitas* facultatum animæ, & actionum; quæ in vnum colliguntur, quando ſic in poteſtate ſunt, vt nihil obſtrepant, aut auertant animam contemplantis ab vnione cum Deo per contemplationem & amorem, ſed potius cooperentur ſub modo, atque ſubſeruiant.

III. Vnitas facultatum animæ.

CAPVT VI.

De præſtantia vitæ Contemplatiuæ.

COMMENDAVIT illam Chriſtus illis verbis: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* Vbi eſt notandum, quòd ait, Mariam *elegiſſe*: nam, etſi Deus inſpirator eſſe debet ſuſcipiendi vitæ genus, præſertim tam eximium: homo tamen ipſe obſequitur vocanti, & cooperatur.

Gratia & libertas principia ſtatus.

Vocat autem *optimam partem*, quo præfert eam vitę actiuæ, nam coniungit magis hominem ſummo bono; ſimilioremque Deo facit & Angelis, perficiẽdo ipſũ ſecundũ nobiliſsimas potentias rationales, intellectũ & voluntatẽ, atq; iſtas per actus omnium excellentiſsimos; nempè contemplationem primæ veritatis, &

Amor pro ximi.

amorem summi boni, à quibus actibus c de prouenit amor proximi, & feruor, a deuotionis sensus in operibus bonis pe endis.

1. In statu conseruat.

Addit porrò Dominus: *quæ non auferet ea.* Nam quos Deus semel ad eã vitã voc vult in ea permanere, nec vllis obtrectati bus (qualis erat illa Marthæ) ab instituto uocari.

2. Non impedit.

Deinde vult, vt à consuetis eius exercitationibus, per tempora distribu nullo modo patiantur se impediri, aut di hi, quouis alio prætextu meliorum. Na ipsos dicitur à sponso: *Ne suscitetis, nec eu lare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* V autem, quando id esse voluntatis diuin obedientia intelliget.

Cant. 2. 7. & c. 3. 5.

3. Nunquam aufert.

Deniq; Deus nunqu aufert hanc partem ab eo, cui semel contu sed eandem perficiet in æternitate, vbi ces te actione toti Deo vacabimus, amabimus laudabimus, vt dicit Augustinus.

De Ciuit. in fine.

CAPVT VII.

De vitæ mixtæ excellentia.

MIXTA est, quæ contemplationi ad actionem: cuius vitæ Mixtæ respe contemplatiuam solam Dominus voca *partem*: quia non est totum bonum. Ha Christus expressit; deinde Ioannes Baptis Apostoli, Doctores Ecclesiæ, alijque viri sa

ctissi

ctissimi secuti sunt. Significata verò est in *scala Iacob*, per quam *Angeli ascendebant & descendebant*. vtique homines Angelis similes, modò ad cœlum per contemplationem se attollentes, modò se ad terram demittentes, causa proximos iuuandi per oportuna ministeria. Et quamuis ista perfectio videatur esse paucorum, vt ait Cassianus, tamen ipsa contemplatio, amorque diuinus, dum proximi charitatem accendit, ad actionem instigat. Intelligit enim opus esse Deo gratissimum, cooperari Christo in lucro animarum faciendo, proque ipsis vitam ipsam fundere, paratum esse Cęterum sicut Martha indiget Magdalenæ subsidio, ita vicissim pulchra Rachel (quæ etiam contemplatiuam designat) inuidet Liæ lippienti, sed fœcundæ (quæ est actiua) clamatque: *Da mihi liberos, alioquin moriar*.

Gen. 28. 12. *Collat. 19. c. 9.* Contemplatio ad amorem proximi pellit. *Genes. 30. 1*

Quamobrem Dominum obsecrabo, vt Marthæ obsequium pariter & Mariæ otium tenêre valeam, neque me solicitudo Marthæ nimia à quiete Magdalenæ distrahat, vel huius studium auocet à subsidio proximis ferendo.

Oratio.

CAPVT VIII.

Quomodo Christus vtramque v[...] excellenter coniunxerit.

Luc. 6, 12. NOCTEM contemplationi, diem ad
tribuebat; quod significat Lucas: [...]
I. Christi orasio. *n montem orare, & erat pernoctans in ora[...]*
Dei. Circa quæ verba considerare possi[...]
Christi contemplationis modum, ad im[...]
dum.

1. Cum præparatione. 1. Accedebat paratus, sepositis distrah[...]
bus: nam eligebat locum à strepitu semo[...]
montem; tempus quietissimum, noctis, &[...]
2. Longa. lus secedebat. 2. Diu orationem produce[...]
vt qui in illa pernoctabat. Ac ille momen[...]
Deum assurgebat, nos autem non nisi m[...]
colluctatione obtinere possumus benedi[...]
nem, sicut Patriarcha Iacob. Et propterea[...]
Eccli. 7. 9. citur: *Melior est finis orationis, quàm prin[...]*
um: quia tandem post multam instantia[...]
conatum efficimur compotes alicuius c[...]
stis lucis, & consolationis. quare debemu[...]
3. Perfecta. rationem producere. 3. Oratio ipsa Chri[...]
rat perfecta, nam ait: *pernoctabat in orat[...]*
Dei. Phrasi autem Scripturæ res quæp[...]
dicitur Dei, quòd sit in eo genere exceller[...]
Thren. 3. 28. sima, qualis oratio à Ieremia describitur:
II. Oratio Dei respicit tripliciter. *debit solitarius, & tacebit: quia leuauit s[...]*
per se.

1. Præterea vniuersa oratio dici potest, [...]
quod ex omni parte Deum respiciat. 1. deb[...]

Spi[...]

Spiritu sancto inspirari, qui idcirco dicitur pro nobis postulare. 2. in Deum solum debet esse intenta, alijs curis seclusis. *Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.* 3. Summa petitionum debet esse honor Dei, & eius impletio voluntatis. 4. effectus est vnitio cum Deo, & transformatio in illius similitudinem. Oratio itaque perfecta verè appellatur Dei, qualis in primis oratio fuit Christi Domini.

2. Psal. 70. 16

3.

4.

III. Post orationē Actio.

Ab huiusmodi contemplatione Christus prodibat ad actionem: sed & inter actionem miscebat contemplationem, velut cùm in patrandis miraculis orabat Patrem: quod etiam fecisse tacitus, quando non memoratur aperte orasse, credendus est, & fecit, vt doceremur similiter, contemplationem eodem tempore cum actione iungere, non solùm eam præmittere. Sicut hortatur Ieremias: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Cum manibus, inquit, & inter operandum. Thren. 3. 41

IV. Christi Actiones.

Porrò Christi actio per tempus prædicationis eius maximè enituit, in concionibus, exemplis, & miraculis, quæ omnia fuerunt eximia, circa quæ versatur tertia pars Meditationum.

Digitized by Google

MEDITATIO I.

Vita Præcursoris.

PVNCTVM I.

AB Infãtia degit in deserto, vbi qua
imprimis præluxit virtutib⁹, quæ
I. Pœnitentia corporalis columnæ perfectionis. 1. Asperitas vitæ, h
bat vestimentum de pilis camelorum, &
nam pelliceã circa lumbos suos: esca aũ
erat locusta, & mel syluestre: &, haud d
nõ dissimile cubile & lectus, antrum, &
humus: ferebatq; omnes cęli molestias,
imbres, frigusque patienter. Nec hæç ob
cta præterita, cùm fuerit ab vtero sancti
tus; sed ad vitandas etiam leues culpas,
nemque spiritui subigendam, vtque ido
fieret diuinis percipiendis, quæ ordinar
nisi talibus sui victoribus communica
Ita studebo imitari quoad licebit, & of
me hostiam viuam, sanctam, Deo placen
præsertim quia ad satisfactionem pro m
peccatis mihi est mortificatio carnis nec
ria, non tantùm ad disponendam animan
uinis influxibus. Et tandem, quia *qui mol*
Matth. 11. 8. *vestiuntur, in domibus Regum sunt.* 2. Neg
II. Oratio. per id tempus illius fuit assidua oratio, &
templatio, implente illud Domino circa
Osee 2. 14. annem: *Ducam eam in solitudinem, & il*
quar ad cor eius. Vnde diuinis illustration
supra omnes Patriarchas & Prophetas d

Digitized by Google

tus est, atque ineffabilibus suauitatibus delibutus. Et meritò, vt qui ita se omni abdicauerat prorsus consolatione terrena. Nempe ad *montem Myrrhæ*, & mortificationis contendere oportet, vt ad *thuris collem* peruenias. 3. excelluit fortitudo & constantia in tam diuturna militia. Nec enim dubium, quin à Sathana frequenter & grauiter fuerit appetitus, quando ipsum Christum post quadraginta dierum solitudinem sic est ille aggressus; *delectatur enim cibis electis, & fiduciam habet, quòd Iordanis ipse fluat in os eius*, tantùm præsumit. 4. Cordis puritas, vel à minimis labeculis, & studium proficiendi semper; de quo dicitur: *puer autem crescebat & confortabatur spiritu.* quare in eum maximè illud conueniebat: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disponit, ibit de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Insistam hisce vestigijs, vt *crescam sicut matutina lux vsque ad perfectam diem.*

Cant. 4. 6. *Gregor. 1. dialog. c. 1.*

III. Fortitudo contra tentationes.

Hab. 1. 16. *Iob 40 18.*

IV.

Luc. 1. 80. *Psal. 83. 6.* *Prou. 4. 18.*

Pvnctvm II.

Ætate iam prouecta prædicare aggreditur. 1. id agit Spiritus sancti impulsu, cuius ductu antea latitauerat. nam solet Spiritus, quos ad perfectionem prouexit, ad alios quoque perficiendos inducere, ad parandam Domino plebem perfectam. Sed & qui in cellam vinariam introductus fuerat, exstimulante charitate, alios quoque ad dilecti sui amorem inflammare gestiebat.

1. Conciones ex Spiritus S. impulsu.

2. Accommodatæ auditoribus. bat. 2. Attemperabat prædicationen
auditoribus. In proteruos Pharisæos
ducæos hæreticos terribilis vt Elias
Matt. 3. 7. *mina* vocans *viperarum*, & extrema
tans: at in plebem, publicanos, & mili
nignus, apta singulis præbens docur
3. De Pœnitentia. 3. Prædicationis argumentū præcipuu
pœnitentia, ad quam inducebat, tu
quòd regnum cœlorum appropinquare
metu seueri iudicij, securi iam ad ra
arboris admota, & ventilabrum iā D
stante, ad purgandam aream, & triticun
4. Fructus. leis segregandum. 4. Fructus prædica
sequebatur magnus, magni ad eum con
fiebāt hominum, qui confitentes peccat
ad baptismum pœnitentiæ se offereban
que id totum nullo patrato miraculo. ta
valet sanctimoniæ exemplum. O, det Ec
suæ Deus multos eius efficacitatis!

PVNCTVM III.

1. Humilitas. HABITVS est pro Christo à po
quod vbi coniecit Ioannes, refra
est, in quo eluxit insignis humilitas. 1.
nec ob seuerissimam vitæ rationem, n
tam eximias virtutes, nec demum ob tā
populi plausum, conceptamque de ips
2. Christum exaltat. nionem, sibiipsi placuerit 2. Quòd no
simulauit rem, sed Christo gloriam ded
Luc. 3. 16. verò abiecit. *Ego baptizo vos aqua: ven*
tem fortior me, cuius non sum dignus s
corrigiam calceamentorum eius, ipse vos b

Digitized by Google

zabit Spiritu sancto & igne: vbi etiam baptismum suum extenuat, Christi autem magnificat, cùm nos extenuemus bona aliena, efferamus propria.

MEDITATIO II.

Testificatio Ioannis Baptistæ de Christo.

Pro Dominica 4. Aduentus.

NON populus tantùm, sed primores etiam dubitare cœperunt, nũ esset Christus? quare miserunt Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent: tu quis es? in Respõso quatuor heroicos demissionis actus exercuit.

PVNCTVM I.

CONFESSVS *est: quia non sum ego Christus.* Hic est primus actus præcisè & prompte amoliri à se, quod non erat, & deferre ei, cuius erat. Affectatio diuini honoris deiecit Luciferum, & primos parentes exturbauit, quosdam etiam potentes mortalium hæc insania inuasit. Contrà seruauit Angelos, eam respuisse, & Christi Apostoli vehementer auersati sunt omnem speciem delati sibi eiusmodi honoris. Calliditas fuit Sathanæ, vt Ioannem, quem alijs machinis labefactare nequiuerat, excellentiæ supra humanam delatione caperet. Sic aliàs agit, vt iustis maiora quædam supra meritum atque virtutem deferantur, vt euectos præcipitet, quod, qui in humilitate fundati sunt, cauent,

Actus Humilitatis. I. Dei gloriã quærit.

Calliditas Sathanæ.

sequen-

Eccleſ. 3. ſequentes illud: *quantò maior es, hum* *in omnibus.*

PVNCTVM II.

II. Debitum honorem fugit.

SECVNDÒ interrogatur: *Elias es tu* ſpondet: *non ſum. Propheta es tu* *ſum* reſpondet. Poterat Eliam Prophet fateri, ſicut vocatus eſt à Chriſto: at hu nõ tantùm indebita reſpuit, ſed debita e quando ſalua veritate poteſt, à ſe amo induſtriùs in hoc: ſicut ſuperbi contrà in uandis ad ſe titulis & honoribus ſunt nioſi. Hic eſt alter humilitatis actus; ſpondet ſiccisſimè: *Non*, ne inuolutu ſponſum relinqueret ſuſpicionem.

PVNCTVM III.

III. In Deum omnia deriuat.

TERTIA quæſtio? *Quis ergò es*? Eg *clamantis in deſerto, dirigite viam* D *ni, ſicut dixit Iſaias.* Non iactat genus, pa tes, ſacerdotium, vt quidam ſolent d gloriari. *Vocem* autem ſe dicit, quo ſign munus quoddam ſibi demandatum Pra ſoris, ſed ita humiliter, vt quicquid eſt, rius ſe eſſe inſinuet, nimirùm Dei, per ip tanquam vocem loquentis. Hic eſt tertius militatis actus, vt quando bona noſtra mur aperire, quàm demiſsiſsimè id fiat, Deum deriuentur. Porrò Ioannes erat & verbo & exemplo, ad Chriſtum omne cans. Talis ſim.

P

PVNCTVM IV.

QVARTA quæstio: *Quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Perstringitur Ioannes, quòd vsurparet sibi munus baptizandi. ipse autem se non tuetur, in Deum autorem referens suum baptismum, (qui est quartus humilitatis gradus.) sed pergit abijcere se, dicens: *Ego baptizo in aqua: medius autem vestrùm stetit, quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est* (mihi prælatus) *cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Idem testificatur, quod antea apud plebem, Christo dans honorem; nunc maximè, quando solenniter ex parte Magistratuum interrogatur, vt illis innotescat Christus, ipse autem pro indigno illius seruo habeatur. Rectè Christus Ioannem dixit non esse arundinem vento agitatam, quippe eandem semper confessionem de Christo confessus est, nunquam vanitatis vento transuersum impulsus. Talis est humilis, qui tanquam terræ moles super nihilum suum firmiter fundatus est. IV. Publicè se deprimit. Humilis stat immobilis.

MEDITATIO III.

Christus baptizatur.

PVNCTVM I.

CHRISTVS aggressurus opus suum valedicit Matri mœrenti de abitu, sed gratulanti, ob appropinquantem Redemptionem Valedicit Matri Christus.

Israelis; profectusque ad Iordanem, inter publicanos & peccatores baptizandum se offert Ioanni. Facti huius causæ fuerunt. 1. Ad humilitatis exemplum, quæ est optima præparatio, ad aggrediendum Magna, iuxta illud: *Et mittes quod saluatum fuerit de Iuda radicem deorsum, vt faciat fructum sursum.* 2. Vt baptismum Ioannis facto suo probaret, sicut & circumcisionem, dum ei se subiecit. Sic Christi legem consiliaque ostendimus nos maximè probare, si ea impleamus. 3. Vt sanctificaret aquas in lauacrum regenerationis.

Cur baptizetur Christus. 1. *Isa. 37. 31.* 2. 3.

PVNCTVM II.

IOANNES, qui Christum de facie non nouerat, reuelante tunc Spiritu sancto, ipsum agnouit. Quis gaudij sensus in pectore Baptistæ! illo etiam maior, quo *exultauit in vtero ad præsentiam Domini sui*. Quis affectus reuerentiæ, & submissionis! Vnde ait: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Profundè scilicet penetrabat, quis Christus, quis ipse. Ita tu, cùm venit ad te in Eucharistia. IESVS autem respondit: *sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Nos, inquit, & me & te decet, me quidem per humilitatis opus; te verò per obedientiæ, baptizando me, quod à te requiro. Omnem inquit iustitiam, quippe humilitate & obedientia continetur omnis perfectio sanctitatis. Paruit Ioannes, non excusans, vt Petrus lauari, at qua reuerentia & sensu baptizauit Puritatem

Ioannis gaudium.

Humilitat. & obedientiæ coniunctio.

PVNCTVM III.

CHRISTVS in actu tantæ humiliationis exaltatur & clarificatur à Patre æterno triplici indicio. 1. Nam baptizatus confestim ascendit de aqua: & ecce, *aperti sunt ei cœli*; ei inquam, in gratiam ipsius, vt sic ostenderetur, eum de cœlo venisse. Deinde per ipsum aperiendos quoque nobis, & verum esse, quod Baptista, inducens ad pœnitentiam, prædicabat: *Appropinquare Regnum cœlorũ.* Marcus ait, quòd vidit cœlos apertos, quippe Christo patebant arcana omnia cœlestia, & per ipsum nobis aperienda erant. *Qui enim est in sinu Patris, ipse narrauit*, vt ait Ioannes. Vnde & *Stephanus vidit cœlos apertos*, in terra existens, idemque illis contingit, quorum conuersatio in cœlis est. 2. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.* Per hoc significata primùm est septiformis gratia Spiritûs sancti, quæ super *florem* IESSE ab ipsius conceptu requieuit; & venit in columbæ specie, ad innocentiam Christi testificandam: tametsi vt peccator baptizari voluisset. Deinde in signum (vti *columba missa à Noe, & cum oliua rediens*) quod per Christum mundus ab eluuione peccatorũ eximendus foret. Et tandem quòd more columbæ fœcunda foret Christi gratia, innumeris hominibus ex aqua & Spiritu sancto regeneratis, qui ipsi vna forent columba, vna sponsa Christo Domino 3. *Et ecce vox de cœlis di*

Christus exaltatur tripliciter

1. Cœli apertione.

Marc 1. 15.

Ioan. 1. 18.

Act. 7. 56.

2. Spiritus S. descensu.

Isa. 11. 2.

Gen. 8. 11.

3. Vocis emissione.

cens: Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui. singula verba perpendenda: HIC, qui mortalis, qui in speciem pecca quem columba ostendit, est Filius meus, adoptione, sed natura, non regeneratus qua, *sed ex vtero meo ante Luciferum gen in splendoribus Sanctorum. lumen de lum Deus de Deo.* Dilectus, proinde non v iusti, sed vnicè ac singulariter, imò infin quà Deus. sed & dilectus vnicè, quà ho quia facit quæ mihi placita sunt semper. quo ita complacui, vt nullus mihi alius pl re possit, nisi per ipsum, & propter ipsum illius imagini conformatus sit.

Psal. 109.3.
Symbolo.

SS. Trinitas.

In isto actu manifestari cœpit sublime m sterium Trinitatis diuinarum personaru pro qua manifestatione gratias agam, quam pro singulari beneficio.

PVNCTVM IV.

Sacramētū Baptismi.
P. 3. q. 66. a. 2.

QVòD Christus suum tunc baptismū in tuerit, vt putat S. Thomas, certè indi cauerit, qui in nomine apparentium ibi di narum personarum conficitur; & effectus los tres habet, vt cœlum aperiat: Spirit sanctum eiusq; dona conferat; & filios a ptionis efficiat, cœlesti Patri gratos & d ctos. Gratias pro tam singulari, & insigni l neficio agam, ex corde deprecans, ne à tan bonis semel acceptis excidam. Nō abs re c di potest, quòd Christus suo vicissim bap mo Baptistam Ioannem abluerit, votum e

implendo, quando dixerat: *Ego à te debeo baptizari*. & exultauit proculdubio, nouâ auctus gratiâ, donisque. *Matt. 3. 14.*

PVNCTVM V.

QVOD Lucas ait: *Christo baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus.* Quo docemur efficaciam orationis, quæ cœlos aperiat (vti etiam orante Petro contigit) & Spiritum sanctũ promereatur, vt cùm discipuli *in oratione perseuerantes repleti sunt Spiritu sancto*. Et vox Patris cœlestis in oratione auditur per inspirationes sanctas, & testimonium internũ, quòd simus Filij Dei. Atq; id præsertim operatur Oratio, si cum exercitio humilitatis coniuncta sit, vt tunc fuit illa oratio Christi. *Quoniam oratio humiliantiũ se nubes penetrat*. Docemur etiã, deuotè Sacramenta obire orantes, ne illorum effectus impediatur in nobis, vtq; nouã vitam, ad quã si per illa regeneramur, vel augemur, perpetuò tueri possimus. Orauit etiam Christus pro suscepturis suum baptismum, ne eius effectu fraudarentur; gratiasq; egit Patri pro hoc ipso beneficio Regenerationis in homines collato, proq; alijs sibi proprijs. Nam & hæc pars orationis est actio gratiarum.

Orationis efficacia.
Act. 10. 11.
Act. 1. 14.
Eccl. 35. 2.
Oratio Sacramentis iungatur.

MEDITATIO IV.

Christus in desertũ secedit, & ieiunat.

In Dominica prima Quadrag.

PVNCTVM I.

STATIM à baptismo se subducit in desertum. 1. Quoniam tam mira circa ipsum in

baptiſmo acciderant: docet, vitandũ eſſe
ſum hominũ. 2. Docet, interiora potior
externis cæremonijs, qualis erat Ioannis
tiſmus in aqua tantùm, nec vt Phariſæi f
Luc. 11. 38. bant: *Mundantes quod de foris eſt calicis,*
autem pleni immunditia. 3. Qui Spiritu
nus guſtauit cœleſtia, auet ſe recipere a
amplius ſecum ipſe pertractanda.

PVNCTVM II.

Spiritus ſanctus ſequendus.

DVCTVS eſt in deſertum à Spirit
Matthæus; at Marcus: & ſtatim S
tus expulit eum in deſertũ: haud dubiè S
Rom. 8. 14. tus ſanctus. nõ à ſpiritu vanitatis, aut fi
alio ducebatur, vt nos. nempe, *qui Sp*
Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Ductus dic
quia ſponte obſequens; expulſus, quia
mora, & cum feruore. *Neſcit tarda moli*
Sap. 8. 1. *Spiritus ſancti gratia, & fortiter, ſimul g*
terq; diſponit omnia Non in Ieruſalem,
Cur in deſerto Chriſtus. deſertum expulit, vt inter beſtias agere
fuerat inter animalia natus. vtrumque
1. ad exemplum humilitatis, & quærens h
nem iumentis ſimilem peccando factum
2. inde, quia is locus pœnitentiæ. & ora
erat aptus. Vnde aſcendebat oratio illi
Cant. 3. 6. cut *virgula fumi, ex aromatibus Myrrh*
Thuris. Penetrat videlicet illa oratio co
quæ a mortificatione, & incenſo deuo
affectu procedit. Sic præparanda ani
eſt, quando aliquod præcipuum
eſt aggreſſura.

P

PVNCTVM III.

IEIVNAVIT *quadraginta diebus & nocti-bus.* 1. Suscepit hoc ieiunium pro intemperantia primorum parentum, in cibo vetito gustando; deinde, vt doceret, ab initio spiritualis vitæ domandam esse gulam. 2. Ieiunium hoc fuit rigidissimum, sine vllo cibo continuatum. Docemur, quàm strictissimè ieiunare, quantum natura, & vires ferunt, absque miraculo. 3. Fuit prolixum ad quadraginta dies, ad commendandam constantiam in operibus pœnitentiæ: cuius exemplo obseruabo exactè quadragesimale ieiunium, quadripartita intentione, iuxta quatuor illius partes, nempe ad satisfactionē, pro peccatis meis, in gratiarum actionem, pro beneficijs acceptis, ad impetrandas virtutes mihi maximè necessarias, in præparationem beatæ resurrectionis; in præmium vitæ æternæ. 4. Ieiunium hoc fuit suaue, sufficiente vires Diuinitate, ipsaque contemplatione molestiam omnem auferente: sicut & *Eliæ & Moysi* contigit: illi, *dum ad montem Dei Oreb pergeret*, pane subcinericeo refectus, isti autem, dum colloquio *Dei in monte Sinai* frueretur. Ambo enim totidem dies absque cibo alio, potuve perdurarunt. Nempe pro eo, quod ieiunium iuuat, ac promouet orationis feruorem: ab huius vicissim suauitate lenitur ieiunandi labor & molestia.

1. Gulam reprimat.

2. Ieiunium exactum.

3. Prolixum.

4. Suaue per orationem. *Exod. 34. 28.* *3. Reg. 19. 8.*

MEDITATIO V.

Christus tentatur à Diabolo.

PVNCTVM I.

DVCTVS *est in desertum, vt tentaretur à Diabolo*. Exponit aliquando Deus viros perfectos tentationibus, vt in ipsis triumphet: 1. Cor. 10.13 *quia fidelis est, & non patitur nos tentari supra* Solitudo vtilis. *id quod possumus, sed facit cum tentatione prouentum*. Solitudo est apta dæmonum insidijs. Sic etiam Euam aggressus est, cùm sola ageret sine marito. Ideo olim non nisi probatis permittebatur vita solitaria. Perinde verò est, quamuis in consortio multorum viuam, si tẽtationes celem apud me. ait enim Sapiens: Eccles. 10.11. *si mordet serpens in abscondito, & absque sibilo, nullum habet lucrum incantans*: hoc est, nulli est vtilitati, quia ignorat morbum. Ita, si spirituali Patri non manifestentur tentationes occultæ, quas tanquam morsus figit absque sibilo, & clam, serpens antiquus. Eccl. 4.10. *Væ soli, quia* Christus cur tentatus. *cùm ceciderit, non habet subleuantem se*. Solus etiam est, qui suum casum non communicat ei, à quo subleuari potest. Porrò Christus tentari voluit. 1. quasi tyro aliquis, cui dicitur: 1. Eccles. 2.1. *accedens ad seruitutem Dei, præpara animam* 2. Hebr. 4.15. *tuam ad tentationem*. 2. *Vt per omnia nobis similis fieret, absque peccato*, & experientiâ disceret compati infirmitatibus nostris, tentatus 3. In tentatione, ipse. 3. vt animum nobis faceret & vincendi

præberet exemplum. Collige hinc tria documenta. 1. ne deijciaris tentatione, quasi minùs Deo charus, siquidem filius Dei tentatus est; quin animare, & gaude spiritu. 2. fiduciam concipe auxilij opportuni ab eo, qui propter te tentari voluit, vt compateretur. 3. Disce præuenire tentationes, vt fecit Christus in *ieiunio & oratione*. Est enim genus Dæmoniorum, quod non aliter eijcitur, vt Christus ipse affirmat.

1. Lætare.
2. Spera.
3. Ora.
Mat. 17. 21.

PVNCTVM II.

TENTATIONES quales fuerint. Primæ materia fuit gula. Secundæ vana gloria. Tertiæ auaritia & ambitio: sed in omnibus Pater superbiæ ad superbiam spectauit. 1. tentatio. ***Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.*** captat occasionem à ieiunio, & esurie. Variè de gula tentat homines: aliter voluptuosos, proponens ipsis cupedias; aliter egentes, inducens ad procurandum cibum modis illicitis; aliter pios, prætextu honesto, sicut Prophetam illum induxit, ad ieiunium à Deo sibi præceptum transgrediendum, obtensa reuelatione, & Christum Dominum, siquidem esset filius Dei, vt panes sibi faceret ex lapidibus. Repulsus est, ***non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei.*** Nititur hoc responsum humilitate, qua non vult Deo præscribere modum alendi ipsum, cùm plures ipsi suppetant; & fiducia de illius prouidentia, ***Qui dat iumentis, ipsorum escã & pul-***

1. Gula.
3. *Reg.* 13. 18
Psal. 14. 6.

II. Vana gloria. Matt. 4. 5. *in i ei uorum inuocantibus eum.* 2. tentat vana gloria: *tunc assumpsit eum Diabol sanctam ciuitatem & statuit eum supra pi ulum templi & dixit ei si filius Dei es, n te deorsum.* Diabolus primam tentatio adhibet, vt exploret propensionem, vnd ciat gradum ad alias, pro cuiusque ing Spiritus bonus duxit Christum in desert vt declinaret plausum & accursum: m autem portat in pinnaculum templi qui noluerat in occulto facere mir lum paruum, in aperto faceret aliud, à ria stimulatus. Permittit se portari Chri vsque adeo sese humilians. Repellitur te tor, *scriptum est: non tentabis Dominum D tuum* Non sunt frustra petenda miracula milis facilè discernit spiritum vanitatis

Prou 11. 2. cut dicit Sapiens: *vbi est humilitas, ibi &*

III. Auaritia. *entia.* 3. tentatio. *Assumpsit eum Dia in montem excelsum.* En, vt pro vno pec totum offert mundum: *Hæc omnia tibi* Contrà tu disce, nec pro omnibus mund

Mat. 6. 26. Sap. 5. 8. gnis, vel vnum esse admittendum *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucr animæ verò suæ detrimentum patiatur?* ipsi fatentur peccatores, *quid nobis profu perbia, aut diuitiarum iactantia?* Deinde serua mendacij patrem, ea promittentem in sua potestate non sunt: sic sæpè multo na deludit spe, vt somnia sibi fingant, vel suaderi per alios sibi sinant, quò inducat

Auaritiæ Recratio. liquod peccatum. Præterea, attende quan

sit malum auaritia, & ambitio, quæ faciunt adorare Diabolum Certè *auaritia idolorum seruitus* vocatur, quòd illius causa nihil non fiat. proinde Christus impossibile dixit seruire *Deo & Mammonæ*. Et, quod est miserandum, non pro toto mundo, sed pro vno palmo terræ à multis diabolus adoratur. Pellitur tentato: *Vade Sathana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Tali zelo repellendus est, maximè cùm Dei honor directè tangitur, vt hîc.

Col. 3. 5.

Mat. 9. 24.

PVNCTVM III.

TVNC *reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli venerunt, & ministrabant ei.* Missi à Patre æterno non vnus sed plures, ad honorandum filium, ex certamine victorem, & ad ministrandum esurienti, & ministrabāt summa cum reuerentia. Sic Deus consulit suis. Feram patienter defectum rerum Deo fidens & in tentationibus ille sit præ oculis, sed nunquam me securum putabo à tentatione imposterum, dicitur enim Sathan *ad tempus à Christo recessisse.*

Prouidentia Dei circa suos.

Luc. 4. 13.

MEDITATIO VI.

De Vocatione Apostolorum.

In Communi Apostolorū festo.

PVNCTVM I.

CVR *abiectos elegerit?* 1. quia ipsemet Christus venit pauper & humilis, voluit tales habere asseclas, & in hoc ipso exercere humilitatem, cum simplicibus sermocinatio-

1. Elegit pauperes pauper.

2. Vt essent humiles.

eius. 2. quia oportebat prædicatores Euan-
lij fundatos esse in humilitate, ne sibi glori
uangelij arrogarent. iuuat autem ad hum
tatem, meminisse, vnde assumptus sis. 3. v

3. Vt virtus Dei claresceret.

lustrior fieret propagatio Euangelij; & agn
ceretur esse opus Dei; quando per tales s
deretur Christo mundus. Ex istis collige
militatis studium, & quòd Deus zeoltos
gloriæ suæ, vt ea nō vsurpetur ab hominib

PVNCTVM II.

1. Vocat perfectos Andream, &c.

QVALES *secundùm mores vocauerit.* 1
quibusdam præcessit propinquior qu
dam dispositio, vt in Andrea, qui in scholis
annis inceperat institui, cuius discipulus
rat. Et inerat ei desiderium maioris perfec
onis. Nam, cùm audisset Præceptorem suu
Ioannem Baptistam de Christo dicentem: Ec
Agnus Dei, continuò adhæsit Christo. ine
etiam Zelus pro alijs, vnde statim adiun
Petrum ad Iesum, dicens ei, inuenimus Me
am. 2. In quibusdam remotior præcessit d

2. Rudes piscatores Petrum, &c.

positio, sed apta, vt in duobus paribus fratr
Petro & Andrea, Ioanne & Iacobo: erant
nim piscatores, duro ac humili labori assu
ti. Deinde inter se magna charitate coniunc
qui mores apti sunt Euangelio, quod requi
homines laboriosos, non desides, & colen
charitati, ac societati idoneos. 3 In quibusda

3. Peccatores Matthæum &c.

contrà suberat impedimentum, quòd pecc
tores essent, & mundo impliciti: vt Matthæu
& Saulus Christi persecutor. In quibus & m

gis potentia vocantis commendatur, & misericordia, vt nemo desperet Ex primo & secundo puncto collige, quales dispositiones debeas æmulari, vt fias aptum diuinæ gloriæ instrumentum. Et aduerte, quòd illæ ipsæ sint dona Dei. Ex tertio ama bonitatem, quæ etiam imparatos, & immerentes vocat, vt te.

PVNCTVM III.

VARII *vocationis modi*. 1. quosdam vocauit sensim, vt Petrum & Andream, quos primùm familiariter admisit ad colloquium priuatum. Deinde paulatim auditores habuit & adhærentes pro tempore. Denique ad perpetuam sequelam vocati sunt. Hinc commendatur profectus in bono, & quòd Deus bene vtentes minoribus donis promouet ad maiora. 2. In vocando Christus imperio vsus est, & quamuis irretitos vitijs, praua consuetudine & præsentibus illecebris, verbo ab omnibus expediuit laqueis, & attraxit, vt Matthæum, dicens, Sequere me. 3. In ipso vocandi per imperium modo adhibuit discrimen, nam Matthæum absolutè sequi iussit, filios autem Zebedæi quadam inuitatione ad melius, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Vbi etiam exprimitur Apostolicum officium, vt & ipsi Christum imitatione sequantur, & alios inducant. Circa primum potes recolere, quomodo te Deus sensim vocauit, & permouit, donec te illi deuoueres, ac in ipsa

1. Vocat sensim.

2. Cum imperio.

3. Cum promissione. *Matt*. 4. 6.

Societa-

Societate aduerti poteſt ſimilis progreſſus probatio nouitiatus præcedit, tum poſt probatio altera, vſque ad gradum, qui q affectandus non eſt, ſed ad eum nos apta vocatione tenemur. Circa ſecundum & tium recole, quàm potenter, ſimulque q ſuauiter vocauit te Deus, auferens à te a rem ſæculi, ac cœleſtium inſpirans.

PVNCTVM IV.

Obedientia 1. Intellectus. OBEDIENTIA *Apoſtolorum erga vo tem* 1. Captiuatio iudicij, non æſtim do, quæ obſtabant, vt in Petro cura filiæ, ris, & familiæ; in Zebedæis ſenioris Patris xilium & ſolatium, in Matthæo perplex ratiocinij, & diſpoſitio rei familiaris, & p ra talia in quolibet. 2. Conformitas & ſub

2. Voluntatis ctio voluntatis, quæ ſic repentè omnem e affectum erga caros & res poſſeſſas, ac pe tus in vocantem tranſtulit. 3. Promptit

3. Executionis. exequendi vocationem, nulla prorſus m interiecta; abſque repugnantia, & cum critate magna. Circa hæc collige, vocatio fruſtrari ſi iſta deſint, præſertim ſubiectio tellectus, ex qua pendent reliqua. nam, qui miùm volunt eſſe ſapientes, facilè inueni

Dei eſt vocare. nodum in ſcirpo, vt eludant. Vocatio enim perfectionem, diuinâ magis quàm humana titur ratione. idemque caueri debet in inſpirationibus diuinis, de rebus præfer

1. Cor. 2. 13. ſenſui repugnantibus. nam *carnalis homo percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.* Age gra

qu

quòd tibi datum fuerit ſimpliciter obedire; ſed caue dolos. nam ſunt, qui poſt plures annos in Religione, obtẽdere incipiũt, quòd rem olim non intellexerint. Vtique ſicut primi parentes poſt præuaricationem, ita iſti, poſtquã intepuerunt ſpiritu, facti ſunt ſcientes bonum & malum. Recole etiam, quòd in omni obedientia præſtanda ſuperiori requiruntur illa tria. 1. vt abſque diſcuſsione probes tanquam melius. 2. vt poſthabito priuato affectu, afficiaris erga iuſſa. 3. vt promptè & alacriter exequaris. Tres gradus obedientiæ. 1. 2. 3.

PVNCTVM V.

REMVNERATIO *ſequelæ*. 1. quòd eis Chriſtus dignitatem Apoſtolatus contulit, ac legatos ſuos conſtituit. 2. quòd eos adſciuit in familiaritatem intimam, & conuictum ſuum, faciens ſecretorum diuinorum cõſcios, & participes, tanquam amicos. 3. quòd eos præ omnibus Veteris, Nouique Teſtamenti ſanctis, & ſpiritu ſanctificante impleuerit, & gratijs gratis datis ornauerit, ſapientia, virtute miraculorum, &c. 4 quòd promiſit fore vt ſecum iudices ſederent in ſecundo aduentu. Recognoſce hæc quatuor in ſtatu Religioſo, & ſpeciatim in tuo, ad quem te clementiſſimus Ieſus tali anno vocare dignatus eſt 1. quidem: nam, quod ait S. Paulus: *Legatione fungimur pro Chriſto. Reconciliamini Deo* d agit ſocietas noſtra ex inſtituto. 2. quia familiaritas cum Deo, & quaſi conuictus, illuſtra-

1. Apoſtolatus. 2. Familiaritas. 3. Primitiæ Sanctorũ. 4. Centuplũ. 1. 2. Cor. 5. 20. Eadem premia Religiosorum. 2.

tionesque internæ non alijs magis deber
quàm ijs, qui, vt Deo adhærerent, Mun
reliquerunt. Et huius rei præcipua cura
betur in societate. quod si tu minùs es aſſ
tus, tibi imputa. 3. quia constat summos q
que sanctitate & sapientia, insignesque v
ex Religiosis fuisse, & habet societas nostr
iam suos. Nimirum status Religiosus fou
singulariter à Deo, & habet auxilia ad san
tatem acquirendam particularia. 4. Den
ad Religiosos etiam pertinet, vt qui M
dum, sicut Apostoli, pro Christo reliquer
mundum iudicent.

MEDITATIO VII.

De generali vocatione hominum.

QVIA Christus venit, vt dissoluat op
Diaboli, præmittitur vocatio, qua a
Diabolus homines inuitat, tum verò Chr

PVNCTVM I.

Lucifer confusus. PONATVR ob oculos Lucifer princ
huius mundi in throno, quasi Rex, ig
& fumoso, teterrimus ipse, & truci vultu
patus innumeris Dæmonum legionibus
Laquei. pernitiem mortalium, & Regni Christi eu
sionem, coniuratis. Triplici rem aggredi
tur via, per concupiscentiã carnis, quę est g
& luxuria, per concupiscentiam oculorũ,
Præda. est cupiditas habendi, & per superbiam vi

quæ est appetitus excellentiæ. Agunt rem instantissimè, quasique leones rugientes circumeunt, quærentes quem deuorent: sed & subdolè se insinuant, vti serpens; plurimos autem perdunt, & à Christi vexillo in suum pertrahunt. Deflebo super multitudine pereuntium, qui ita cæci sunt, vt cùm alioqui norint stipendium suum fore æternum supplicium, nihilominus diabolo militant. Et heu, quòd ego ipse aliquando ex illis fui.

Hoc punctum fusiùs explicatur post Punctum tertium.

PVNCTVM II.

CONTRA consideretur Christus in humili subsellio, totus amabilis & suauis circumfusam circa se multitudinem hominũ inuitans. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Quibus verbis contraria prorsus suadet ijs, quæ Diabolus suggerit. Nam primò abnegatio sui est renuntiatio voluptatum carnis abdicatio diuitiarum, ac contemptus excellentiæ. Deinde sublatio crucis est præparatio ad ferenda contraria, nempe ad corporis afflictiones, ad egestatis ærumnas, ad humilitatem & subiectionem, quæ opponuntur triplici concupiscentiæ à Diabolo suggestæ, non solùm priuatiuè, quia sunt carentia illius, sed etiam contrariè, quia inferunt contrariã passionem, pro voluptate dolorem, pro affluentia

1. Christus gloriosus.

Mat. 16. 24. Luc. 9. 23.

Suadet mortificationem.

2. Crucem.

penu-

penuriam, pro exaltatione depressionem
3. Sui imitationem. stremò, vult in abnegatione & crucis suf
tione, vt ipsum imitemur; *& sequatu*
Luc. 14. 27 planè protestans: quia, *qui non baiulat cr*
suam, & venit post me, non potest meus d
scipulus nempe intuitu assimilandi nos C
sto, impelli debemus. Porrò conuenient
mum est, vt ita agam. nam, cùm ex carne
pellar ad peccatum, debet mortificari, cùm
uitiæ, & honores sint laqueus animæ, & fo
peccati, fugienda sunt. Cùm præsens vita
cruce non sit, præstat vtilem subire. Et
Christus mei causa è cœlo veniens, seip
abnegauerit per omnia, crucemque suf
rit suam, condecet, me ipsi conformari.

PVNCTVM III.

Rationes Christi. QVIBVS rationibus Christus vtitu
I. persuadendum. 1 *qui voluerit anim*
Luc. 9. 24. *suam saluam facere, perdet eam, & qui pe*
derit illam propter me, inueniet eam Iam si
vitam pro Christo exponit, tunc maximè
lucratur, quia pro temporali recipit æter
pariter, qui cætera, voluptates, opes, hon
Mundique gloriam propter me spernit,
II. piet eadē æterna. 2. *quid prodest homini, si*
Matt. 16 26 *uersum Mundū lucretur, animæ verò suæ d*
mentum patiatur? aut quam dabit homo c
mutationē pro anima sua? interrogetur dar
Luc. 9. 23. Sap. 5. 8. ti, ipsi tibi dicēt: *quid nobis profuit superbia*
diuitiarum iactantia quid contulit nobis? T
sierunt omnia illa tanquam vmbra, &

quam nuntius præteriens: tormenta autem in æternum manent. 3. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundùm opera sua.* Qui crucem cum eo portauerit, cum ipso regnabit: qui vexillum Sathanæ secutus fuerit, cum eo plectetur. III.

Hæc cùm ita sint; nec militare Christo simul & Sathanæ liceat, quia impossibile est duobus dominis seruire, præsertim tam dissitis; vtri seruiã? vtri seruiuisse iuuabit, & quisque volet in tempore rationis reddendæ? quãquam nec opus est ad illud tempus respicere, quando etiam nunc militia Sathanæ durissima est, Christi autem suauis. de illa queruntur ipsimet sequaces: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; & ambulauimus vias difficiles.* Ad hanc autem Christus inuitans ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Res mira! Crux Christi profugium & leuamen est præ mundi seruitute, qua indulgetur voluptatibus, inhiatur opibus, & honoribus, vt qui sapiunt, huc tandem, tanquam ad asylum recipiant se, & tãquam ad portum, à iactatione tutum. id autem faciunt mites & humiles corde; quia superbi non capiunt hanc sapientiam.

Semitus Diaboli. *Sap. 5. 7.*

Mat. 11. 28.

Iugum Christi.

Explicatur fusius Punctũ primum ius meditationis quod agit de vexillo Diaboli.

NOTA I.

Quid thronus Luciferi.

CIRCA primum punctum: in thron ciferi designatur principatus eius omnes Dæmones, qui partim est ei natu ob naturæ & potentiæ præstantiam pra quis, partim ex spontanea subiectione a qui, quem semel apostasiæ ducẽ sequuti dum in peccato perseuerãt, etiam in illi

Quid sedes.

sequio. Quòd ignea & fumosa sedes des tur, designat pœnas, quas secũ circũfert. fumosus est, non splendens, sed obscurus, rens tantùm. Nam alioqui thronus Dei

Ezech. 1. 27.

Ezechielẽ instar ignis, sed splendidissim

Eius figura.

paruit. Horribilis est figura. caret forma, gura ille corporea, sed cùm aliquã assum re tetram ac fœdã, qualis ipse intus est, ua & inordinata voluntate. Horribilis ctu, spirans minarum, & cędis in totum humanum. Adimpellitur primùm odi

Odium.

quem experitur vindicem, volens sic pr eum obsequio suæ creaturæ, despectum facere. Deinde ambitione, vt sibi potius

Ambitio. Inuidia.

tales seruiant. Deniq; Inuidia, ne fruatu mo felicitate, à qua ipse excidit. In camp

Locus.

bylonico repræsentatur, loco infami à bia, ex quo homines dispersi sunt in m plagas. quos igitur illic ambitione & sup

de

dementauit, etiam dispersos nunquam desinit ad malum incitare.

NOTA II.

QVOD per Dæmones impugnemur, testatur Paulus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates; aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* & Petrus, *Tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Quibus modis impugnent. suggestione ad animum, concitatione affectus mediante corpore, obiectis occasionibus. Deinde impugnant, quà apertè, quà tectè. Non sinuntur tentare, quantum volunt, & possunt, prohibente Deo: *qui non patitur nos tentari supra id quod ferre possumus.*

Ephes. 6, 12.

1. Petr. 5. 8.

Modi impugnandi.

1. Cor. 10, 13.

Cur Deus tentari à Diabolo permittit, cùm alioqui ab intrinseco plus satis habeamus tentationis in omni genere? quia Deus sinit agere res creatas, & maximè liberas, & in ijs Dæmones: hi autem inimicitias immortales gerunt cum homine. 2. Quia à quo quis superatur, eius & seruus est: homo autem victus est in Paradiso, vt iure subiaceat infestationi victoris. 3. Quia est materia meriti, & ostenditur virtus gratiæ, & homo redditur humilior, & cautior, & etiam fortior ex victoria, & ad Deum docetur confugere. Quanquam sine hac impugnatione habeant etiam ista locum, ob hominis fragilitatem, & corruptionem. Omnis status obnoxius est infestationi. Iusti eò

Extrinsecæ tentationes necessariæ.

Vtiles.

minùs, quòd ſunt extra poteſtatem Di
Item Religioſi ratione ſtatûs: quia ſunt
crati Deo. Tamen ob alios fines extraor
riè ſinuntur tentari, vt Paulus, Iob, Tob
extollantur: vt diſcant compati, in exem
virtutis.

NOTA III.

CIRCA triplicem tentationem, n
nitur concupiſcentia carnis: quia
citia ſecundæ hebdomadæ ijs dantur,
cœno emerſerunt; & de ſtatu cogita
gendo Inſunt autem pericula ſtatui, à di
& honoribus, quæ æſtimanda propon
Concupiſcentia autem carnis non eſt à
ſed ab intrinſeco, eaque fouetur in
diuitiarum, & potentiæ, vnde proinde di
tur reliqua peccata prouenire. Licèt ergo
tum ſit, à Diabolo etiam concupiſcentia
ſtimulari, ſicque plurimos ſibi ſubijcere
ei tamen reſiſtendum ſit, in delibe
nem non venit: cùm id omnibus ne
rium ſit, ſed an ſtatus diuitiarum, & hon
tenendus, ex quo, inter alia, concupiſc
licentiaque carnis areſcit.

MEDITATIO VIII.

De Reſignatione ad ſequendam v cationem.

Luc. 14. 33. HANC reſignationem Chriſtus pra
illis verbis: *omnis ex vobis, qui n
nunt at omnibus quæ poßidet, non poteſt
eſſe diſcipulus.* quod intelligitur primù

præ paratione animi, quando opus ſit pro ſalute animæ iacturam omnium facere. Deinde, cùm Deus peculiariter aliquem vocat ad eam perfectionem. Sed ſunt tres claſſes.

PVNCTVM I.

QVòD quidam vellent ſequi vocationem, & renuntiare omnibus, ſed media non admouent. *Vult, & non vult piger*: ſic in quauis virtute amplectenda contingit: placet humilitas, patientia & reliquæ, ſed humiliatio non placet, pati renuunt.

I. Nolunt media. *Prou.* 13. 14.

PVNCTVM II.

QVòD alij media arripiunt, ſed pro ſuo iudicio & affectu, vt ægri, qui pharmaca non quæuis admittunt. Reſignant ſe in manus Dei, qui ſi inſpiret, vt re abijciant omnia, non tantùm affectu renuũt, triſtantur, vt ille adoleſcens, qui *triſtis abijt*, quòd iuberetur *omnia vendere, ſi perfectus eſſe vellet*. Faciunt vt *Naaman Syrus*, qui cùm iuberetur *lauare in Iordane*, vt à lepra mundaretur, recuſauit, quòd putaſſet, tactu manus ſe mundari ab Eliſeo debuiſſe, ſcilicet præſcribunt media Deo, non recipiunt oblata. Ita peccatur, cùm in via ſpirituali dirigi volumus arbitratu noſtro, non Patris conſilio, præſertim, quando acrius adhibetur remedium.

II. Volunt placentia.

Mat. 19. 21.

4. *Reg.* 5. 10.

PVNCTVM III.

III. Indifferentes ad omnia.

DENIQVE alij se totos voluntati a
uidentiæ relinquunt, nihil excipi
memores illius; *Ego Dominus* DEV
docens te vtilia, gubernans te in via, qua
Is. 48. 17. 18. *bulas*. His contingit, quod ibidem dicitu
cta sicut flumen pax tua, & iustitia tua
gurgites maris Et hi ad portum felicite
ueniunt, quando ex præscripto Dei se d
Act. 9. 7. nunt, vt Saulus: *Domine, quid me vis f*
Sed in hoc gradu subest aliquid excellen
quando, etsi paratus est, & indifferens a
nem Dei voluntatem, quo ad se tamen, c
formitatem cum Christo, mallet paup
contemptus Deo seruire, vt qui dicebat:
Phil. 1. 29. *sit mihi gloriari nisi in cruce Domini nost*
Gal. 6. 14. *su Christi, propter quem mihi mundus cr*
xus est, & ego mundo.

Circa hanc Meditationem 8.

NOTA.

HAEC Meditatio in exercitijs diri
ad Electionem rectè faciendam d
tu vitæ, & constituit hominem in illa in
rentia circa res creatas, quæ in fundam
exercitiorum, vti necessaria, ex ipsa vlti
nis recta intentione colligitur.

Porrò hæc meditatio est præcedentis
ditationis de duobus Vexillis quædam e
catio, siue applicatio. In illa enim Chr
hortatus est ad contemptum mundi, quan

h

hortationem non æquè omnes ad animum admittunt suum, sed alij alijs vel efficaciùs, vel remissiùs, vnde tres constituuntur classes. Verùm, quia Religiosus ratione Status iam se determinauit ad id, quod perfectum est, omnes illas classes censetur supergressus. Potest tamen in capessenda perfectione diuerso modo se habere, iuxta easdem classes. Nam quibusdam placet perfectio, sed remissè adhibent media. Alij adhibent, sed excipiunt aliquid, quo non sibi putant contendendum, contenti mediocribus. Alij denique nihil excipiunt, nullaque remedia recusant opportuna. Diuersitas tendentium ad perfectionem.

Considera, vt te habeas, & applica prædicta ad particulares virtutes, puta humilitatem, patientiam, resignationem, & alias, in singulis examinans, quo in gradu consistas, an in velleitate tantùm, an, si seriò vis, cum exceptione velis, an absolutè contendas, & inquire de causis te retardantibus, modisque excitandi. Possunt autem propriæ de singulis virtutibus meditationes institui, saltem de præcipuis, magisque necessarijs. Examen.

MEDITATIO IX.

De Nuptijs in Cana. Ioan. 2.

In Dominica 2. post Epiphan.

PVNCTVM I.

BENIGNVS Dominus non abnuit interesse conuiuio nuptiali, vt captet occasionē bene- I. Christi charitas.

benefaciendi,& discipulos suos confirma
Discamus etiam ex illo modestiam, & gr
Psal. 67. 4. tatem inter gaudia, iuxta illud: *Iusti epu
tur & exultent in conspectu Dei*, vt qui D
præsentem considerant.

II
B. Virginis misericordia
Serm. 4. de Natiuit.
Ioan. 2. 3.

Deinde Mater pientissima, nequaquam gata, vltrò est sollicita pro reddenda gr inuitantibus, quantò magis pro sibi deuo de qua Augustinus: quò cæteris Sanctis melior, eò est de nostris commodis, eis sollicitior. Fidenter orat pro illis: *Fili vin non habent*. Satis putat insinuare necessitat ei, qui pius est, & potest. O pro me sic ora, rum enim est, quod vinum non habeam, vi licet charitatis & deuotionis. Ac si ita te t git corporalis necessitas, tangat potiùs n spiritualis inopia. Discam ita orare, & Ch sto meas spirituales necessitates indicare.

PVNCTVM II.

I.
Deo nihil præscribendum.
Iudith 7. 21.

CHRISTI Responsum ad speciem rius: *Quid mihi & tibi est Mulier? dum venit hora mea.* 1. Sic voluit signific se plusquam hominem esse, & sicut opus titum Dei erat, ita & tempus patrandi d gnare, ne carni & sanguini quidpiam dandum. Vnde discamus, non esse præs bendum Deo tempus subueniendi. Quare *dith* reprehendit eos, qui definiebant tem tradendæ ciuitatis, nisi interim Deus opi laretur. O Domine, fac secundùm consili

tu

tuum: 2. Vt doceret nos affectum carnis deponere. vnde nunquam affectuoso matris nomine compellauit B. Virginem, sed mulieris, etiam in cruce: *Mulier, ecce filius tuus.* Quin, cùm nuntiaretur ei, quæri se à matre, respondit: *quæ est mater mea & fratres mei*? quasi nec ipsa nomina carnalis cognationis, & affectus vsurpanda sint. Vnde illud: *Qui dixerit Patri suo & Matri suæ: nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodiunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt.* 3. Vt occasio daretur B. Virgini exercendi eximias virtutes patientiæ, & humilitatis. nihil enim est turbata, aut questa, cùm confundi videretur. quin nec fiduciam deposuit, sed quasi impetrasset, mox locuta est ministris. Sic non deijciar, cùm non exaudior, ac differor. *In silentio & in spe erit fortitudo vestra.*

2. Affectus carnis exue

Ioan. 19. 26

Matt. 12. 49

Deut. 33. 9.

3. Deus probat suos.

Isa. 30. 15.

Pvnctvm III.

Dicit *Mater eius ministris: quodcunque dixerit vobis, facite.* Multa hîc eximia. 1. Fiducia, non plus dicere potuisset, si filius respondisset, se facturum. 2. Lumen cœleste, quo intellexit, non absque cooperatione illorum præstandum esse à Filio beneficium, qui alioqui poterat id facere sine ministrorum opera. 3. Docet nos fiduciam obtinendi desiderata, in obedientia diuinorum præceptorum fundari oportere. Nam Devs *voluntatem timentium se faciet.* Et,

B. Virginis 1. Fiducia.

2. Lumen.

3. Obedientia.

Psal. 144. 9.

1 Ioan. 3. 21. Ioan. 15. 7. *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduc* *habemus ad* DEVM. Et, *si verba mea in v* *manserint, quodcunque volueritis, petetis,* *fiet vobis.* 4. Quàm pauca & matura ve

4. Loquendi modus. MARIAE, siue ad filium, siue ad mi stros. Et condam in corde meo ista: *Qu* *cunque dixerit vobis; facite*: siue per se, per superiores.

PVNCTVM IV.

1. Ministrorũ obedientia. EXECVTIO miraculi. 1. Laudar ministrorum obedientia, implendo drias aquâ, quod non ad rem videbatur cere. Nempe tutum est, DEI Vicarijs temperare, non inquirendo causas, quia Eua decepta est. Et solet DEVS aliquid speciem repugnans iniungere, ad iudicij pr prij submissionem, &c, eo humiliter præsti hominem consolatione, donisque affice

2. Potentia Christi. 2. Potentia Christi, qui sola voluntate a que conatu aquam mutauit in vinum. gaudeam de tam potenti Saluatore! ô, mutet cor meum in melius, ex frigido in f uens. En me offero, quia & opus est coo

S. Augustin. rari. *Qui fecit te sine te, non saluabit te* *te.* 3. Effusa liberalitas Saluatoris. tant

3. Liberalitas. vini optimi pro haustulo accepto redd sed nec haustus frigidæ carebit mercede, relinquentibus sua propter ipsum, red

5. Hydriæ spirituales. centuplum. In spiritualibus nuptijs int ducens animam in cellam vinariam, t dem hydrias propinat præcipuarum vir

tu

tum. 1. Charitatis in Deum, 2. misericordiæ in proximos; 3. zeli, pro Dei gloria & proximorum salute; 4. deuotionis & promptitudinis ad ea, quæ sunt Dei; 5. gratitudinis pro acceptis cum laude & gratijs; 6. denique obedientiæ ad omnia, iuxta Dei beneplacitum.

PVNCTVM V.

AFFECTVS varij, qui interuenerunt in hoc facto. I. In Virgine gaudium, quod ipse sua non excidisset; & in fiducia est valde confirmata, gratiasque egit toto corde. Obserua vim orationis MARIAE: quæ impetrauit, vt cùm hora nondum venisset, ea tamen acceleraretur initiumque Christus daret miraculis. Item illud, quòd Christus, post carnis assumptionem, tum primum miraculum, tum primam sanctificationem perfecit, interueniente MARIA. Vnde & ad illius vocem Ioannes in vtero sanctificatus est, & exultauit. Videlicet significabatur, per illam nobis à Christo tùm spiritualia, tùm corporalia bona deriuanda esse. O Domina, monstra te esse Matrem, & accelera mihi remedium cunctarum miseriarum. II. In Apostolis fides confirmata. *Et crediderunt in eum discipuli eius*, magis nimirum roborati, & gaudentes de Magistri sui potentia, sub quo nihil eis defuturum esset. Et consultò Christus in re tali potentiam ostendit, vt inde sensim ad

I. B. Virginis gaudium.

II. Apostolorum fides firmata.

altiora disponeret expetenda, & spe[...]
da. III. Admiratio Architriclini, qui
III. Architriclini gaudiũ. tiam redarguit sponsum, *quòd bonum vi[...]*
seruasset in finem, quasi prius illud præ[...]
non valuisset quidpiam. Nec Deus, vti ho[...]
nes, priùs bonum vinum ponit. 1. quia vult
experiamur ipsi indigentiam nostram. *A[...]*
Psal. 9. 10. *tor in opportunitatibus.* 2. quia consolatio
ritualis non datur, nisi carnali spreta, & d[...]
ciente. Vt non pluit Manna, nisi farina
gyptiaca iam consumpta. Non commiscen[...]
vina hæc, vt ait Bernardus, cæleste solati[...]
& terrenum. Amen.

In Dominica palmarũ & prima Aduentus.

MEDITATIO X.

De eiectis è templo negotiatoribus.

PVNCTVM I.

ZELVS Christi pro Patris gloria, & te[...]
pli honore. est autem Zelus, studium [...]
Christi Zelus. dens amoliendi, quidquid officit bono re[...]
matæ. Christus autem, vt amabat summè [...]
trem, & Ecclesiam Sponsam, ita zelum ha[...]
pro ijs ardentissimum. de quo in Psalm[...]
Psal. 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* nam pro z[...]
suo tradidit se morti consumendum. Et qu[...]
quid cogitabat vel agebat, zelus erat, & in [...]
lum totus erat conuersus, vti ignis conuer[...]
in se, quæ arripit. Hinc tam fortis, & intre[...]

dus factus ad eijciendos prophanatores templi, vt non fuerit veritus illorum vim, quia *fortis est vt mors dilectio, dura, sicut infernus æmulatio.* Flagellum facit quasi in filios, nam *quem diligit Deus, corripit*, quo autem Zelo flagellum arripuit, eodem se pro nobis flagellandum dedit. ô zelo induar in carnem meam ad castigandam, & pro alienis quoque culpis impediendis. Optem, ne auferatur eius zelus à me, sed castiget in misericordia me peccantem. *Cant. 8. 6. Prou. 3. 12. Hebr. 12. 6.*

PVNCTVM II.

IVDAEI petunt à Christo signum, ad comprobandam potestatem istud audendi. Pro signo ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus exædificabo illud.* Duplex signum dat. 1. quòd permittet solui templum corporis sui, *in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*, per dirissimos cruciatus. 2. quòd propria virtute illud excitabit gloriosus. tale etiam dedit in Iona, qui in mare deiectus, in ventre ceti delituit triduum, qui est typus mortis; tū redditus est incolumis, qui est resurrectionis. Clarè ostendit, suo permissu futurum, vt occidatur, idque verè prodigij loco est, vt cuius anima erat gloriosa, corpus morti subijceretur. Magnum hoc extitit signum, & charitatis in nos, vt ædificaremur ipsi in templum sanctum Dei, & potentiæ, quòd moriendo nos viuificauit. Per hæc signa factum, vt omnia ad se traheret exaltatus in crucem, nec

Ioan. 2. 19. 1. Passio. *Coloss. 2. 9.* 2. Resurrectio. Charitas.

iam

iam funiculis ad flagellum faciendum,v
tur, sed ad vinculum nectendum charit
Osee 11. 4. quo nos traheret *in funiculis Adæ.*

Oratio. Domine anima mea templum est, illuc
destruo peccando, tu reædificia tribus
bus in primo gratia tua viuificando, in
cundo perseuerantiam vsque in finem la
endo, in tertio ad vitam resuscitando.

PVNCTVM III.

QVòD iterum ante passionem eiecit
gotiatores: sed hac vice non adhi
Secunda eiectio. flagellum, vt in prima, in qua est significat
verus, quæ est timoris; in secunda autem
Matt. 21. 12 gratiæ, quæ est amoris. In prima dixit: *n*
facere domum Patris mei, domum negotiati
in secunda autem, *vos fecistis illam speluno*
latronum: est domus negotiandi, sed cum I
fit spelunca latronum, quòd in negotia
Luca 19. 45. plerumque fraudes fiant. In prima *eiecit*
Marci 11. 16 *gotiantes, & pecora, & subuertit mensas*; in
cunda non sinebat, vt vel *quisquam trans*
Anima est Oratorium *ret vas per templum.* Anima mea debet
orationis esse domus, quam ingredi
Mat. 6. 6. *orabo Patrem in abscondito, & qui videt in*
scondito, reddet mihi. Hoc oratorium no
cum ferimus *Volo viros orare in omni loco*
1. Tim. 2. 8. *uantes puras manus, sine ira, & discept*
one.

Sit munda. Absit ab hac domo negotiatio prophana
tumultus passionum; nec non cupiditas &
uaritia. Vniuersè sit munda à culpis, quie

pertur

Digitized by Google

perturbationibus, ornata virtutum exercitationibus. Quis oret in Ecclesia, quæ sordet, & tumultûs est plena? Domine sume Zelum, & eijce ex me, quidquid officit Domui tuæ, templo tuo.

MEDITATIO XI.

In festo omniū SS.

De sermone Domini in monte habito. De octo Beatitudinibus pars prior.

PVNCTVM I.

TRIPLEX Christi munus in hoc sermone. munus est DOCTORIS, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei* qui non docet curiosa, & inutilia, sed scientiam salutis. LEGISLATORIS, qui legem veterem declarat aduersus deprauationes Pharisaicas, & adijcit, quod minus erat in illa expressum. CONSILIARII, qui suadet optima, & perfecta, super debitum legis. 2. Hoc triplex munus exercet excellenter, quia non exteriùs tantùm docet, sed intus etiam illuminat, non præcipit tantùm, sed mouet ad implendum, quod melius est. 3. Non olim tantùm, sed etiam nunc eadem præstat, non quoad exterius ministerium, sed quoad internam illuminationem, motionem, & inspirationem. Domine, esto mihi doctor, *declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis*: esto legislator, da quod iubes, & iube, quod vis. Esto

1. Christus. Colos. 2. 3.

2. Docet, illuminat, mouet.

3.

Psal. 18. 130.

consi

consiliarius, *Trahe me post te, curremus i[n odo]rem vnguentorum tuorum.*

PVNCTVM II.

De ipsis Beatitudinibus generatim.

Octo Beatitudines.
1.
Acerbæ.

1. QVOD hæ virtutes sunt veteres & [no]uæ: veteres quidem, quia se[mper] ita res habuit, vt tales essent beati [&] contrà miseri; nouæ autem, quia [late]bant, & parum erant exercitæ, done[c] Christus verbo & exemplo commendaui[t]. inde sunt carni amaræ, Spiritui autem [salu]tares, instar myrrhæ, quæ cùm sit amara [ser]uat à corruptione, vt hîc côueniat illud [Chri]sto, *Labia tua distillantia myrrham prima[m].*

Cant. 5. 13.
2.
Mundo côtrariæ.

Quòd Christus ab his rebus vocarit hom[ines] beatos, contra Mundi sensum, qui felicit[atem] in contrarijs ponit, in his verò miseria[m].

3.
Octo gradus in cælum.

Quòd sint quasi totidem gradus conscen[den]di ad perfectionem, & in ipsum cælum. [Cir]ca singulas autem considerari debent [:] *Primò*, ipsi actus virtutis, *Secundò*, Exem[plum] Christi, *Tertiò*, præmium promissum, *Q[uartò]* pœna ex contrario.

PVNCTVM III.

Beati pauperes spiritu, quoniam &c.

Paupertatis actus quinque.
1.

ACTVS huius paupertatis nume[ran]tur quinque. 1. Pauper spiritu est affectu paratus est omnia potiùs per[dere]

quàm Deum offendere. 2. qui ſpiritu diuino 2.
impulſus, reliquit omnia, vt Chriſtum ſequatur 3.
tur vocantem. 3. Qui ſpiritu non eſt inflatus,
non alta ſapit, de ſe ſuiſque talentis præſumens,
nec æſtimationis apud homines, laudis,
gratiæ, honoriſque eſt appetens, ſed contem- 4.
ptor. 4. Qui non his tantũ externis ſeipſum exuit,
ſed internis quodammodo naturæ facultatibus,
iudicio & voluntate, ſuum iudicium
facilè ſubmittens, ac facilè alijs cedens, nullis
etiam affectibus ac deſiderijs diſtentus, vt verè
dicat: *Quid mihi eſt in cœlo, aut à te quid* Pſal. 72. 25.
volui ſuper terram. 5. Qui intimè agnoſcit, 5.
quidquid tandem habeat naturæ, aut gratiæ,
dona eſſe Dei, nec ex ſeipſo habere aliud, quã
nihilum naturæ, id eſt, non eſſe, & nihilum
gratiæ, quod eſt peccatum. II. Exemplum II.
Chriſti, quo ad *Primum* Actum, quàm Chri- Chriſtus
ſtus abfuit ab affectu, qui ſic ſtuduit, cupidi- exercuit
tatem euellere è cordibus noſtris. quo ad 2. hos acts.
facto amplexus eſt paupertatem, vt ex tota 1. u
eius vita apparet. quo ad 3. Non tumuit ſpiri- 2.
tu, qui non ſuam, ſed Patris gloriam quære- 3.
bat, & qui dicebat: *Si ego quæro gloriam meã, gloria mea nihil eſt*; &, *diſcite à me, quia humilis ſum.* quo ad 4. propria ſe voluntate exu- 4.
erat, qui dicebat: *non veni facere voluntatem meam, ſed Patris*: &, *non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et, *hic eſt cibus meus, vt faciam voluntatem Patris.* quo ad 5. profitebatur, *nihil* ſe poſſe facere *à ſemetipſo; niſi quod vidiſſet Patrem facientem*: & mea doctrina, non eſt mea; &, *cur*

Digitized by Google

me dicis bonum? nemo bonus nisi sol
ille solus ex proprio bonus, cæteri ex
III. Pauperum beatitudo. ex se autem nihil. III. Præmium, *q*
ipsorum est Regnum cœlorum. Beatitu
lestis est summum, & omne bonum: i
varia bona quæ apud mortales præci
bentur, declaratur: inter quæ est ips
gnare. Et quadrat peculiariter pau
Christi, vt intelligatur, quanto cum
Deus refundat, quod propter ipsum re
Psal. 112. 8. est, *eleuans de terra inopem, vt collo*
Spes certa ... *cum principibus populi sui.* Deinde e
hac vita *pauper spiritu* fruitur hoc Re
spem, & prægustationem illius boni,
met solatur, & confortat. Præterea,
Rom. 14. 17. ste Paulo: *Regnum Dei est iustitia &*
gaudium in Spiritu sancto, quæ *pauper*
IV. etiam nunc percipit. IV. Pœna ex co
Pœnæ. Luc. 6. 24. *Væ vobis diuitibus, qui nunc habetis*
tionem vestram, quia non extenditu
momentum vitæ præsentis. Deinde
moria mortis amara est, quippe co
tibus in terra, vbi est thesaurus i
non in cœlo, quò vix adspirant. D
consolatio illorum multis acerbi
bus mixta est, quippe non in
spiritu sancto.

Beati mites; quoniam ipsi poßidebunt terram.

PVNCTVM IV.

I. ACTVS sunt tres. *Primus* frænat iram, & appetitum vindictæ; & cùm zelus sumendus est; facit absque perturbatione interna & externa. *Secundus* alloquio & moribus se exhibet suauem, nec vlla re, aut verbo grauem & molestam. *Tertius* adeò non quærit vindictam de accepto malo, vt nec pro iusta sui defensione ad repellendum nocere velit, quando etiam liceat, & valeat, paratus potius alteram maxillam præbere. II. *Exemplum Christi.* Nam de illo Isaias: *non erit tristis, neque turbulentus, non clamabit, neque audietur vox eius foris; calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet* & S Petrus: *cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.* Et ipse de se: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* III. *Præmium, quoniam ipsi poßidebunt terram*, terram cordis sui, quippe affectibus suis dominantes. Item corda aliorum: nam, *qui opera sua in mansuetudine perficiunt, super hominum gloriam diligentur.* Denique *terram viuentium hæreditabunt.* Ita describitur Beatitudo tanquam bonum stabile. *Terra* enim *in æternum stat*, quasi dicat: Licèt mansueti per iniuriam spo-

I. Actus mãsuetudinis tres.
1.
2.
3.
II. Christus mansuetus. *Isai. cap. 42.*
Mat. 11. 29.
III. Possident animas suas. *Eccli. 3. 19.*
Psal. 36. 9. *Eccles. 1. 4.*

lientur præteritis bonis, manet illos i
ſibilis poſſeſsio in cœlis, cuius intui
morantur præſentia damna, vel iniur
IV. Immitium damna: immoti & æquabiles, tanquam cœlo f
ſeuerant. IV. è contrario immites ſunt
mis impotentes ſui, ac ſuarum paſsion
ui. Deinde, ingrati & exoſi alijs. Demu
ad terram illam non applicuerunt cor
fluctibus turbationum iactantur, cù
quam deſint aduerſantia.

*Beati qui lugent, quoniam ipſi conſo
buntur.*

PVNCTVM V.

I. Actus beati fletus quatuor. I. EST triplex luctus. 1. Compunctio
offenſum à me Numen, & propenſi
ad peccandum *Infelix ego homo quis m
rabit de corpore mortis huius?* 2. Compa
1. Rom 7.24. ſuper multitudine peccatorum, & per
2. um 3 Deuotionis, ob abſentiam Dei, e
3. deſiderium. Porrò luctus conſiſtit non i
4. rore ſolùm animi, ſed in recuſatione de
Eccleſ. 2, 2. bilium, iuxta illud: *Riſum reputaui error
gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* ho
ſtant ex inſtituto Religioſi, abdican
II. mundi ſolatijs: niſi ea, obliti vocationi
Chriſti fletus. aliquando reſumant. II Exemplum C
r. unquam riſit, fleuit ſæpius, & vſque a
III. g uinis ſudorem luxit, & nihil minus,
Præmium ſolatium. o) lectamenta quæſiuit. III. Præm
qu *oniam ipſi conſolabuntur*. Beatitud

quoddam solatium, quod funditus omnem luctus causam tollit. Ibi extra omnem peccati aleam erimus, ibi desideratum, ac summum bonum plenè, & inamissibiliter possidebitur, & post vniuersale iudicium peccati Regnum penitus delebitur, illius membris æterno igni addictis; super quo Beati Deum laudabunt, & gaudebunt de iusta vindicta, non amplius compatientes. IV. Pœna gaudentium nunc: *væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit. ibi erit fletus & stridor dentium. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum & luctum, quia dixit in corde suo, sedeo Regina, & luctum non videbo.*

IV. Pœna Risus.

Luc. 6. 25.
Prou. 14. 13.
Matt. 8 12.
Apoc. 18. 7.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

PVNCTVM VI.

IVSTITIAE nomine intelligitur, tùm habitualis, qua sanctificamur, tùm actualis, quæ constat operibus omnium virtutum. & denique ipsa salus animæ nostræ, & inchoata nunc, & in cœlo perficienda. Actus sunt, magno affectu cupere omne debitum implere virtutis. 2. amplius adspirare ad id, quod perfectum est in omni iustitia & sanctitate. Esurire & sitire Christum ipsum, qui est

I. Actus iustitiæ famis.

1.

2.

3.

nostra iustitia, & optando ei vniri, tùm
poraliter in Sacramento, tùm spiritua
per fidem viuam, & intimum gustum d
4. rum consolationum. 4. Anhelare ad
ctam iustitiam patriæ, vbi, viso Deo,
plenè transformatur in similitudinem
II. Fames & sitis Christi. II. Exemplum Christi, cui cibus erat
voluntatem Patris, & mori pro illius g
& salute nostra: *Baptismo habeo baptiza*
quomodo coarctor? & in Cruce: *Sitio.* III
Luc. 12. 50. mium, quoniam ipsi saturabuntur, tum
III. Præmium. vita meritis & iustitia aucti, diuinisq; c
lationibus assiduè affecti, tum in alte
plene satiabuntur, cùm apparuerit
IV. Pœna. Dei. IV. oppositum. *Væ vobis, qui saturat*
Luc. 6. 26. *quia esurietis.* Saturati à cibo & potu,
lectamentis vitæ præsentis; & qui nun
pletis cupiditates vestras, quia esurie
Luc. 1. 53. ille, qui petebat guttam aquæ, & nega
ei. Iusto nimirum iudicio, *& diuites dimi*
anes.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericor
consequentur.

PVNCTVM VI.

I. Misericordiæ opera. Circumstantiæ. I. ACTVS, sunt ipsa misericordiæ
tùm corporalia, tùm spirituali
ca quæ seruandum. 1. vt nemo excludat
1. que inimicus. 2. vt in omni occasione ex
2. tur, pro facultate; &, cùm quis per se n
3. per alios: & à Deo saltem petat misero a
um. 3. vt ex affectu interno commisera
succurrat.

II. E

Digitized by Google

II. Exemplum Christi, *qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et dicebat: *Discite: quid est, misericordiam volo & non sacrificium.* Et hortabatur: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Habemus Pontificem, qui poßit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* | II. Christus. *Act.* 10. 38. *Matt.* 9. 13. *Luc.* 6. 36. *Heb.* 4. 15.

III. Præmium, *quoniam ipsi misericordiam consequentur*, tùm in hac vita, tam in corpore, quàm anima; tùm in altera perfectè, quo ad vtrumque. Et quidem, *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Beatitudo cœlestis est summa, & omnis misericordia. | III. Præmium. *Luc.* 6. 38.

IV. Oppositum: *nonne oportuit misereri conserui tui? sicut ego misertus sum tui? mittite eum in tenebras exteriores. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Ex operibus misericordiæ iudicabitur mundus, siue omißis, siue exhibitis. | IV. Pœna. *Matt.* 18. 33. & c. 22. 13. *Iac.* 2. 13.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Pvnctvm VIII.

I. Mvnditiеs hæc est charitas perfecta, cui insint illa tria ex Paulo. *De corde puro*, (experte peccati mortalis & venialis, saltem quoad affectum & habituationem; Et *Conscientia bona.* Sanctis cogitationibus & affectibus plena, absterßis contrarijs.) Et *Fide non ficta*: vt qui seruit Deo non simulatè, aut videri volens, & eadem sinceritate erga homines vtitur. II. Exemplum | I. Puritas cordis. 1. *Tim.* 1. 5. II. Christus.

Christi, qui nec peccare potuit, nec ab i
cis argui de peccato. In quem Sathan n
suggestionem aliquid potuit, qui fictos
Matt. 23. 25 mè odiuit. *Væ vobis, quia mundatis, quod*
Sap. 7. 26. *ris est.* Denique est *candor lucis æternæ*,
III. *lum siue macula*, & imago bonitatis. III
mium: *quoniam ipsi Deum videbunt.* H
essentialis Beatitudo. In præcedentibus
liquo effectu iudicabatur; hîc ex ipsa
Psal. 23. 3. tiali ratione. *Quis ascendit in montem*
IV. *ni? innocens manibus & mundo corde.* IV
positum: *foris canes & venefici, & impu*
Apoc. 22. 15. *& homicidæ, & Idolis seruientes, & omn*
amat & facit mendacium; nihil enim
quinatum illuc introibit.

Beati Pacifici: quoniam filij Dei vo-
cabuntur.

PVNCTVM IX.

I. Actus pacificorum. I. PACIFICVS est fouens pacem. 1.
ipso, vt caro spiritui, passiones rat
hæc Deo cõsentiat & subiaceat. 2. Erga
iuxta Apostolum: *Quod ex vobis est, cun*
Rom. 12. 18. *nibus pacem habentes.* 3. Inter alios, vt
se pacem seruent. 4. vt cum Deo reconc
tur operando. *Hæc est pax, quæ exsupera*
Phil. 4. 7. *nem sensum.* II. Exemplum Christi, qui
II. lo venit, vt hanc pacem nobis daret, ide
vocatur Rex pacificus. Hanc solitus pr
suis, hanc iussit, vt precarentur, quocu
irent. Denique per sanguinem suum p
Coloss. 1. 20. cauit omnia; *siue quæ in terris, siue quæ i*

lis

lis sunt. III. Præmium : *quoniam filij Dei vocabuntur*. Specialiter tunc habebuntur filij, & peculiariter pro talibus tractabuntur, & tandem copiosam hæreditatem, vt singulariter dilecti filij, consequentur. III.

Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.

PVNCTVM X.

I. CONSIDERA quatuor. 1. Quæ sit persecutio, omne genus incommodi. 2. A quo inferatur: à Diabolo, odio virtutis, & ab hominibus eius administris, nec ab alienis tantùm, sed à domesticis, & fratribus. 3. Non ob culpam, sed propter virtutem. *Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, si autem vt Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine.* 4. Modus ferendi patienter, & *gaudenter*, *quia dignus habitus es*, *pro nomine Dei contumeliam pati.* I. Persecutiones. *1. Pet. 4.15.* *Actor. 5. 41.*

II. Exemplum Christi eximium secundùm illa quatuor. II.

III. Præmium, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum* : &, *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.* Indicatur præ alijs copiosiùs munerandos. & spe tantæ remunerationis meritò gaudendum in malis, quia tantum afferunt bonum. III.

IV. Oppositum; *Væ, cùm benedixerint vobis homines.* IV. *Luc. 6.26.*

MEDITATIO XII.

De triplici munere Apoſtolico, purgandi, illuminandi, & perficiendi.

Secunda pars ſermonis.

PVNCTVM I.

SAL. I. *Matt.* 5. 13. Cibos condit.

DE munere purgandi. I. *Vos eſtis ſal terræ.* Sal valet contra corruptionem, & cibos ſalubres, ſapidoſq; facit. Sal ergo eſt terræ, qui homines à peccatis vindicat, & purgat, eiſq; ſtudium pœnitentiæ, ac virtutis reddit ſuaue, ac per hoc ipſoſmet homines palatui Dei ſapidos, gratoſq; facit. Iſtud præſtare nequit, niſi ſapientia & gratia à Deo acceptis, per quæ ipſe fiat ſal. Debet autem, priuſquam alios purget, & condiat, talem ſeipſum reddere, quales vult alios facere.

II. Chriſtus Sal.

II. Exemplum Chriſti, qui, vt purgationem peccatorum faceret, oblatus eſt, & per tempus prædicationis tam inſtanter incubuit, vt à peccatis homines abduceret.

III. Pœna.

III. Pœna neglecti muneris. *Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Poteſt dupliciter intelligi, vel, ſi ipſe in ſe euanuerit, vt non ſit talis quales vult alios facere, vel, ſi omiſerit ſe exhibere ſal alijs, licèt alioqui ſe non neglexerit: neceſſitas enim incumbit ſaliendi viro Apoſtolico.

PVN-

PVNCTVM II.

DE munere *illuminandi*. I. *Vos estis lux mundi* est officium planè diuinum: nã, *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*; &, *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Fructus huius illuminationis est, quem describit Paulus: *Vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes, quod sit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*. Christus per excellentiam fuit lux mundi: *quàm diu sum in mundo, lux sum mundi*. Ab hoc tanquam sole accipiunt reliqui tanquam stellæ lumen suum. Petam, vt sim vna ex illis, de quibus Daniel: *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt, ecce adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas*. II. Redarguuntur, qui iuxta talentum acceptum, non se impendunt in illuminandis proximis, sed lucernam sub modio abscondunt. III. Commendantur, qui doctrinam lucere faciunt exemplis bonorum omnium operum: *vt videntes glorificent Deum*, cùm alioqui blasphemetur ob mala exempla Doctorum.

LVX. I. Apostoli.

Dan. 12. 3.

Ephes. 5. 8.

Ioan. 9. 5.

Dan. 12.

II.

III.

(S)

PVNCTVM III.

Ciuitas. I. Apostoli.

DE munere perficiendi. I. *non potest tas abscondi super montem posita* tati suos Apostolos comparat, quia vult eos esse solitarios, & priuatam vit gere, sed communem, ad se quàm plur attrahendo, & conuiuendo. II. supra mo posita, hoc est, supra magnam, celsamque tutem, quia eminere eosdem oportet sa tate, esseque perfectos iuxta illud: *supra tem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Exalta in fortitudine vocem tuam qui Eua lizas Ierusalem.* Tunc enim Prædicatori ditur vox, si ex edito proclamarit: & a uitatem accursus fieri poterit, quæ non la rit. III. Deinde supra montem est ciuitas, vir perfectus debet ad celsitudinem perfe onis homines iuuare, atque promouere, ad communem tantùm virtutem. *Sapie enim misit ancillas suas, vt vocarent ad ar & ad mœnia ciuitatis.*

II. Supra mōtem quid? *Isai. 49. 9.*

III. Vir perfectus in monte.

Prou. 9. 3.

MEDITATIO XIII.

De excellentia legis Euangelicæ.

Tertia pars Sermonis.

PVNCTVM I.

I. Christus legem perfecte seruauit

I. PRAEMITTIT Dominus, se non veni vt veterem soluat, sed impleat: imple

aut

autem tripliciter,& seruando illam, & præstando, quæ promiserat illa, & perficiendo. II. Necessitatem seruandi legem demonstrat. Nam, *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cælorum*: Contemptus erit apud Deum, si vel vnum: qui enim offendit in vno, factus est omnium reus: perinde excluditur à Regno Dei, si vel minimum, etiam alioqui non lethale, ex contemptu soluerit: si & docuerit, duplici nomine excludetur. contrà, qui fecerit & docuerit, coniungit, quia, qui docuerit tantùm non erit magnus coram Deo; qui autē fecerit, magnus erit, quia exemplo simul docet & verbo, pro occasione & statu suo. III. Exēplar operationis proponit, non sanctos homines, non Angelos non seipsum, sed patrem cælestem, *estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est*: in quo nulla culpa esse potest, omnes sunt virtutes, & eæ gradu excellentissimo. IV In tradenda, explicandaque lege, hæc ipsa tria persequitur. 1 vt omnis absit culpa, etiam interior, & occasio omnis amputetur 2. Nulla desit virtus, vel in subijciendo appetitu proprio, vel in actione erga proximum, vel denique erga Deum 3. vt sint quàm perfectissimæ, qualis est benificentia erga inimicos, ad instar diuinæ.

II. *Matt. 5. 20.* Lex necessariò seruanda.

III. Exemplar operationis. Pater *Matt. 5 48.*

IV.

MEDITATIO XIV.

De oratione Dominica.

DOMINICA dicitur, quia Christus docuit, & quidem bis: nam primo, haberet sermonem in monte ad turbas, vt
Matt. 6. 9. fert Matthæus: deinde priuatim, cùm v
discipulorũ ab eo peteret, *Domine doce nos*
Luca 11, 2. *re, sicut docuit Ioannes discipulos suos*, vt e
pud Lucã. dirigitur autem ad Patrẽ, etsi p
ad omnes dirigi diuinas personas. Credi
autem est, Christum sic orasse, cùm suos
ceret: orat autem quotidie in nobis, sicut
put nostrum, faciens nos orare, & orat
nobis, vt sacerdos est.

Pater.

I. *Pater creator.* I. Est titulo creationis, qua nos ad ima nem suam facit; item adoptionis, per grati atque sic millies Pater, quoties paratus peccantes recipere in eandem gratiam, Paternitas magno stetit Filio Dei, qui cr eam promeruit nobis.

II. *Patris munia impler.* II. Patris prouide am exhibet, sustentando corpus, & animæ luti consulendo amanter, vt solus verè P sit; qui proinde ait: *Nolite vocare vobis Pat*
Matt. 23. 9. *super terram, vnus est enim Pater vester, qu*
Psal. 26. 10. *cœlis est.* & meritò, nam, *Pater meus & m mea dereliquerunt me* (quod sæpe fit) *Do nus autem assumpsit me*: nunquam deserit, derelictus.

III. *Si Pater, ergo ego filius.* III. Præterea si ille Pater ego F

us, qu

us: quanta hæc dignitas? præstabo filij partes amore, obseruantia, obedientia. Qui istuc ex mácipio vili prouectus es, vide ne degeneres.

IV. Voluit precationem ab hac compellatione nos exordiri, ad excitandam fiduciam obtinendi petita: & quia gloriatur in hoc nomine. quòd Pater sit, gaudet se ita compellari, & ad commonendum nos, quòd velit filiali affectu nos ad ipsum accedere, & in omnibus ipsi seruire, taliaque petere, quæ deceant talem Patrem. IV. Cur à Patre orditur.

Noster.

I. Voluit, vt diceremus, *noster*; non autem, *meus*, qui cùm vnicum habeat filium naturalem, voluit quàm plurimos habere adoptiuos, tum Angelos, tum homines, idque ita, vt bono filiationis vnusquisq; gaudeat, ac si nullũ haberet consorté. Nam Dona Dei non minuuntur communicatione in plures. 2. vt moneret esse nos inter nos fratres, nulla exceptione gradus, aut ætatis, atque vt fratres inuicem diligendos, proque omnibus communiter orandum, nullo spreto, sicut per Malachiam: *Nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non vnus Deus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum?* 3 quòd *Pater mi*, conueniret magis vnigenito, & appellatio esset indulgentior, quàm pro reuerentia illius Maiestatis; cuius oportuit haberi rationem. Et si nihil vetat, priuatim, pro affectu aliquando, sic Deum alloqui, quod ita

1. Liberalitatem ostendit.

2. Vt inuicẽ amemus.

Malac. 2. 10.

3. Reuerentiam excitat.

pleno

pleno iure filius sim adoptiuus, ac si forem vnicus.

Quies in Cælis.

In Cœlis. Vt cœlestia petamus.

Cũ in omni loco sit, voluit cælum exprimi, vt reuerentiam in nobis excitaret illius Maiestatis in cœlo dominantis, & vt mentes nostras ad cœlestia erigeret, quæ est filiorum Dei hæreditas. Et vt intelligam, me hic esse peregrinum; debere autem cælo dignam colere puritatem. Denique docet, illuc oculos leuare, vnde veniet auxilium mihi. Per cælos etiam intelligi possunt animæ iustæ, in quibus habitat Deus: qualis esse studeat, qui orat, vt in abscondito cordis sui ab inhabitante Domino exaudiatur. Hactenus præambulum, sequuntur petitiones.

Sanctificetur nomen tuum.

Petitio 1.

1. 1. Non ait, glorificetur quia nihil Deus ita
Isai.6.3. æstimat, atque quòd sanctus sit; ac proinde, vt
Apoc.4.8. pro tali habeatur & prædicetur, quod est Bea-
2. torum carmen: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* 2. Non ait, potentia, aut maiestas; sed *nomen tuum*, vt simul includat, quicquid Dei apud nos nominatur, totum videlicet sanctum esse, & pro eo celebrandum. nominatur autem omnipotens, sapiens, creator, & infinita alia. 3. *Tu-*
3. *um*, inquit, quia solum *tuum* est sanctum per-
Psal. 113. 6. seipsum, vnde iusti illam participant. Ergo,
1.Tim.1.7. *tuum*, non nostrum; *Non nobis Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam Regi seculorum*

immortali

immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, nobis autem confusio faciei. & ego sic studiosus sum nomen meum cō- Baruc 1.15.
mendandi, qui nesciri & contemni præoptare deberem. 4. Non restringit: per nos *Sanctifi-* 4.
cetur: quia optandum, vt ab omni creaturæ cælestium, terrestrium, & infernorum. 5. Por- 5.
rò sanctificatur Dei nomen, si homines credant, quod reuelat; sperent, quod promittit; faciant, quæ iubet, colant, vt ipse præcepit; ament eum ex toto corde, attestantibus operibus, vnde qui vident, glorificent Patrem, qui in cœlis est.

Adueniat regnum tuum. Petitio 2.

1. REGNVM, quo in iustis regnat, qui per omnia ipsi subijciuntur. 2. quo regnat in Beatis: istud autem adueniet nobis, si in primo permanserimus. Quare ait, *Adueniat:* quasi sponte secuturum. Et quidem illud omnes optant, at primùm, non ita, quia cum labore coniunctum est. Iustitia enim paratur, & conseruatur mortificatione appetitionum. 3. Regnum illud consummatum atque perfectum, cùm Deus erit omnia in omnibus, in Resurrectione mortuorum, quod expectant animæ beatæ. 4. *Tuum* inquam, non mundi Regnum, quod caducis bonis constat; multoque minùs peccati Regnum, quod cupio funditus euersum.

1. Regnum Gratiæ. 2. Gloriæ. 3. Consummatum. 4. Dei, non mundi regnum.

Petitio. 3. *Fiat Voluntas tua, sicut in cæl*
terra.

1. Voluntas Dei. I. Voluntas Dei continetur illius
tis, & consilijs, ac inspirationibus,
iussis eorum, qui Dei nomine præsun
exequenda sufficit, quòd voluntas De
Psal. 29. quòd *vita mea in voluntate eius est*:
2. Dei solius. faciam, viuam; alioqui periturus 2.
mea, quæ peruersa est, nec carnis, q
traria spiritui, nec mundi quæ vana,
aboli, quæ iniqua. Sed *Tua*, quæ est re
ctitudinis & quam vt faceret Chris
3. Perfectè. nit. 3. Modus faciendi; *sicut in cælo* ab
ita integrè, promptè, velociter, for
manter, exultanter. Vnde opportunè p
Adueniat regnum tuum, vt, quando il
spiramus, ita nunc agamus, vti agunt
4. cœlo sunt. 4. Potest sic etiam intelligi
reni & carnales homines sic voluntat
faciant, vti cælestes, & spirituales faci
Psal. 142. *ce me*, Dómine, *facere voluntatem tua*
Deus meus es tu.

Petitio 4. *Panem nostrum quotidianum da*
hodie.

I. 1 Quis est panis iste? 1. panis supers
1. Panis Eucharistiæ tialis Eucharistiæ, qui spiritum nutrit
borat, vt digni reddamur illo assiduè
2. Gratiæ. Alia gratiæ auxilia, sine quibus vita sp
lis non producitur, in quibus est, vt fa
Dei voluntatem, quā Christus dicebat

esse cibum. 3. panis corporalis, vitæque susten- 3. Corporis.
tatio, pro qua non vult nimis esse anxios; sed
Deo etiam expectare. Per hæc instruimur,
quòd tanquam infantes egeamus cura Dei, &
tanquam Filij ad eum confugere debeamus. 2. II.
Nostrum: etsi enim est supersubstantialis, & à
Deo, *noster* tamen, quia nostræ indigentiæ ne
cessarius, & nobis à Christo comparatus, &
promissus. Quia verò Deus etiam Angelis &
beatis panis est, petimus eum pro modo, & sta-
tu nostro, sicut & corporalem 3 *Quotidianum*. III.
si de spirituali, non ille, qui est paucorum sin-
gulariter dilectorum, quia indignum me re
puto sed communem quasi portionem, & ne
cessariam, sine qua non viuitur; ita etiam si de
corporali accipiatur, non abundans & ad ge
nium, sed ad necessitatem. 4. *Da nobis*, pro om- IV.
nibus tanquam fratribus petendum, etiamsi
alioqui odientibus. *Orate pro persequentibus &* Matt. 5. 44.
calumniantibus vos; &, *si videris inimicum esu* Prou. 25. 21.
rientem ciba illum. 5. *Hodie*, quia vult nos 5. Quotidie
quotidie petere, semperque ab eius pendere peto.
prouidentia. auocat etiam à superflua cura de
crastino, ad exemplum *dati* olim *Mannæ in sin-* Exodi 16. 4.
gulos Dies. Hodie etiam pro vita præsenti ac- Heb. 5.
cipitur, quamdiu hodie nominatur, vt ait
Paulus, quod est præsens tempus.

Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos Petitio 5. Debita.
dimittimus debitoribus nostris.

1. Debita sunt peccata, tum mortalia, tum 1. Peccata.
venialia, & quæ eis debentur pœnæ, quæ pe

 timus

timus dimitti per media à Deo instit
2. nostram cooperationem. 2. quòd quami
quis sit filius, & Regnum Dei in se habe
3. ciatque illius voluntatem, adhuc eget
Iniurias remittere. sione ob venialia peccata quotidiana. 3.
sim proximis debemus dimittere debi
fensionum & iniuriarum & quò id perf
fiet, benefaciendo etiam inimicis, eò lib
ùs nobis à Deo dimittentur debita nost
Ephes. 4. 26 vult statim dimitti, *Sol non occidat supe cundiam vestram*. Et hanc ponit quasi ne
riam conditionem, vt nobis dimittatur,
contra se profert sententiam, qui non d
tit debitoribus suis.

Petitio 6. *Et ne nos inducas in tentatione*

Ne vincaris pete. Non petitur, vt non tentemur, quia id
expedit; & à Deo sapienter permittitur
ne tentationi succumbamus, aut etian
tari sinamur, quando præuidet, nos suc
turos.

Petitio 7. *Sed libera nos à malo.*

AB omni malo omnino. Sicut subi
Ecclesia in Missa: *Libera nos quæ Domine ab omnibus malis præteritis, præ bus, & futuris*: nempè æternis, & temp
bus, animæ & corporis, & huius, pro vt
dit nobis. præterita autem mala sunt pe
quorum adhuc rei sumus, vel ratione p
à Dæmone. vel etiam culpæ. Deinde à malo, hoc est,
ligno Dæmone, ne supra nos potestatem

at,aut eius efficiamur serui peccando. Licebi hîc more Ecclesiæ in litanijs recensere varia genera malorum, à quibus liberari flagitemus.

Amen.

Fiat fiat. magno desiderio pronuntiabitur,nam *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Magna etiam fiducia, vt qui ea petamus,quę petēda præscripsit, sicut ait Ioannes: *Hæc est fiducia,quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem eius, audiet nos, & scimus,quoniam habemus petitiones,quas postulamus ab eo.* De prouidentia Dei ad subueniendum nobis agitur in sexta parte meditationum.

Psal. 9. 39.

Fiducia.

1. Ioan. 5. 14.

NOTA.

Quòd quatuor petitiones faciunt ad obtinendum bonum, tres autem ad auertendum malum Ex primis concernūt Diuinam gloriam tres: *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua*: quarta autem concernit nostram vtilitatem, seu per eam petimus nobis bonum necessarium, tam spirituale quàm corporale. Etsi tria etiam priora nobis prosunt, quia nostrum est bonū, facere eius voluntatem, & sanctificare eius nomen,& regnum aduenire, sed in ijs,ex obiecto, & per se quæritur glorificatio Dei. Tres posteriores ad auertendum malum pertinent *Remitte nobis debita nostra* ad remissionem

1. Quatuor bona petimus oratione Dominica.

2. Tria mala deprecamur.

peccatorum iam admissorum. *Ne nos ind* ad futura peccata præcauenda, & pericu orum declinanda. *Libera nos à malo*, ab genere malorum, quod obuenire potest, tenus tamen expediat nobis: nam trib sæpè expedit, & persecutiones pati, & æg dines.

MEDITATIO XV.

Missio discipulorum ad prædica dum per Iudæam.

In commemoratione & Pauli. Et communi SS. Apostol. 30. Iunij.

PVNCTVM I.

Matt. 9. 37. *Luc. 10. 2.* Operarij otiosi.

NECESSITAS mittendi: ait e *Messis quidem multa, operarij a pauci; rogate ergo Dominum messis, vt m operarios in messem suam.* Messis multa el rum expectantium prędicationem Euan operarij pauci, nam plerique refugiunt rem, aut in eo non lucrum animarũ, sed prium quærunt, pauci se disponunt, vt i fiant, sed resistunt mittere volenti. Dor messis est Christus: hic rogandus, quia sponte sua potest mittere manum in ali messem. Vult rogari, quia ad executi prouidentiæ, & decretorum Dei medi aptissimum oratio; &, vt insinuet, non s teresse, cùm inde nihil referat, sed hom ipsorum rem agi. Nihilominus, necdum tus, statim misit, pro charitate, desideri hominum salutis.

P

PVNCTVM II.

BINOS mittit: ad commendandam mutuam charitatem, & quia *frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. & si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia, cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* &, *vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nec solùm causa auxilij, sed, vt mutuò sibi testes sint impensæ operæ. Deinde impertit potestatem miraculorum: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eijcite.* Nempe vt prædicationi ipsorum conciliaret auctoritatem, cùm essent alioqui Idiotæ & simplices. Subijcit; *gratis accepistis, gratis date.* In primo commendat humilitatem, ne sibi adscribant. Quare redeuntes cum gaudio, quòd sibi dæmonia subijciantur, repressit exemplo Luciferi dicens: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* In secundo commendat liberalitatem benefaciendi, nulla expectata compensatione, quò maiorem à Deo referant. Nam reprehenduntur, qui aliter agunt: *Quis est in nobis, qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito?*

1. Cur binos. *Prou.* 18.19. *Eccl.* 4.10. *Mat.* 18.20.

2. Potentiâ dat suam. *Matt.* 10.8.

Mandat humilitatē. *Luc.* 10.17.

Malac. 1.10.

PVNCTVM III.

INSTITVIT Dominus discipulos ad missionem: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Vbi sex virtu-

Matt. 1.16.

6. Virtutes

commendantur. Mansuetudo. Patientia. Charitas. Fiducia. *Isa.* 11. 6. Prudentia. Simplicitas. *Luc.* 3. 22.

tes eis commendat: *Mansuetudinem* oui
vt nec læsi noceant; *Patientiam* in fere
incommodis illatis; *Charitatem*, impen
do se totos vtilitati aliorum, sicut oues la
nam & carnem suam præbent. *Fiducia*
pastore suo, tanquam oues, quæ se tuer
queunt. quare ait: *Ecce ego mitto vos vt p*
ues, confidite, quamuis inter lupos. Hoc
est tempus, de quo prædictum: *Habitabi*
pus cum agno, & pardus cum hœdo ac
bunt, &c Item *prudentiam* serpentum, v
put à vulnere abscondant, quando nequ
corpus, cætera perdant, dũ animam ser
& obturent aures ad voces incantantium
leq; suadentium. Atque vt serpens obser
tempus locumq; aptum ad seducendã Eu
ita ipsi ad Euangelium insinuandum. Po
mò *simplicitatem columbinam*, ne prude
sit vulpina & fraudulenta, sed absq; felle
cera. Oculi tui columbarum, quales Ch
in quem *descendit Spiritus sanctus sicut co*
ba. Det ille mihi, vt norim prudentiam
simplicitate coniungere.

PVNCTVM IV.

1\. Superflua reijci. *Matt.* 10. 9.

VITAE rationem modumque præ
bit. 1. Vetat superflua, vt sunt pret
Nolite poßidere aurum, neque argentum
pecuniam in zonis vestris. Et in commu
vetat non necessaria: *non peram in via;*
duas tunicas, (si sufficit altera) *neque ca*
menta mutatoria, *neq; virgam*, quamui

nima, quibus carere valeas, iubet abijcere. quin in planè necessarijs vult eos Deo fidere. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Suppeditabit eis, qui mittit. Vnde in cœna vltima dicebat, *quando misi vos sine sacculo & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* nihil. Planè omni sollicitudine tẽporali liberos esse vult, qui euangelizant, sique bene officio fungantur, in eo satis subsidij eos habere ad vitæ necessaria, quæ iure suo expectare à mittente Deo possunt, ac debent, qui excitabit homines, vt ipsis subueniant, etiam abundanter. Voluit Christus exercere suos in quadam perfecta fiducia diuinæ erga se prouidentiæ, non vt id foret in posterum præcepti, secundùm eum vigorem, sed vt tantùm ad eam formam, quoad fieri posset, Apostolici viri adniterentur. Amplius prohibet, *neminem in via salutaueritis*: videlicet, ne à suscepto negotio se retardari sinant, per officiosas salutationes, & non necessaria officia. alioqui vult salutari hospites suos, & pacem eis impertiri. *In quamcunque domum intraueritis, dicite: pax huic domui. Quòd si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad nos reuertetur*; significat prædicationem fore efficacem in filijs pacis, qui præordinati sunt ad vitam æternam quòd si tales non fuerint, nihilominus ipsos operæ suæ fructum relaturos.

Luc. 22. 35 Sine sollicitudine tẽporali.

Luc 10. 4 Ne salutent.

Luc. 10. 5.

PVNCTVM V.

Scopus. QVID annuntiare debeat: *dicite*
Luc. 10. 7. *appropinquauit in vos Regnum Dei.*
Regnum efficacia motiua, & promissio Regni De
cœlorum. spes propinqua, præsente iam Saluator
exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam
rent, quâ ad Regnum peruenirent. Nan
Matt. 11. 12. *gnum cœlorum vim patitur, & violenti ra*
illud.

MEDITATIO XVI.

In Decollat. S. Ioannis Bapt. 29. Augusti

Martyrium Ioannis Baptistæ.

PVNCTVM I.

IOANNIS fortitudo, & constantia ani
qui cùm magni fieret ab Herode, *qui*
Marc. 6. 20. *tuebat Ioannem, sciens eum virum iustum*
sanctum, & audito eo, multa faciebat. cu
Non timet Herodem. Herodiadis impotentiam animi & crudel
tem non ignoraret, neq; ob gratiam, neque
metũ destitit à reprehensione dicens Hero
Matt. 14. 4. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

PVNCTVM II.

Restabat persecutio Ioanni. HERODES *tenuit Ioannem, & vinxit*
inclusit in carcerem. Hactenus in ho
re fuerat Ioannes, debuit persecutionibus
quam aurum probari. Nec abnuit, aut cap
uit latebras, aut fugam, sed promptum se
tulit, carceremq; in domum orationis ver
nec destitit à prædicatione. Inde enim m

discipulos ad Christum. cupiebat autem dissolui,& Patribus etiam Lymbi Christum annuntiare, ex officio præcursoris.

PVNCTVM III.

VITIA conspirabant in Sanctum. Ingluuies conuiuij, luxuria Herodis, leuitas puellæ saltantis, iactantia promissi, ficta Religio iuramenti, illum neci destinant. Et huc præcipitatus est Herodes, quòd audire Ioannem desijt, qui interpretatur gratia. sic, cùm occludimus aures diuinis inspirationibus, quotidiè in peius ruimus. Exercitus Dæmonis.

PVNCTVM IV.

OBTRVNCATVR Ioannes: excepit gaudio sententiam mortis, præbuit iugulum, orans pro persecutoribus suis. Deducitur eius anima in sinum Abrahæ ab Angelis, & qui Natiuitate sua multos lætificauerat, migrans è corpore replet lætitia Sanctos, qui Saluatorem expectabant. Cuius Sancti gloria æstimari potest ex vita sanctissima, quodque tribus laureolis, *Virginis, Doctoris, Martyris* insigniter decoratus sit. Mors & gaudium S. Ioannis. Gloria eius. 3. Corolla.

MEDITATIO XVII.

Miraculum quinq; panum. Matt. 14. Domin. 4. Quadrag. & vltima post Trinitatis.

PVNCTVM I.

1. MVLTA turba sequebatur Christum, partim admiratione doctrinæ, partim, 1. Turbæ pietas.

Ioan. 6. 2. tim, *quia videbat signa, quæ faciebat super*
qui infirmabantur, vt ait Ioãnes. *Hi sunt fu*
niculi Adæ, funiculi charitatis, de quib⁹ Oseæ,
Oseæ 11 4. neficia tũ corporalia, tùm spiritualia. 2. Ap
2. Misericordia Apostolorum parua. stoli misericordia moti petierũt à Christo,
turbas dimitteret, quò sibi escas emerent
proximis castellis. At Dominus monet, vt i
potius eis subueniant, ita docens: Prælatoru
misericordiam debere dilatari, & quando e
est facultas, recurrendum ad Deum. 3. Al
3. Christi magna. Mar. 8. 2. Mat. 5. 32. Christi hæc misericordia magis exprimitu
Misereor inquit, *super turbam, quia ecce ia*
triduo sustinent me, nec habent quod mand
cent: &, si dimisero eos ieiunos deficient in vi
quidam enim ex eis de longe venerunt. quà
exactè expendit necessitatem nostram, & r
tiones subueniendi examinat, ac pericu
peruidet, vt quasi debeat subuenire? At qu
magni Domine, si triduo te sustineam, qui t
am vitam omnem in mea vtilitate ponis? &
quidni de longe veniam ad te, quando tu
cœlis, propter me? age, ne me ieiunum dimi
tas, ne deficiam in via, donec perueniam pl
nè ad te. 4. præ se fert Christus sollicitudine
4. Sollicitus Christus. Ioan. 6. 5. suam, quando rogat Philippum: *vnde em*
mus panes, vt manducent hi? negat ille, *suffic*
re vel ducentos denarios, vt modicum quis acc
piat. At pecunia tibi opus non est, Domine.

PVNCTVM II.

Paupertas Christi & Discipul... CHRISTVS petit à Discipulis id, quo
habebant, & *obtulerunt ei quinque pan*

ho

hordeaceos, & duos pisces. Hæc erat tota prouisio panes omninò viles & insipidi, & quinque tantùm cum duobus piscibus, cùm essent ipsi piscatores Tam aberat ab ea sancta familia superfluitas, ex quo ipse confundar, amator commoditatum. Promptè exhibent Apostoli, non causati indigentiam propr a n. sic agam, quia rependet copiosè Dominus. Poterat aliter Christus prouidere, sed voluit probare charitatem discipulorum, & facere participes boni operis, simulque docere, quando non valemus ex toto subuenire, conferendum à nobis, quod possumus, tam in corporalibus necessitatibus, quã spiritualibus, sicut monuit Tobias; *quomodo poteris, ita esto misericors.* Prompta Eleemosyna. Tob 4 8.

PVNCTVM III.

SERIES miraculi. 1 Iussit discumbere centenos, & quinquagenos supra viride fœnum, ad vitandam confusionem; & vt numerus scilicet constaret, qui fuit quinque millium, præter mulieres & pueros; & vt omnibus manifestius fieret miraculum. 2. *aspexit in cœlum.* sic profitens, à Deo esse omne donum, & illam ipsam patrandi miraculi potestatem. 3. gratias agit pro illis ipsis quinque panibus propositis, & pro multiplicandis ex eis Nihil tam exiguum, quod non magnifaciendum, & pro quo non debeantur grates, quia venit à Domino ad immeritos. 4 *benedixit* certis verbis, & benedicendo vim impertijt multiplicandi. Tum frangens panem, *dedit discipulis,*

1. Iubet discumbere.

2. Cœlum aspicit.

3. Gratias agit.

4. Benedixit.

bi au-

hi autem turbis. Docemur modum sume
Modus edendi. cibum. 1. ordinatè dispositis conuiuis, ir
1. quos mihi eligam nouissimum locum. 2. vt
2. uentur oculi mentis in cœlum, coram I
Psal. 67. 4. inspectore edentes sine excessu, sicut ait: 1
3. *epulentur, & exultent in conspectu Dei.* 3. g
tias agant, recognoscentes cibum apposit
pro eleemosyna Dei, tam pauperes, quàm
uites, ac cùm talis sit, non obmurmurand
4. quouis defectu. 4 vt præcedat benedictio
aliquam precationem, quæ & sumptio
1. Tim. 4. 4. comitetur, quò cibus fiat sapidior. nam
ctificatur cibus per verbum Dei & oration
teste Apostolo. Exprimitur etiam ratio
mendi Eucharistiam, de qua parte 4. Med
tione 14.

PVNCTVM IV.

EXPENDITVR miraculum. Multiplic
tur panes in manibus Christi, Apost
rum, & comedentium, atque ex insipidis f
Deut. 32. 9. sapidi, vti ex manu Dei venientes, cuius *pe*
1. *cta sunt opera.* 1. Considera omnipotenti
Omnipotentia. & quis non velit tam potenti Domino se
Psal. 77. 20. re? qui potest *parare mensam in deserto, &*
Deut. 8. 15. *cere aquam de petra, oleumq́; de saxo durißi*
qui transfert Austrum de cœlo, & pluit sic
renam maris volatilia pennata? vt sciant
Sap. 16. 26. tui, *quos dilexisti, Domine, quoniam non*
2. *tiuitatis fructus pascunt homines, sed se*
Prouidentia. *tuus.* 2. Considera prouidentiam, quand
Mat. 6. 31. opus est, vt meritò dixerit: *nolite esse solli*

Digitized by Google

quia manducabimus, aut quid bibemus? scit enim Pater *vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Vnde dicebat Dauid: *non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* 3 Modum prouidentiæ; vt, cùm diuersæ ætatis, & complexionis essent, quod dabatur singulis, sufficiebat pro cuiusque necessitate: sicut de manna, *siue plus, siue minùs quis colligeret.* Etsi hîc multum superfuit de panibus, ad Dei magnificentiam declarandam 4 Id in Eucharistia est illustrius, quæ nunquam cõsumitur, & quamuis hostia in mille partes diuisa, non plus habet, quàm singulæ, & satiatur quiuis ex ea parte, quam sumit.

Psal. 36. 25

3. Omnes satiat.

4. Miracula S. Eucharistię.

PVNCTVM V.

SVPERFVERE *duodecim cophini fragmentorum*: quot erant Apostoli, qui colligebant. En quantùm eis reddidit, & quantò melius, pro quinque insulsis panibus! ita viduæ illi de farina & oleo factum à Deo, quòd pauisset Eliam. Ita eleemosynas in pauperes remunerat. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* & qui in hac vita sic compensat, quomodo in futura? *mensuram bonam & confertam & coagitatam dabit in sinum vestrum.* Sed quæ admiratio turbæ, quæ lætitia? Regem destinabãt sibi: ideò fugit in montem solus, ad exemplũ contemptus. Et quia *Regnum* eius *non est de hoc mundo.*

Gratitudo Christi erga Apostolos.

Prou. 19. 17.

Luc. 6 38.

Turbæ.

Ioan. 18. 36

ME-

Digitized by Google

MEDITATIO XVIII

Dom. 4. post Epiphaniam.

Sedata Tempestas. Marc.

PVNCTVM I.

Marc. 4. 36. POST concionem prolixam, *cùm f... factum, ascendit in nauiculam cum ... lis suis, & erat ipse in puppi supra ceruic... miens.* 1. Captat somnum, quo ostendi... manis subiectum, sed modicum, & ... vigilabat, videbatque omnia, quæ ... imitabor, & bonis phantasmatibus p... num præbebo occasionem. 2. Dormit, d... *uicula operitur fluctibus.* finit nos ten... dissimulat, non ideò deserit. 3. sic profic... humilitate, purgantur vitia, fiducia exc... & orationi insistitur, occasione trib... num.

1. Sit somnus sed modicus.

2. Fingit Christus somnum.

3.

PVNCTVM II.

Matt. 8. 25. Marc. 4. 38. DISCIPVLI *suscitauerunt eum ... tes: Domine salua nos perimus.* & ... *ster, non ad te pertinet, quia perimus?* Si... remedium ad Deum recurrere per or... vtraque formula & breuis, & efficax... sterior cum quadam filiali querimonia... dicant: *Tuus sum ego, saluum me fac.* E... *ge, quare obdormis Domine? obliuiscer... nostra, & tribulationis nostra?* Corrip... illos Dominus: *quid timidi estis, modi...*

Orant discipuli. Psal. 118. 94. Psal. 43. 23.

Digitized by Google

etsi enim est, quòd timeatis ex vobis, at oportebat in me confidere.

PVNCTVM III.

IMPERAVIT *ventis & mari. Et comminatus est vento, & dixit mari, tace, obmutesce. & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.* Insensibilia agnoscunt imperium creatoris, & parent; & ego resisto? non solùm tacere iubet, quasi ad tempus, sed planè sedari, semota causa. O, sic animæ meæ tumultus cõpescat. Est enim *quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius.* Et *mirati homines dixerunt: qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?*

Omnipotẽtia Christi.

Isa. 5. 7.

MEDITATIO XIX.

Christus ambulat super mare.

Octaua SS. Petri & Pauli 7. Iul.

PVNCTVM I.

COMPVLIT *discipulos ascendere in nauiculam, &, dimissa turba, ascendit in montem solus, orare.* Mat. 14. 22

1. NOTA, quàm studiosus orationis, captato loco, & tempore apto, & producta vsque ad quartam vigiliam noctis. 2. Quòd ægrè à Christo seiungebantur Apostoli, vt oportuerit eos *cogere*, sicut ait Marcus. Obedierunt tamen. 3. Aliàs, Christo dormiente, nunc, eo absente, oritur tempestas, ad probationem fidei, subtracta sensibili gratia.

1. Orationis studium.

2. *Marc. 6. 45*

Marc. 4. 38

3.

PVNCTVM II.

1. Discipuli non despe-rant. NAVICVLA *iactabatur fluctibus*, *eos laborantes in remigando* 1. portet seipsum deserere, sed conari, do orationi, & pœnitentiæ, contra te

2. Christi charitas. *1. Ioan. 2.1.* nes. 2. Vidit id Deus, quod solatio bet tribulatis: *nam Aduocatum habem Patrem*. 3. *Circa quartam Vigiliam venit ad eos, ambulans supra mare.*

3. Omnipo-tentia. *Ps. 68.3.32.* stenderet, se potestatem habere supra superque tempestates mundi huius. aliquando *infigatur ipse in limo profu* per dispensationem fieri pro nostra vnde victor euadens, *placuit Deo sup lum nouellum, cornua producentem & v* Deinde significauit virtutes orationis, homo posit vndas calcare tentationur

4. Inanis timor. veniebat ab oratione. 4. *Viso illo*, *runt, phantasma esse, & conturbati cl runt.* Sic, qui periculo tempestatis n runt territi, vana specie consternant fit, vt ad maiores difficultates intrepi cantur fucatis.

PVNCTVM III.

Proprio iudicio decipiuntur multi. *2. Cor. 11.14.* DELVSIO varia. 1. Sic quidan nia sua putant reuelationes, & nes suas esse virtutes, puta impetum i zelum, carnalemque amorem esse sp lem. Tales ferè sunt superbi, proprio f iudicio, quibus se *transfigurat Dia*

Google

Angelum lucis, vt internos motus à malo spiritu profectos pro diuinis habeant. Alij à propria imaginatione cùm debilitate capitis seducti, persuadent sibi, vidisse se Christum, aut audisse ab illo. Denique ipsi etiam spirituales viri assueti diuinis, solent interdum cogitationes proprias pro diuinis habere. Vt cùm Nathan Propheta, ex proprio spiritu approbauit, vt Dauid templum Domino ædificaret; quod Deo ratum non fuit. Etsi Nathan non vt vates probauit. 2. Alij contrà, pro phantasmate habent, quod verè est Christus, solidam virtutem pro passione, veram inspirationem pro instinctu proprio. Et contingit id etiam prouectioribus in spiritu, sicut nunc Apostolis. Et est grauis tentatio, quando Christus pro phantasmate est. Sic aliqui inexperti eludunt reuelationes quaslibet, quasi Deus non se modò etiam communicaret. Vtrumque extremum est vitandum, tenendumque medium, iuxta Ioannis consilium: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* quò facit donum discretionis spirituum, quod Deus præsertim communicat præsulibus, ad quos proinde recurrendum est.

2. Aliquibus Christus pro phantasmate.

1. Ioan. 4. 1

PVNCTVM IV.

CHRISTVS se manifestat. *Ego sum: nolite timere.* non distulit consolari discipulos, se manifestando. proprium est Dei, vano timore discusso, ad solidam fiduciam eri-

Pellit timorem Christi.

gere, faciens intelligere, quod ipse e
enim quiuis hominum solet voce sua
quia vnusquisque habet aliquid pro
ita agnoscunt Dei vocem illius fan
Et sicut eadem vox diuerso modo pro
rios affectus indicat, & effectus gign
Ego sum, terret & mulcet. *Ioan. 18. 6.* dicente: ita hæc Christi: *Ego sum*, A
demulcet, *comprehensores prosternit.*
noscam ex voce loquentem mihi Deu
quatur ille mihi in bonum.

PVNCTVM V.

Actus charitatis.

1. Agnitio Christi.

PETRI feruor: *Domine, si tu es,*
venire ad te. Quinque insinuat pr
tes feruentis charitatis. 1. Illustratio
quandoquidem *tu es*: videlicet, ag
verè vocem: *Ego sum.* 2. Cupit sibi

2. 3. Desiderium seruiendi & manendi. *Luc. 5. 8.*

iniungi ab eo: *Iube.* 3. Non sustinet à
esse diutiùs: *Iube, me venire ad te.* A
do visa captura piscium, dixit: *Domi*
à me, quia homo peccator sum. nunc
aduolare ad Christum vult, illud hur
fuit, hoc amoris; illa hunc facit tutio
hic vicissim illam perficit. 4. Offe

4. Oblatio sui. *Cant. 8. 7.*

maiora viribus, de virtute dilecti co
super aquas ambulare confidit, vt M
quia *aquæ multæ non extinguent cha*
5. Charitas est cauta & ordinata

5. Prudens caritas. *c. 2. 4.*

præsumit iniussa. O Deus, *or-*
dina in me chari-
tatem!

PVNCTVM VI.

ANNVIT Christus, dicens: *Veni.* 1 Ideo annuit, quia vidit, charitate impel-[...] & non sibi fidere, & resignatum esse. con-[...], reprehensus est in vltima cœna, quando [...]ad mortem offerebat, quia suberat præ-[su]mptio, & quidam contemptus aliorum: *et-[ia]m si omnes scandalizati fuerint.* 2. Annuit, [vt] probaret verum, quod eis dixerat: *Confi-[di]te, ego sum, nolite timere.* siquidē virtute il-[lius] verbi, *veni*, ambulare faceret super aquas, [...]iin & super basiliscum & draconem, & su-[pe]r mundi fluctus persecutionum. O, dic a-[ni]mæ meæ: veni, & erunt omnia peruia. 3. V-[bi] Christus annuit, continuò Petrus se in ma-[r]e dedit. ad illius verbum non est hęrendum, [q]uia *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Matt. 26. 33

Phil. 4. 13.

PVNCTVM VII.

PETRVS periclitatur. 1. Timuit ad Ventum validū, permittente Deo: ne extolle-[r]etur: & vt argueretur imperfecta fides, quæ [a] Christi intuitu deflectebat oculos, propter [v]entum, qua vacillante, etiam gressus incedentis subsidebat. 2. Discitur, quòd qui, Deo [p]robante, adit pericula, Deus ei adest pericli-[t]anti, vt iam Petro, nam extendens manum, [a]pprehendit eum. At, si temerè, & vanita-[t]is causa deseritur. 3. Ingresso nauiculam [C]hristo, cessauit ventus, & statim nauis fuit

1. Petrus timet.

2. Iuuatur.

3.

 ad

ad terram. Disijcit subitò tentationes p
tia Christi, & terræ viuentium facit f
4. appellere. 4. Quòd Deus initia reru
gnarum reddit facilia, tum difficultat
finit, ad prouentum ex tentatione. T
consolatur, dum cernitur, quàm mult
eius gratiam possumus.

MEDITATIO XX.

In Festo SS. Petri & Pauli, 29. Iunij.

Petrus Diuinitatem Christi fitetur. Matth. 16. Marci 8.

PVNCTVM I.

Matt.16.13. INTERROGATIO Christi: *Quem*
1. *homines esse filium hominis?* 1. Lu
Luc. 9.18. quòd, *cùm solus esset orans, interrogas*
vt intelligatur, Christi oratione impe
esse lumen Petro, & similiter nobis ol
Iacob 1. 5. dum esse per orationem: *Si quis indiget*
tiâ postulet à Deo. Intelligitur etiam
rogationem factam diuino Spiritu, ob
2. tem nostram. 2. Interrogando captaui
stus occasionem manifestandi seipsum
discipulis, quippe quòd fundamentu
salutis: & ipse dixit: *Hæc est vita æte*
Ioan. 17. 3. *cognoscant te verum* DEVM, *& quem*
IESVM *Christum.* Deinde discatur,
abs re, opiniones hominum de nobis
do cognoscere, vt defectus corrigamu

autem existimata acquirere, aut acquisita perficere studeamus, non ad vanitatem. 3. Christus *Filium hominis* se nominat vulgari, & vili appellatione (ne affectem à dignioribus titulis appellari.) Vnde mox exaltatur, dum *Filius Dei* pronuntiatur à Spiritu sancto. 3.

PVNCTVM II.

Opiniones de Christo. 1. Apostoli non referunt, quòd Samaritanus, vorax. & potator, & peccatorum amicus diceretur; quia inuidiosa sunt tacenda, ne exasperentur animi, & Christus, quid *turba* dicerent, requirebat, vt Lucas habet, non quid scribæ, & Pharisæi. 2. quòd homines circa Dei notitiam facilè errent, quod Diabolus procurat, vt captiuos teneat in peccatis. Propterea *captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et *qui ignorat, ignorabitur. O, repleatur scientia Dei terra.* 3. Qui errant, ferè detrahunt Deo aliquid, dum suo iudicio metiuntur infinitum: vt cùm *Ioannem*, aut *Eliam* eum dicunt, qui erat Deus. peius, qui Samaritanum, aut Dæmonium habentem; illi sanctitatem, isti potestatem Christo adimentes. 4. Mali etiam Christiani practicè ostendunt, se malè de Deo sentire, vt cùm ex præsumptione misericordiæ illius peccant; aut ex metu iustitiæ animum despondent. 5. Simile quid etiam euenit spiritualibus hominibus, quando suum spiritum volunt esse omnium, quasi non essent varij spiritûs

1. Tacent Calumnias.

2.

Isai. 5. 13. 1. Cor. 14. 38. Isai. 11. 9.

3. Errantes detrahunt.

4. Mali errāt.

5. Errant bon Christum arctantes.

Sap. 7. 22. ritûs, modique seruiendi Deo ab ipso i
ti, cùm scriptum sit: *Spiritus intelligen*
ctus, vnicus, multiplex. Et hi igitur, qu
aliquid subtrahunt, & limitant eius
tiam.

PVNCTVM III.

1. CONFESSIO Apostolorum. *Vos*
quem me esse dicitis. 1. Quærit ian
tanquam meliùs institutis, & quærit, v
eos confirmet. Quæra ego ex anima me
de Christo, eiusque virtutibus, & quàn
2. Petrus primo respondet. miter sentiat. 2. cùm omnes interroga
præuenit Petrus respondere, tum ob
rem & Zelum, pro Magistri honore; tu
Christus specialiter illum mouit, dan
traordinarium lumen illius feruori. Ta
cum feruore agere, sed humilitate seru
te præferas. 3. Confessio Petri. *Tu*, qui
3. Tu es Christus. Elias, vel Baptista, vel Propheta habe
Christus ille Messias, Iudæis promissu
Aggai 2. 8. *desideratus gentibus*, ille *sacerdos ætern*
Psal. 109. 4. *cundùm ordinem Melchisedech*, ille pro
quem audire omnes debent, ille sanctu
ctorum, ille vnctus oleo iustitiæ præ p
pibus suis. Adhæc *Tu es filius Dei viu*
Christus, vt alij etiam vocarunt, sed C
Filius Dei. *Filius Dei*, & *viui*, quippe vitalem ha
generandi virtutem, & generandi sib
substantialem Filium, & ideo es *Filiu*
adoptiuus, sed naturalis.

PVNCTVM IV.

COMPROBATIO confeſsionis. 1. ait, *Beatus es*, nam fundamentum Beatæ vitæ eſt, noſſe] Chriſtum. 2. *Simon*, quod ſignificat obedientem. *Bariôna*, quod eſt filius columbæ, ſeu filius Ioannis, quod eſt gratiæ, omnia quadrant in rem præſentem, in qua Petrus ſe talem exhibuit. 3. *quia caro & ſanguis non reuelabit tibi*. Non eſt humani captûs. 4. *Sed Pater meus, qui eſt in cœlis*, quo profitetur, ſe verè talem eſſe *Filium Dei viui*, ſiquidem agnoſcit à Patre cœleſti venire hanc confeſsionem.

1. Beatus
2. Simon.
3. Non naturaliter.
4. Sed à Deo.

PVNCTVM V.

REMVNERATIO confeſsionis continet plures prærogatiuas. 1. Impoſitio nominis *Petrus*, ſeu *Petra* quam ſignificat *Cephas*, & prædixerat Chriſtus, ita aliquando vocandũ. Nec nomen inane tribuit ſine re abſque ſoliditate veræ petræ, qualis eſſe debet fundamentum. 2. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* proculdubio ſuper hanc, quam nominauerat *Petram*, nominauerat autem ſic ipſum Simonem. Conſtituit igitur illum Eccleſiæ militantis fundamentum, & caput viſibile, poſt ipſum Chriſtum. 3. *& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, quippe fundatam à ſapiente Architecto, non ſuper arenam, ſed ſuper petram. Certi reddimur de ſoliditate huius petræ, vt nec flumina, nec venti, nec imbres poſs int eam ſubuertere, Chriſto ipſo

Merces S. Petri.
1. Petrus. *Ioan.* 1.
2. Caput Eccleſiæ.
3. Perſeuerantia Eccleſiæ

Digitized by Google

fortitudinem impertiente petræ fund
4. tali. 4. *Et tibi dabo claues. Regni cœ*
Poteltas & scientia clauium. Clauem scientiæ, ad veritates fidei prop
das & declarandas sine errore: Et c
potestatis, ad remittenda peccata, &
impedimentum auferendum, quo arce
cæli ingressu. Atque hęc Petro data sunt
ter Ecclesiam ipsam, & ita propter me.

Festo transfigurationis, 6. Aug.

MEDITATIO XXI.

Transfiguratio Christi. Matt. 1

PVNCTVM I.

Causa trāsfigurationis.

CVR voluerit transfigurari? vt lat
gloriæ in carne patibili daret *speci*
vt animaret discipulos, spe participand
milis gloriæ ad ferendam crucem, & qui
hac vita Deus facit suos prælibare æter
De quo dixerat: *sunt de hic stantibus, qu*
Matt. 16, 28 *gustabunt mortem, donec videant Filiu*
minu in regno suo.

PVNCTVM II.

Deus citò dat.

TEMPVS, & locus. Tempus fuit in m
cursu prędicationis suæ. Deinde, se
ebus interiectis, ex quo hortatus est ad c
Marc. 8. 39. promiserat, *aliquos visuros regnum Dei*
mortem. Non diu differt promissa Deus
quicquid est, hora est. Sex dies significant
In solitudine Deus. pus præsens, post quod sequitur sabbat
requiei. Locus fuit mons segregatus, qu

Digitized by Google

)eus se communicat segregatis à curis mun-
i,& celsitudinem perfectionis conscendenti-
us. *Quis ergo mihi pennas dabit, & volabo? ecce elongaui fugiens,& mansi in solitudine*: i-
i ad cor loquitur Deus. Psal. 54. 7.

PVNCTVM III.

QVi spectatores? tres fuerunt feruentiores: vt constet,non omnibus iustis impertiri extraordinarios hosce feruores; & quia,si omnes, etiam Iudas debuisset participare,nam solus prætermitti, absque nota,nequibat. Sed neque semper feruentioribus ista dantur,sed pro dispositione diuini consilij,ne quis despondeat animũ,si posthabeatur.Certè Andreas,ex præcipuis, non adfuit. In tribus discipulis designantur tres virtutes,quæ eminere debent in oratione,vt anima transfiguretur. In Petro viua *fides*,in Iacobo *spes* firma, in Ioanne *charitas* ardens. *Emitte Domine lucem tuam & veritatem tuam,ipsa me deducent & adducent in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.* Inter orandum Christus transfiguratus est:ibi participantur tales gratiæ, splendet facies ab illustrationibus diuinis. radiosque mittit suauissimorum affectuum, candescit vestis ab operibus sincerissimæ intentionis. Denique transformatur anima, vt dicit Apostolus, *reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.*

Socros elegit feruentissimos.

3. Discipul 3. Virtute Theologicæ.

Psal. 42. 3.

Orationis virtus.

2. Cor. 3. 18

PVNCTVM IV.

Gloria Iesu

MODVS transfigurationis. Gloriam corpori suo debitam hactenus continuerat Diuinitas, quam nunc effundit in corpus. *Facies resplenduit vt sol, vestis vt nix.* non habuit quid maius, cui conferret, sed excessit gloria vtrumq;. Gratulabor Christo, & sacro eius corpori, cui ad modicum tempus impertita est gloria, quæ, post resurrectionem, fiet æterna. Hic est verè Nazaræus, *candidior niue, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, & saphiro pulchrior. Candidus & rubicundus, electus ex millibus, pulcher vt luna, electus vt sol.* O Domine, & hac gloria, propter me, fraudasti carnem tuam per omne tempus vitæ mortalis! quantùm ideo tibi debeo, ô Domine? quidni ego carnem meam priuem omnibus iucunditatibus nunc, vt vicem aliquam rependam?

Splendor.

Thren. 4. 7. Can. 5. 10. c. 6.

MEDITATIO XXII.

Consecuta transfigurationem.

PVNCTVM I.

Moyses & Elias.

MOYSES & Elias circũstant Christum. ideò isti potissimum, quòd notiores, & à sanctitate celebriores, quòd maximè zelantes pro lege, & populo Dei, quòd quadragenario ieiunio, & accessu ad montem (vbi diuinorum mysteriorũ, & Incarnationis Dominicæ participes facti sunt) in primis excelluerunt.

runt. Visi autem ipsi sunt in magna gloria, ad ipsius Christi maiorem honorem, cui famulabantur, & vt intelligeretur, iustos fore similes suo capiti. Quæ illorum lætitia, viso Redemptore! quas egerunt gratias! quàm reuerenter adorarunt! *Loquebantur* autem cum Christo *de excessu, quem completurus erat in Ierusalem.* de passione & morte, verè fuit excessus dolorum, sed & meritorum ac satisfactionum, supra totum debitum generis humani, excessus deniq; amoris, quo indigni eramus. Alioqui excessus è vita intelligitur. Sed quorsum in gloria mentio passionis? sic illam amabat propter nos, & docemur, consolationes esse ferendas, ad patiendum fortiter pro Christo, quod quantumcunque erit, excessus non erit, sed multo infra debitum nostrarum culparum, infraque vicem debitam illius amori.

Luc. 9. 31.

De passione agunt in gloria.

PVNCTVM II.

QVOMODO se habuerint Apostoli. *Grauati erant somno.* Cœperunt cum Christo orare, sed victi sunt. Ita contingit tepidis, qui proinde in oratione sua non transfigurantur, sicuti feruidi, quibus conuenit illud: *Melior est finis orationis, quàm principium:* quia in fine immutantur, tepidi remittunt, & sic fraudantur consolatione, & fructu.

Luc. 9. 32. Apostoli dormiunt interim.

Eccles. 7. 9.

Cùm *euigilantes vidissent Maiestatem Christi, & duos viros cum illo*, atque hi pararent abire: *Petrus* obstupefactus *ait ad Iesum, faciamus*

Luc. 9. 32.

Dulcedo cœlestis gaudij.

ciamus hic tria tabernacula. Prô, quanta erit cœli iucunditas, quando sic Petrus captus est, vix tenuissimo illius indicio, vt sedem ibi æternam figere vellet, oblitus rerum omnium! *quàm* erit *magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti! quàm oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit!* præ qua rectè S. Paulus *omnia detrimentum duxit,* habetque pro *stercoribus. Sed nesciebat Petrus, quid diceret*, ebrius à suauitate spectaculi, & fortè, quia volebat impeditam passionem, de qua loquebantur, sicut postea fecit, quando & à Christo obiurgatus est. Verè nescit, quid dicat, qui hanc vitam putat consolationis esse, cùm sit crucis: &, qui à Christo vult discrepare, moritur, cuius sequelam amplexus est.

Psal. 30. 20. *1. Cor. 2. 9.* *Philip. 3. 8.*

PVNCTVM III.

TESTIMONIVM de cœlo. *Nubes lucida obumbrauit eos.* in nube, Spiritus sanctus intelligi potest, à quo abundantia donorum. Et *lucida* erat, non vt olim, in qua apparebat Deus, nebulosa, quia vmbræ cessabant, veritate exhibita, *è nube vox Patris: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Idem in Baptismo addit nunc, *ipsum audite,* ad commendandam ipsius doctrinam, qui alioqui dicebat; *mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Is in doctorem nobis datur. *Loquere* igitur *Domine, quia audit seruus tuus.*

Iesum honorât Spiritus S. & Pater. *Matt. 17. 5.* *Ioann. 7. 16.*

PVNCTVM IV.

PROSTERNVNTVR Discipuli ad vocem. Bonus spiritus solet initio turbationem incutere, mox pacem. Vnde ait: *surgite & nolite timere.* quòd si placida vox Dei sic commouet, quid illa terrifica iudicantis! *Leuantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* sufficit mihi, abscedant licèt omnes, tu me nunquam desere. Prohibuit manifestari visionem, donec resurgeret, ad exemplum humilitatis, vnde & factum, vt paucis suam gloriam exhibuerit, qui confundi & mori coram omnibus non erubuit. Humilis Iesus.

MEDITATIO XXIII.

Filij Zebedæi petunt primas sedes, Marci 10. Matth. 20.

In festo Iacobi Apostoli 25. Iulij.

PVNCTVM I.

QVOMODO se insinuant, *Magister volumus, vt, quodcunque petierimus, facias nobis.* 1. Prædixerat Christus de sua Passione, & Resurrectione, sed ad illam non attendentes, ad gloriam tantùm Resurrectionis sunt intenti. sic ambitiosi agunt. 2. Modus etiam orandi est ambitiosus, *volumus*, inquiunt, quasi eorum voluntas debeat esse ratio dandi, nec habent resignationem, quia non addunt, si tu vis, aut expedit. Denique cum præsumptione, *quodcunque petierimus*, quasi nihil eis negari deberet, nempe abusi sunt Christi promisso, *quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* At petitio nasci debet ex amore Dei

Marc. 10. 35. 1. Ambitiosi. 2. Voluntas propria. Mar. 11. 24.

non

non suimet, & quæri debet eius gloria, non propria. 3. Conspirant ambo fratres in vitium ambitûs, & matris vtuntur officio; *quæ accessit cum filijs adorans,* pro reuerentia, ad captandam gratiam. solet ambitio velle se occultare, quare dicitur in Psalmo, *Negotium ambulans in tenebris.*

3. Conspirant ambitiosi. S. Bern. ser. 6. in Ps. 96. Psal. 90. 6.

PVNCTVM II.

EXPRIMITVR petitio. Christus ait, *quid vultis, vt faciam vobis?* sciebat ipse, sed volebat, vt ipsi vlcus aperiant suum. Nec promisit se facturum, quicquid illud sit, quia non expedit, sicut Herodes fecit saltatrici. Petunt, *vt vnus à dextris, alter à sinistris sedeat in Regno* Christi. Tantùm erant solliciti de Petro, ne sibi præferretur: ideò ambo loca petunt, illo autem excluso, inter ipsos certamen fuisset de dextra. sic ambitio est inquieta: quàm melius, sequi Christi consilium, eligendo nouissimum locum? vnde pax animi, & humilitatis fructus reportatur. Nota, quòd ambitio circa corporalia, & spiritualia quoque versatur. Isti fratres si putabant, Christi Regnum fore corporale coram Iudæis, talem etiam primatum affectabant; si spirituale, etiam illo præeminere volebant, non tam sanctitate, quàm honore.

Contra Petrum conspirant.

Excellentiam in spiritualibus & temporalibus quærunt.

PVNCTVM III.

CHRISTVS redarguit petitionem. *Nescitis quid petatis.* Errores in orando. 1. si

Vitia orationis.

1. si quid terrenum petatur, sine resignatione. 1.
2. si aliquid excellens, licèt spirituale petatur, 2.
sine resignatione, & non pura intentione. 3. si 3.
quid valde extraordinarium, ex ignorantia,
aut humilitatis defectu, vt reuelationes, &
singulares feruores 4. si talia, non se aptos 4.
præbendo; sed precibus tantùm contendendo, petantur. 5. si quæ certaminis sunt præmia, 5.
citra illud petantur. Ex aliquo horum defectu
redarguta est petitio duorum discipulorum,
iuxta varias interpretationes. Cauebo, gratiā
petam orandi, sicut oportet.

PVNCTVM IV.

CHRISTVS ostendit defectum petitionis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Beneficium est, non tantùm petita dare, sed negare etiam, docendo, quid, aut quomodo oporteat petere. Vt cùm iisdem petentibus, vt ignis descenderet in Samaritas, respondit; *Nescitis cuius spiritus sitis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed saluare.* 2. suauiter eis ostendit viam ab exemplo sui, qua perueniant ad loca quæsita, & efficacem rationem insinuat. nam, si ipse calicem debuit bibere, quomodo non seruus? 3 Calicem & baptismum vocat passionem suam, à more quo solebant olim malefactores vel veneneto poculo, vel aquis suffocari. Per quæ etiam significatur duplex passionum genus, internarum animæ, & externarum corporis: ait autem

[Margin: 1. Christus negat petita. — Luc. 9. 55. — 2. Passio medium ad gloriam. — 3.]

quem ego bibo. quia in desiderio semper ei erat, & re proximè erat bibiturus. 4. Est triplex calix, passionis, gloriæ, pœnæ: ad primum hortatur nos, vt secundum participemus: age, anima, bibe, cogitabo, quæri ex me: Potes ne? excutiam meipsum.

4. Calix triplex.

PVNCTVM V.

1. Offerre se superbè.

2. Inconsideratè.

3. Spiritu Dei. *Philip.* 4. 13.

CONSENTIVNT, & *dicunt: possumus.* 1. Talis promptitudo oritur aliquando ex ambitionis spiritu, quo ita ferimur in optata, vt difficilia etiam media non recusemus. 2. Ex feruore inexperti, vt dulce bellum inexpertis, atque generatim solùm ad patiendum, quod sic non tantopere perterret. 3. ex spiritu diuino, quo *omnia possumus in eo, qui nos cōfortat.* Porrò beneficium Dei est, cùm calicē suū alicui bibendum propinat, vti his fratribus, quorum alter martyrium obijt, moriendo, alter patiendo tantùm; vt & ordo Martyrum, & alter Confessorum comprobaretur. Ad eorum promptitudinem bibendi respondet Dominus: *bibituros quidem*, sed dare primas sedes, non esse suum, sed debere ijs, quibus paratæ sunt à Patre. Vbi sapienter non reijcit illos à petito gradu, sed docet, non respectu propinquitatis, aut gratificandi gratiâ potentibus illum concedi, sed iuxta diuinam dispositionem, quæ destinauit eum magis merentibus, è quibus si fuerint, etiam adire poterunt.

Sola merita extollūt.

PVN-

PVNCTVM VI.

INDIGNANTVR reliqui Discipuli: mirum, cùm audissent obiurgatam fratrum ambitionem, ipsi in idem vitium incurrunt, indignantes, quòd illi præferri ipsis voluerint. Sed mansuetissimus Dominus adscitos omes admonet exemplo duplici proposito, altero terrenæ potestatis, quæ in eo ponit excellentiam, vt dominetur, idque est fugiendum. Altero sui, quòd imitari debeant. Nam cùm Dominus esset & Magister, pro ministro se gerebat, neque principari alijs quærebat, sed saluos facere suo sanguine. Ita, qui præstat dignitate, non amet exercere imperium; sed seruire vtilitati suorum.

Ambitio pestis serpit.

Christum sequere.

MEDITATIO XXIV.

De Lazaro Mendico & Epulone. Lucæ 16.

Dominica prima post Trinitat.

PVNCTVM I.

LAZARI vita fuit exercitium patientiæ, qua sanctitatem perfectam est consecutus. 1. toto corpore vlcerosus, vt se mouere nō valens, ad ianuam diuitis iaceret: & ferebat, conformans se diuinæ voluntati. 2. extremè pauper. 3. ita desertus, vt, cùm saturari vel de micis vellet diuitis, nemo ei daret. 4. tam miser, vt canes lingerent plagas, nec abigere posset. Vel, si id innata canibus pietate faciebant,

Lazari patientia apparet ex quatuor.
1.
2.
3.
4.

poterat inde eò magis cruciari, quòd homines essent ijs crudeliores Typus fuit Christi. singula illorum pati, est tolerabile, quando aliunde suppetit solatium, at omnia simul, id est, omni penitus leuamine carere.

PVNCTVM II.

Psal. 115. 15. *Corpore vilis. Anima pretiosus.*

MORS Lazari: vilis coram hominibus, *pretiosa* autem *in conspectu Dei*. quando & *Angeli*, non vnus, sed plures, *portauerunt animam illius in Abrahæ sinum*, incredibiliter exultantem, cui gratulabantur ipsi Angeli. Dæmones autem cõfundebantur *Moriatur anima mea morte iustorũ, & fiant nouissima mea horum similia*. At nũc quanta gloria fruitur in cælo? *momentaneum & leue tribulationis, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus in ipso operatur*. Vlcera, paupertas, desolatio, miseria, transiêre omnia, successêre his cõtraria, & quidem supra modum, & æstimationem mortalium.

Num. 23. 10.

2. *Cor.* 4. 17

PVNCTVM III.

1. In hac vita honoratur Lazarus.

HONOR Lazaro habitus à Christo. 1. vt nomen illius proderet, ad memoriam sempiternam, cùm diuitis suppresserit. Vt intelligant iusti, quamuis contempti, cum æ se esse Deo, & in tempore ab illo honorandos. Vbi nunc forent FRANCISCI, & similium nomina, nisi sanctitas Deo illos probasset? 2. quòd Christus canonizauit Lazarum, vt pro sancto haberetur & coleretur *Nimis honorati sunt amici*

2. Canonizatur.

Psal. 138. 17

mu i tui Deus. idque facit potissimum ob meritum patientiæ, quæ præcipuum est sanctitatis argumentum. Nam, qui se subijcit ita Deo, vt omnia eius causa ferat patienter, quomodo non in alijs omnibus eidem obediat? Itaque in sanctis tria hæc spectanda sunt: *Vita, mors, honor* à Deo habitus.

PVNCTVM IV.

OPPOSITA vita Epulonis. ad fastum inducebatur purpura, & splendida exhibebat conuiuia, ob molliciem induebatur bysso, & indulgebat genio: Auarus & crudelis in pauperes, & similes habens famulos, qui nec de micis darent, peiores ipsis canibus. Hûc proinde Christus detestatus, nec nominare quidem voluit, quia *nomen impiorum delebitur.* Vita Epulonis & vitia. Eccl. 41. 14.

PVNCTVM V.

MORS epulonis misera *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Mors infelix. *Mortuus,* inquit, *est diues & sepultus est in inferno.* Iob 21. 13. Hic finis diuitiarum, delitiarum superbiæ. *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sap. 5. 8. Quanta incurrit tormenta, exposuit Christus. 1. pro purpura & bysso operiebatur flammis. 2. pro gula, siti cruciabatur intolerabili. 3. pro immisericordi pectore non impetrauit vel guttam aquæ ad refrigerium. 4. super hæc videbat Lazarum in sinu Abrahæ gaudentem. Di- Cruciatus eius. 1. 2. 3. 4.

scimus, supplicia respondere qualitati culparum.

PVNCTVM VI.

Pro voluptate huius vitæ gehẽnam capit.

IVSTVM Dei iudicium erga vtrumque: nam respondit Abraham diuiti: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quasi vtrobique nequeat esse eadem sors, sed vices mutet. *Tu recepisti bona*, quibus abusus es fruendo, iste mala, qui patienter ferendo consolationem promeruit. O malim pati in hac vita, siquidem ita fit, sed quod grauissimum est, iudicium hoc est immutabile. *Magnum chaos inter nos & vos firmatum est*, vt non detur commeatio in æternum & vltra. Petit saltem moneri fratres suos, vt caueant sibi à simili casu, non ex charitate fratrum petit; sed quia sibi futuri essent ad pœnam, quos malo exemplo corrupisset sic omnia in malum malis cooperantur, bonis autem in bonum. Negatur ei hoc ipsum, quia plus valere debet Prophetarum auctoritas, quàm apparentium ex mortuis testificatio. Et si Scripturæ sacræ non credunt, faciliùs eludunt apparitiones. Infigam cordi meo diuinæ Scripturæ serias comminationes, vt non peccem Deo.

Contrà Lazarus. Omnia malis cooperantur in pœnam.

DE

DE MIRACVLIS A CHRIsto factis circa homines, vel animis, vel corporibus consulendo, vel vtrisque.

MEDITATIO XXV.

De Conuersione Magdalenæ. Luc. 7.

Festo Mar. Magdal. 22. Iulij.

PVNCTVM I.

STATVS Magdalenæ. *Erat in ciuitate peccatrix*: palàm talis. & de luxuria intelligi solet, licèt non nominetur, nam nec nominari vult Paulus, nedum esse. etiam dicitur: *eiecisse ex ea septem dæmonia*, quasi vniuersalitatem criminũ, & speciatim illa septẽ lethalia, quorum est diabolus instigator. Hæc tamen inuenit remedium. ne diffidam, dum imitor pœnitentem.

Peccatrix.

Ephes. 5. 3.

Marc. 16. 9.

Credendum, eam audisse Dominum concionantem, & illius mansuetudine cognita, ausam esse, sed præsertim intus illustratam, vt intelligeret, quàm præstaret, illum amorem à creaturis in Creatorem conuertere. Atque istud est *trahi in vinculis charitatis*: & obediuit festinanter, non expectato tempore, vel loco opportuno, *irruit conuiuio.*

Occasio conuersionis Concio.

Osee 11. 4.

Non tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius.

Ecclesi. 5. 8.

PVNCTVM II.

Magdalenę 1. Fides.

FERVOR pœnitentiæ. 1. Elucet rara fides de Christo, quòd Deus esset, qui posset peccata remittere, quòd cordis arcana nosset: vnde illa nihil protulit verbo. Sola hęc legitur accessisse ad Christum pro animæ remedio. 2. Humilitas, quâ posthabuit confundi ab hominibus, & *stetit retrò secus pedes*, indignam se ducens conspectu Christi. 3. Vis Amoris cum dolore & deuotione, vt ex signis apparebat. *Lachrymis pedes Christi rigabat*, deplorans malos suos gressus, & lauari gratiâ Christi cupiens: *tergebat capillis*, vt abstergerentur culpæ *osculabatur*, vt pacis & recõciliationis osculũ impetraret, *vngebat*, vt vngeretur ipsa meliori vnguento virtutum, abstersо fœtore vitiorum. 4. Fecit instrumenta pœnitentiæ, quæ fuerant vanitatis, capillos, vnguenta, oculos, implens illud: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniustitiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete seruire iustitiæ in sanctificationem.* Et illud: *Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantùm, iterum conuertentes requiretis eum.*

2. Humilitas. 3. Amoris vis. 4. Pœnitentia. Rom. 6. 19. Bar. 4. 28.

PVNCTVM III.

1. Duo iudicia Pharisæi de Christo. Isa. 65. 5.

IVDICIVM temerarium Pharisæi duplex: 1. De Christo, quòd non esset Propheta, siquidem ignoraret, qualis esset mulier, vel si nosset, quòd tangi ab ea se permitteret. scilicet erat ex illis, de quibus Isaias: *Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia im-*

mundus

mundus es. de quibus subdit: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* sciebat igitur Dominus, qualis esset, sed tangi sinebat se, vt illa inde sanctificaretur. 2. Iudicium temerariũ de muliere, quòd perseueraret esse peccatrix, cùm ex signis colligere deberet contrarium. Et sunt tales, qui, quem semel apprehenderunt, esse malum, de eo nunquam bene sentiant, quibuscunq; in contrarium indicijs datis. quod maximè Superiores vitare debent, nam præbent subditis desperandi occasionem. Et alienum est à Bonitate Dei, qui pœnitentem restituit primo fauori. 2. De Magdalena suspicatur malè.

PVNCTVM IV.

CHRISTVS vtitur parabola ad redarguendum Pharisæum pro Magdalena. qui tamen intra se tantùm cogitauerat, quòd non esset Propheta: ostendit autem Christus, se esse, vt etiam cogitationes Pharisæi peruideret, & ipsos Magdalenæ affectus, vnde pro hac contra illum pronuntiat. Vtitur prudentia singulari, quasi veniâ petitâ. *Simon habeo tibi aliquid dicere.* nec statim redarguit, sed insinuat se per parabolã. ita & *Nathan ad Dauidẽ.* Nempe magnates, & qui sunt auctoritatis alicuius, debent modestè admoneri. 1. Sapientia Christi corripientis. 2. Reg. 12.

PARABOLA est de duobus debitoribus. 1. Creditor est Deus, apud quem peccatores sunt rei pœnæ, & non potest decipi aut declinari. 2. Debitores sunt homines pro varietate criminum, inter quos me ponam. Et la- 1. & 2. Deus creditor. Homines debitores.

 tent

tent nos debita, quæ minimè creditor
Psal. 18. 14. pro quibus orabat: *Ab occultis meis mu*
3. *me Domine.* 3. Non habemus vnde red
Reddere nil vales. mus, nisi per merita passionis Christi, prop
quem nobis omnia condonat, vt inde pro
çet ad redamandum, & pendet hoc ex inti
cognitione, & æstimatione culparum, q
superbi minùs ponderant, minusque se de
tores agnoscunt, atq; adeo minùs amant.
gni autem peccatores, à Deo illuminati,
meritò æstimant remissionis beneficium,
de plus amant.

PVNCTVM V.

1. Confundit Phariseum. CHRISTVS applicat Parabolam. 1.
Vides hanc mulierem? ab exemplo p
catricis confundit superbum, qui se iustū
Matt. 21. 31. stimat sicuti alibi ait: *Publicani & meretr*
præcedent vos in Regno Dei. Et fit, vt pecca
per feruentem cōuersionē assurgat ad alti
gradum charitatis, quàm iustus tepidus
Isa. 4. 4. multos act⁹ similes. & hoc est, *abluere sorde*
2. *spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* 2. Sic appli
Hæc mulier multū se debere agnoscit, ide
multum amat, vt ei remittatur debitū. Igit
remittuntur ei peccata multa, quoniam dile
multum. quòd autem multum amet, indi
sunt, quæ agit: qualia tu mihi nō exhibuist

PVNCTVM VI.

Absolutio Sacerdotis. CHRISTVS alloquitur mulierem:
mittuntur tibi peccata. haud dubiè p

ni

nissimè, etiam quo ad omnem pœnam. quo gaudio excepit! & nobis in Sacramento idem fit, si dispositione simili accedamus, cùm eadem verba proferuntur. cùm audientes mirarentur, modestè Christus beneficium remissionis refert ad fidem mulieris. Cumque illa nec ita auelleretur à Christo, iussa est abire: *Vade in pace*: Et non addit: *Noli amplius peccare*, quia sic culpas remiserat, vt victoriam etiam de prauis passionibus ei largiretur in posterum.

Feria 6. post Dominicam Quadrag. tertiam.

MEDITATIO XXVI.

Conuersio Samaritanæ. Ioan. 4.

PVNCTVM I.

1. FATIGATVS *ex itinere, sedebat sic super fontem, hora erat quasi sexta.* Pedes iter faciebat, & cum labore quærebat ouem perditam: gratias agam. compatior fatigato propter me. non defugiam similes labores, propter animas. 2. *Sedebat super fontem*, non tam captans suam quietem, quàm occasionem benefaciendi. *Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* & vt apud Isaiam: *qui non quæsiuerunt me, dixi: ecce ego, ecce ego.* 3. Licet mirari arcanum Diuinæ prouidentiæ in disponendis occasionibus ad homines lucrandos, vt in hac muliere peccatrice, nil tale cogitante, nisi, vt aquam domum ferret.

Ioan. 4. 6.
1. IESVS it pedes.
2. Sedet vt venetur. Sap. 6. 14.
Isa. 65. 1.
3. Prouidentia Dei.

PVNCTVM II.

CHRISTVS petit aquam. 1. à Samaritana: *da mihi bibere*. Sitiebat quidem ille, quia fatigatus, & in meridie, at magis animam sitiebat. ô si exhibere illi multas queam! exhibebo meam. bibe, ô Domine, quantum libet. 2. Recusat mulier, imò accusat. *quomodo tu Iudæus cùm sis, petis à me bibere?* sic pleriq; gerunt se erga Deum, ab eis aliquid flagitantem, siue per inspirationem, siue per legem suam, siue per superiores, siue per pauperes egentes, & prætexunt excusationes futiles. nimirum, non expendunt, quis est, qui ab eis petit. 3. non exacerbatur Dominus responso, sed prouocat etiam ad petendum vicissim à se meliora: *si scires donum Dei*, quale ac quantum possim tibi dare, & quis sum ego, qui peto à te, vtique non præbuisses tantùm mihi aquam, sed aliam à me meliorem flagitasses, aquam viuam, quam & dedissem tibi pro ingenita liberalitate. Vbi obserua, quòd ait, *forsitan petijsses*. quia nihilominus fuisset tibi liberum, at dedissem petenti, sine debito. ô sciam, & intelligam doni huius magnitudinem, & offerentis dignitatem, & petam instanter. *Erubescat*, ait D. Augustinus, *humana pigritia, quia plus paratus est Deus dare, quàm nos accipere.* Sed vicissim, quod ille à me petit, dabo cor meum, me ipsum, & sic erit *dilectus meus mihi, & ego illi*. Ille mihi donum, ego ipsi.

1. Sitit animas.

2. Homo par- us Deo.

3. Prouocat Christus auarum.

Cant. 2. 16.

PVNCTVM III.

QVALEM aquã Christus promittat. Mulier vt animalis putabat de aqua communi Christum loqui, ait enim: *Neq; in quo haureas habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam?* At Dominus à corporalibus ad spiritualia resurgere nos docet; & proprietates corporearum rerũ in spiritualibus excellentiùs quærere, absque imperfectionibus corporalibus. Igitur hæc aqua præstat. 1. quia non ad tempus mitigat sitim, sed perpetuò, *non sitiet in æternum.* 2. quia ita explet sitim, vt aliam aquam non appetat, puta terrena bona quæ non sic satiant, imò fastidium etiam pariunt, non hæc aqua. 3. fit scaturigo in ipsa anima, vt semper fluat, habet enim Spiritum sanctum in se, qui est fons donorum, quem qui accipit, *flumina de eius ventre fluent, aquæ viuæ*, tanta videlicet copiâ augebitur semper donis. Habet hoc gratia, vt impellat ad proficiendum. Et hoc est: *qui bibunt me, adhuc sitient* 4. *Salit in vitam æternam.* illuc desideria attollit, & est illius pignus, & manet etiam in illa vita: non item fides, & spes, & quæ dicuntur gratis datæ *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* atque de hac aqua prædictum est: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris* quæ sunt Sacramenta. Samaritana accenditur desiderio huius aquæ, sed adhuc carnaliter intelligit: *Domine da mihi*

Ascendit Christus ab aqua naturali ad cœlestem. Eius proprietates. 1. 2. 3. *Ioan.* 7. 38. 4. *Eccl.* 24. 29. 1. *Cor.* 13. 8. *Isai.* 12. 3.

Digitized by Google

hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Ego verò spiritu alteram desiderabo & petam.

PVNCTVM IV.

Praxis reducendi Samaritanam

DISPONIT Samaritanam ad percipiendam aquam gratiæ, nam aperit vlcus peccati, vt se agnoscat: *Vade voca virum tuum:* Præfert hæc mulier eas animas, quæ sensibus seruiunt totæ, in quinque viris significatis. Illam admonitionem æquo animo accepit, imò ex eo habet Christum pro Propheta. bonum initium conuersionis, agnitio culpę. *Quàm bonum est, correptum manifestare pœnitentiam? sic enim effugiet voluntarium peccatum.* Deinde vult instrui in fide: *Patres nostri in mõte hoc adorauerunt; & vos dicitis, quia Ierosolymis oportet.* & hoc pœnitentiæ signum. Respondet autem Dominus, finiendas mox priscas cæremonias, & adorandi ritum, vt de ijs non oporteat esse sollicitos. Aduentare tempus, cùm non amplius in illis corporalibus vmbris & figuris adoretur Christus Deus, sed *in spiritu & veritate*, hoc est, secundùm rem in illis præsignatam. Talis adoratio est sacrificium incruentum. Locus Adorationis est omnis, quia vbique Deus. *Volo*, inquit Paulus, *viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Deinde interiora cordis, *intra in cubiculum tuum, & ora Patrem tuum in abscondito. In spiritu* fit, quando, spiritu sancto nos docente, & mouente, & *in veritate*, quæ est Christus,

Confessio Samaritanæ.

Eccles. 20.4.

Fides.

Adoratio qualis.

1. Tim. 2.8.

Matt. 6.6.

quando

quando excitamur ad eius imitationem Item *in spiritu*, non externo tantùm habitu, aut voce, sed affectibus internis fidei, spei, amoris, obedientiæ, humilitatis, quod etiam est, *in veritate adorare*, nam externa sine his ficta, non vera est adoratio.

PVNCTVM V.

MIRA conuersio Samaritanæ. Non satis apprehenderat Christi verba, vnde ait; *Scio quia venit Messias: cùm ergo venerit, annuntiabit nobis omnia.* Vel ex his etiam colligitur, quòd intellexerit verba Christi de alia adoratione pertinere ad tempus Messiæ, & est, ac si diceret, tunc de his cognoscemus: interea est nobis quæstio de loco adorationis pro hoc tempore. Quare Christus ei aperuit, iã venisse tẽpus Messię: *Ego sum qui loquor tecum*: peccatrici Mulieri tam disertè aperit mysterium, quod superbis Pharisæis tectè. In quo insunt plura. 1. quòd mulieris mentem ita illustrauerit & mouerit, vt sine dubitatione crederet id statim. 2 quòd aquam gratiæ præbuit. 3. quod tanto feruore accendit, vt oblita aquę & hydriæ, accurrerit nuntiatum alijs 4. sic humilem reddit, vt non dubitaret prodere sua peccata, vt probaret, Christum esse Prophetam, qui sibi secreta manifestasset propria. 5. quòd prudenter, non affirmat sed quęrit: *Nnmquid ipse est Christus*? & ita facilius ad inquirendum inducat, etsi ipsa non dubita-

Reuelat se Christus.

Samaritaæ.

1. Contritio.

2. Gratia.

3. Feruor.

4. Humilitas.

5. Prudentia.

bat. 6. tantam eius verbis gratiam dedit, vt multos pertraheret.

PVNCTVM VI.

Cibus Christi voluntas Dei.

Samaritani conuertuntur.

DISCIPVLI, qui iuerant emptum panes, redeuntes *mirabantur, quòd cum muliere loqueretur*, scilicet erat insolitum. Esto nobis ad exemplum. Et, cùm sit ab alijs, ne malè interpretemur, sicut nec Apostoli. Renuit manducare, quod alium cibum expeteret. *facere voluntatem Patris* in hominibus illis lucrandis: sit & meus cibus, non mea voluntas, sed Dei, *quem* cibum *vos*, inquit, *nescitis*, nesciunt, qui similiter non faciunt tandem venientes Samaritanos excipit benignè, & docuit, vt multi crederent mansitque ibi biduo: *Dicebant autem mulieri, non per tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Tanta vis Christi sermonis, cùm nullum fecisse miraculum dicatur.

Sabbatho post Dominicam 3. Quad.

MEDITATIO XXVII.

De Adultera. Ioann. 8.

PVNCTVM I.

Pharisæi tentant Christum.

PHARISAEI captant occasionem ex mansuetudine Christi tentandi ipsum, & si adulteram faceret indemnem, vt præuaricator legis haberetur. Gratulabor, quòd tam mi-

tem habeam Saluatorem. Hæc est Diaboli & Ministrorum eius calliditas: vt qua virtute quis excellit in ea laqueos tendant. Si Zelosus, ad vltionem: si misericors, ad nimiam indulgentiam pertrahant. Imitandus Christus: de quo dicitur: *propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Et, *misericordia & veritas obuiauerunt sibi; & iustitia & pax osculatæ sunt.* Psal. 44. 5. Psal. 84. 11.

PVNCTVM II.

Christus negligit illos.

CHRISTVS ad hæc, *inclinans se, digito scribebat in terra.* 1. id fecit, quasi declinans iudicium: vt cùm aliàs dixit: *Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Et quod Paulus: *Militans Deo non se implicat negotijs sæcularibus.* 2. Insinuat: in talibus non præcipitandum. Sic Deus: *Descendam & videbo an opere compleuerint:* de Sodomitis 3. Indicat, se esse, qui *digito suo scripsit legem in tabulis;* cuius violatores, *in terra scribentur,* vt Ieremias ait ex quibus ipsi essent accusatores, dum peruersa intentione id faciunt. 4. Credibile: scripsisse aliquid ad rem præsentem; vt quod de hypocrita dixit: *trabem in oculo tuo non vides?* vel peccata accusantium, qui in accusationem intenti, non animaduertebant ad scripturam.

1. Lucæ. 12. 14. 2. Tim. 2. 4.
2. Gen. 18. 21. Exodi 31. 18. Iere. 13. 13.
3.
4. Scribit in terram.

PVNCTVM III.

CVM perseuerarent interrogantes, erexit se & dixit eis. *Qui sine peccato est vestrûm,*

nus in illam lapidem mittat. 1. Sapientia Mira vt neque contra legem statuat neque miseram condemnet. Sic aliàs, exhibito numismate: dixit: *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: quæ Dei Deo*, Petam solertiam aduersus Diaboli astutias. 2. fecit, vt sua illis peccata repręsentarentur, vrgente conscientia, ad confusionem, vt desisterent ab accusatione. 3. se rursum inclinauit, ad scribendum, quasi iam satis audisset quod reuoluerent, & eos ad propriam remittens conscientiam. At *illi audientes, vnus post vnum exibant, incipientes à Senioribus*. Nempè à propria conscientia redarguti, nec tamen resipiscentes. Contrà agendum, vt, agnito peccato, accurramus ad Christum pro venia, non subducamus nos in eo persistentes. Venerant coniunctim accusantes, nunc vnus post vnum abit, quisque de proprijs confusus criminibus primi seniores, vti peiores. Quanta in extremo Iudicio futura est confusio? & à socijs peccati, quod solamen?

1. Prudentia in eludendo.

2.

3. Conscientiæ tormētum.

Ne fuge sed accede Christum.

PVNCTVM IV.

ILLIS profectis, erigit se iterum, prius, vt malitiosos iuste confunderet, iam, vt pœnitentem misericorditer liberet, ab illis se rursum auertit, hanc in pace dimittit, vtrumque erectus facit, quia secundum rectitudinem iudicij. stabat Mulier compuncta de peccato, &, accusatoribus digressis, expectat Christi sententiam, quæ talis fuit. Vt si quidem

Secundo se erigit & ad alteram respicit.

dem nemo illorum contra eam pronuntiauerat: nec ipse condemnaturus esset; qui venerat, non iudicare, sed saluare, est dicendo *Vade in pace.* quia verbum Dei efficax est, ab omni pœna liberam fecit, etiam æterna. *Christus iustificat, qui est qui condemnet?* insuper monuit, *Noli amplius peccare*, & verisimile est, gratiam ei datam, ne recideret in talia, vt &, quòd accusatores nihil deinceps in eam tantauerint. Rom. 8, 33.

MEDITATIO XXVIII.

In dedicatione Ecclesiæ.

De Zachæo Principe publicanorum. Lucæ. 19.

PVNCTVM I.

INITIVM conuersionis fuit Zachæi, quòd desideraret videre Iesum Deo id inspirante. Cupiam videre viua fide, contemplando, quæ Filius Dei in hoc mundo, tanquam Iericho mutabili, pro me gessit. Nam, si visus serpens æneus sanabat, multo magis Christus exaltatus in cruce ritè consideratus. Porrò desiderium Zachæi fuit tam incensum, vt homo eius auctoritatis *conscenderet arborem* non moratus irrisores; & arborem *Sycomorum*, stultam ficum amplectens, quod *pereuntibus stultitia est*, electis autem *est virtus Dei.* Imitabor ipsum;

Desideriū Zachæi initium conuersionis.

1. Cor. 1. 18.

PVNCTVM II.

Inuitatio Zachæi à Christo. CHARITAS & Misericordia Christi. 1. compellabat proprio nomine *Zachæe*, quia, licèt de facie ignotum, nouerat de nomine: quod scriptum erat in libro vitæ, & *Zachæus* significat *purum*. sicque insinuat, velle se facere, vt re etiam esset talis, non tantum nomine. Et cœpit ex hoc purus fieri. 2. *festinare* iubet, & *descendere*: quia auebat Christus illum iustificare, &, cùm ardet desiderium, est vtendum, ne frigescat. Inde Christo nomen datum. *Accelera, festina, prædare* (*Isai. 8. 3.*) 3. inuitat se, & *hodie*, inquit, dum tempus est: nam cras fortè me non poteris recipere, vel ego me alio conferam, non omittenda occasio. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra* (*Psal. 94. 8.*) 4. *Oportet*, inquit, quasi illius interesset; non verò nostra tantum, sic amat, vt nostrum bonum pro suo ducat. 5. *Me manere*: non per transitum, sed ex proposito. festinat adesse, non recedere, nisi expellatur. ô veni; & mane, sicut promisisti: & *mansionem apud eum faciemus*. (*Ioan. 14. 23.*)

PVNCTVM III.

PROMPTA obedientia, Zachæi, qui *festinans descendit, & excepit illum gaudens*, (Obedit Christo.) non enim fuisset ausus, vel optare tantam gratiam, qui vel videre Christum pro magno habuerat: ideo *gaudens*. sic ego *pulsanti aperiã, mecumque cœnare* volenti, nec moras traham, (*Apo. 3. 20.*) vt Sponsa, à qua idcirco *declinauit*. Malitia (*Cant. 5. 5.*)

mur-

murmurantium, *quod ad hominem peccatorem diuertisset, & murmurabant omnes* : nam facile ab vno in omnes imperfectos manat murmuratio Non intelligebant officium Christi: qui venerat, *saluum facere quod periat*. & sicut alias dixit; *non esse opus valentibus medico, sed male habentibus*. Ex quibus ego sum: ergo visita me.

Mali murmurant. *Luc. 19. 10.*

Matt. 9. 12.

Pvnctvm IV.

Conversio Zachæi 1. sermonibus Christi totus in alterũ est mutatus. Etsi credi posit,, quòd solo ingressu in domum, & præsentiâ suâ, Christus ita illũ sibi demeruerit. 2. firma resolutio; *Ecce Domine, dimidium bonorũ meorum, do*. factũ puta. *Dixi nunc cœpi*. Talia debent esse nostra proposita, quæ simul executio comitetur. 3. Vicit se in re difficillima vt diues se expoliaret opibus, & quidem, etiã non debitis. nam mediam partem decreuit egenis, ex altera, si quid iniustè acquisiuerat, decreuerat *quadruplum reddere*. sic, *quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deũ* per gratiam ipsius. 4. Non iactantiæ causa, id protulit sed demisse, proponens Christo consilium animi sui, vt ab illo probaretur, quod imitari debent pœnitentes; vt à Patre spirituali dirigantur.

1. Conuertitur.

2. Promittit certo. *Psal. 76. 11.*

3. Difficilia promittit.

Matt. 19. 26

4. Humiliter.

Pvnctvm V.

Approbat Christus *Quia hodie salus huic domui facta est* non Zachæo tantũ sed toti domui, cui profuit exemplum pœni-

tentiæ in capite. Itaq; omnes sanctificati sunt. *Eò quod & ipse filius Abrahæ.* verus filius, non carne solum, sed imitatione fidei, Obedientię, liberalitatis. Vel etiam, quia filius Abrahæ, licet Peccator. Abrahæ enim prosteritati promissa erat salus, & Christus eò venerat: *vt saluum faceret quod* ex eis *perierat*, subiũxit hoc Christus ad redarguendos murmurãtes: *quòd ad peccatorem diuertisset*, quasi dicat, cum & is filius Abrahæ sit, non debuit à me negligi, qui veni, aberrantes reducere. Applicari potest hæc historia ad sacram communionem. 1. ardens præcedat desiderium, quo magis prouocatur Deus, vt veniat, quã si peteretur. Præsertim cũm non peto, quia indignũ me puto. Deinde, conscendam arborem crucis per opera mortificationis, ex qua videam Christum contemplando bona, quæ secum affert, quocunque venit. 2. Audiã ab illo: *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Accurram, parabo domum per confessionem purã & ornabo sanctis affectibus, & maximè dulcescat verbum illud: *quia in domo tuo oportet me manere*, volo vti hospitio tuo, & mensa pascitur autem sanctis cordis nostri affectibus; & pascit ipse nos se ipso, conuiua, & conuiuium. 3. in gratiam hospitis magna facere proponam firmo animo, & mox exequar; vt Zachæus, vt audire merear: *quia domui hodie huic salus facta est*, toti domui, omnibus animæ facultatibus, vt ex omnibus amem, & seruiam Deo. Amen.

Luc. 19. 10.

Præparatio ad S. Communionem

1. Fames & sitis.

2. Præparatio

3. Proposita vatie.

MEDI

MEDITATIO XXIX.

De Cananaea. Matth 15.

Domini secunda Quadragesimae.

PVNCTVM I.

QVAM bene orauerit. 1. Insigni fide, confitens Christum: *Filium Dauid*, & potentem per se dare; *Miserere mei Domine*. 2 Magna charitate, *mei*, inquit *miserere*. malum filiae, suum ducens, vel etiam ex humilitate, suis illud tribuens peccatis. Hoc duplici effectu orandum pro alijs, quasi pro re nostra, & culpando nos ipsos, ita sancti cõsueuerunt. 3. Magna reuerentia : nam *procidit ad pedes eius*. 4. affectu magno, vnde clamabat. 5. Constantia, cum toties repulsa, institerit orationi. Ita orandum.

Chananaea 1. Fides. 2. Charitas 3. Humilitas 4. 5. Reuerentia & affectus

PVNCTVM II.

CHRISTVS probat mulieris virtutem. non respondit ei verbum : imò, quasi canem reijcit à se. *Non est bonum panem filiorum dare canibus*. valet ad disponendam animam probatio talis, sed nec adhibetur, nisi solidis in virtute. Probatio est. 1 Patientia: nam duriter excepta, non est turbata, aut conquesta, aut destitit orare. 2. Humilitas: nam pro cane habita, censensit: *etiam Domine*, & contenta est catellorum nomine, & sorte: *nam & catelli edunt de micis*. 3. Prudentia: nam, vnde abijciebatur, sumit occasionem vrgendi petitio-

Probat ea Christus 1. 2. 3.

Digitized by Google

nem suam, siquidem canis sum, peto, quòd canibus non denegatur.

PVNCTVM III.

Laudat & exaudit.

CHRISTVS 1. laudat. *O mulier! magna est fides tua* ostendit, mirificè se affectum ex fide mulieris, aliàs suos discipulos arguit, modicæ fidei. 2. donat. *Fiat tibi sicut vis.* & propter hunc sermonem, vade: exijt Dæmonium à filia tua. Tribuit illius sermoni expulsionem Dæmonis, sermoni humilitatis tam insignis, quam Diabolus exhorret.

MEDITATIO XXX.

De seruo Centurionis. Luc. 7.

Dominica tertia post Epiphan.

PVNCTVM I.

1. 2. Pietas & humilitas Centurionis

VIRTVS Cẽturionis. 1. Pietas; qua etiam pro seruo suo tam sollicitus est. 2. Humilitas; qua indignum se putauit, accessu ad Christum: & ideò submisit pro se deprecatores alios; qui tamen, eum dignum beneficio depredicarunt apud Christum, ob bona multa opera pietatis. nam ædificabat Iudæis synagogas, cùm esset gentilis, & alia faciebat. 3. fides: qua credidit, posse Christum, absentem conferre sanitatem. Vnde, etsi corpore non accessit, attamen fide, accessit: sicut Matthæus ait: ipsum *accessisse ad Iesum*.

3. Fides.

Matth. 8. 3.

PVN-

PVNCTVM II.

CENTVRIO deprecatur; ne Christus ipse veniat. Cùm iret, & non longe esset; misit ad eum amicos, dicens: *Domine noli vexari, non enim sum dignus, vt intres sub tectum meum. propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed tantùm dic verbo: & sanabitur puer meus.* 1. Eximia humilitas quæ Deum trahit ad se. nam iam ibat Christus, & appropinquabat. Contra, ad Regulum qui præsens rogabat, vt descenderet pro filio sanando; durius respondit: & coarguit ipsum. 2. progressus in humilitate, non offertur tali fauore, quod Christus ad se veniat, sed profundius humiliat se, id ipsum deprecans. 3 fides rara. *Tantum dic verbo.* Aptè huius verba vsurpat Ecclesia, ad sacram Communionem; ad quam cum viua fide, & profunda humilitate accedere oportet. 4 Mira confessio Omnipotentiæ Christi; ex comparatione sui: *nam & ego homo sum habens sum me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni: & venit.* Tu qui supra omnia es, quanto magis solo nutu efficies, quod voles? optabo, & petam, sic habere in potestate affectus, & facultates omnes.

1. A Christo honoratur.

2. Non ideo superbit.

3. Sed humilior.

4. Christum extollit.

PVNCTVM III.

CHRISTVS admiratur tantã virtutem: præsertim in homine sæculari, & milite, & sequentibus se ait: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel* ex quo inter eos, præ-

Fidem Centurionis præfert Iudæis.

dico Euagelium. Ad illorum confusionem,& meam, quando pro statu meo deberē præeminere alijs. Ex occasione aūt hui⁹ hominis gentilis, prædicit gentium accursum ad fidem, reprobatis ipsis Iudæis: nam Deus ingratis substituit alios. Ne mihi similiter fiat. Et tandem impertit vota dicens: *Vade,& sicut credidisti fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora,& momento.*

MEDITATIO XXXI.

Dominica secunda post Trinitat.

De sanata à fluxu sanguinis. Marc. 5. Matth. 9.

PVNCTVM I.

Virtutes mulieris.

MORBVS erat iam planè desperatus, repræsentat peccatorē in peccata penitus effusum. Eximia extitit fides mulieris, quòd quāuis desperatū morbum, posset Christus sanare,& quidem non solùm rogatus, sed vel furtim tacto eius vestimento. Accessit par fiducia, id assequendi: *si tetigero fimbriam, salua ero.* Item reuerentia & humilitas: *accedens retro tetigit, & confestim stetit fluxus sanguinis.* O potentia! *omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat,& sanabat omnes* O si tali spiritu tangerem!

Matt. 9. 20. Luc. 6. 19.

Aptā ad Communionem.

Ad sacram Communionem applicabo, expendens tria illa. Fluxū cupiditatum mearū,& passionum, infinitam Christi virtutem, quē tango,& quomodo tangi debeat, nempe fide viua, fiducia magna de bonitate ipsius, humi-

litate

litate ob indignitatem meam, & reuerentia maiestatis illius.

PVNCTVM II.

CHRISTVS publicat miraculum occultum, alioqui manifesta solitus occultare, ad exemplum nobis, nunc autem quærit: *quis me tetigit? nam ego noui, virtutem ex me exijsse.* id fecit. 1. vt doceret, quanti intersit, quomodo tangatur. nam *turbæ illum* tunc *comprimebant*, vt mirantes responderent Apostoli: *& dicis, quis me tetigit?* Multi communicant, sed non omnes hauriant inde virtutem, aut certè non, quàm possent. 2. Voluit corrigere mulieris errorem, existimantis, Christo non sentiente, posse ex eo percipere sanitatẽ haud ita scit, qui dignè aut indignè accedant, aut indeuotè, reuelabitque tempore suo. 3. improbare voluit alteram eiusdem imperfectionẽ, quæ sic occultar voluit morbum, alioqui horridum. Vt doceremur nos deponere vanum timorem confusionis: in detegendis occultis morbis, aut Confessario, aut vbi opus est; *est enim confusio adducens gloriam.*

Publicat miraculũ. 1.

Marc. 5. 31. Quomodo tangendus Christus. 2.

3. Non pudeat confiteri.

Eccles. 4.

PVNCTVM III.

CHRISTVS Mulierem confirmat. *Videns enim illa, quia non latuit, tremens venit & procedit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.* Igitur metuentem, ne offendisset, ac ne exueretur dono sanitatis accepto, confirmat benignus Dominus, amanter compellans, *Filia.* Solent huiusmodi

Luc. 8. 48.

Præstat cũ amore ac-

cedere, quã timore recedere à Christo.

modi timores oriri iustis: ne fortè parum dignè sumant sacram communionem, & iuuat ad humilitatem, & ad curam promouendam. Placet autem magis Deo, sic accedamus humili confidentia, quàm, si abstineamus ex timore. nouit enim imperfectum nostrum. quare laudauit fidem mulieris, licèt fortè imperfectam, & ratam habuit sanitatem. *Fides tua te saluum fecit. Vade in pace.*

Feria 6. post Dominicam 1. Quadrag.

MEDITATIO XXXII.

De Sanato ad Probaticam piscinam. Ioan. 5.

PVNCTVM I.

Vis limitata piscinæ.

EA piscina, in qua oues sacrificandæ lauabantur: figura fuit Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ: quæ vim habent à Christi Sacrificio. Tres prærogatiuæ fuerunt illius piscinæ. 1. Quòd omnes morbos sanaret. 2. Quòd Angelus cœlo veniebat, vt moueret aquam, eique virtutem impertiret. 3. Quòd primus, in eam ingressus sanabatur. Eædem excellentius in nostris Sacramentis insunt. Nam 1. sanant ab omni peccato. 2. Id perficitur virtute Angeli Testamenti, Christi Domini, in cuius etiam persona administrantur. 3. Non vnum tantum, sed omnes sanant, ritè accedentes, sed primos maximè, qui maiori feruore accedunt. sed & imperfectè dispositos, per solam attritionem. quantum fit beneficium! expende.

Sacramentorum vis similis.

PVNCTVM II.

LANGVIDVS à Christo interrogatur. Vidit illius præ cæteris necessitatē à diuturnitate. 38. Annorum,& quòd ope destitueretur: ac ita illius misertus est. 1. Interrogat: *Vis sanus fieri*? haud dubiè volebat.cùm ideò ibi esset. sed monemur; duas voluntates requiri, ad obtinendam sanitatem, & Dei, & nostram. Diuina in promptu est: quia inuitat nos, nostra autem debet esse efficax, non velleitas tantum. ideò interrogat: *vis*? non non ait, *velles*? & debet omnem affectum peccati deponere. Atque hæc est prima dispositio: voluntas, desideriumque salutis. 2 Ex responso languidi colligitur altera: *Hominem non habeo.* quò simul significat,se velle.& non posse. Agnitio imbecillitatis propriæ sine Christo & eius gratia. 3 Præ se tulit etiam patientiam,cùm non sit quæstus,quod nō iuuetur. Valet ad exemplum. cùm Deus differt opitulari, & à tentationibus liberare nam ferendum patienter, & perseuerandum in petendo. nam, *cùm te consumptum putaueris: orieris vt Lucifer.*

1. Iesus vltrò miseretur miseri.

2 Agnoscit miseriam propriam.

3. Pœnitentia.

Iob 11. 17.

PVNCTVM III.

CVRATVR Paralyticus solo verbo: *Surge*, ex potestatis plenitudine, neq; fidem postulauit, nec tetigit, nec piscinæ admouit. Iubetur tollere grabatum suum, in signum perfectæ sanitatis. ita spiritualiter. quando

Verbo sanatur.

PVNCTVM V.

SANATVS nuntiat Iudæis, IESVM *esse à quo sanatus sit.* nempe gratus pro beneficio. Sic Christus ipse aliquando iussit: *Vade ad tuos, & annuntia illis: quanta tibi Dominus fecerit. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Agit autem prudenter, quia non ait, qui grabatum tolli iussit, fuisse IESVM; quòd id erat Iudæis inuidiosum, sed, qui me sanum fecit.

Pœnitentes Deum laudant.
Marc. 5. 19.
Psal. 50. 15.

MEDITATIO XXXIII.

Domin. 3. post Epiphan.

De Leproso sanato, & mandato, & ad Sacerdotes misso. Matt. 8.

PVNCTVM I.

LEPROSI Virtutes in orando. 1. Reuerentia, genu flexo, & procidens in faciem orabat. 2. Fides: *si vis, potes me mundare,* sola voluntate potes: nec dubitat de bonitate; sed, ne fortè ipse non sit dignus beneficio. 3. Resignatio suæ voluntatis, dum expressè non petit; sed tantùm aperit necessitatem suam. Ergo meipsum tanquam leprosum coram Deo sistam; & simili affectu orabo.

Leprosi. 1. Reuerẽtia. *Matth. 8. 2.* 2. Fides. 3. Resignatio.

PVNCTVM II.

MVNDATVR à Christo, in quo ostenduntur virtutes. 1. Misericordia. Misertus eius *extendit manum suam.* si corporalis le-

Christi 1 Misericordia.

lis lepræ misertus, quantò magis spiritualis? ¿æ lepra horrorem parit: & spiritualis, etiam ipsi Deo sed cùm hæc nobis ipsis sit abominabilis, prouocat misericordiam Dei.
2. Potentia. 2. Bonitas, & potentia. nam fidei dicentis: *si vis*, respondit: *volo*, profitenti potentiam: *potes*, verbo præstat sanitatem: *mundare*, esto mundus
Psal. 34. 3. *Dic animæ meæ: salus tua ego sum.* nam si dixeris, fiet
3. Humanitas. 3. Benignitas & humanitas nam *extendit manum suam, & tetigit eum:* cùm alioqui arcerentur ab accessu leprosi, nedum à tactu. viuificatiua est caro Christi, cùm
Psal. 144. 16 extenderit manus suas in cruce: *implebit omne animal benedictione.*

PVNCTVM III.

1. Zelus legis. MVNDATVS iam; mittitur ad Sacerdotem, vt offerat pro mundatione, quę præcepit Moyses. 1. Apparet quam Christus fuerit Legis studiosus: quantò magis nouæ, vt accuratè seruetur! offerebat autem leprosus sacrificium pro actione gratiarum, & testimonium referebat à Sacerdote, quòd esset mundatus.
2. Confessio necessaria. 2. Voluit Christus per hoc insinuare Sacramentum pœnitentiæ: ad quod tenetur accedere, quicunque extitit Leprosus, licet fuerit mundatus per contritionem, & ibi offerre sacrificium cordis contriti, & humiliati: vt & sententiam absolutionis & mundationis recipiat. Iubebatur autem Leprosus iam mundatus, radere pilos corporis, & lauare corpus, & vestimenta, & sic offerre agnū

imma-

immaculatum in Sacrificium. Hi sunt fructus pœnitentiæ, lachrymarum, & mortificationis carnis, quibus ad sacram Eucharistiam disponi conuenit.

Comminatus est Dominus Leproso, ne vulgaret, at ille cœpit prædicare, & diffamare sermonem, pro gratitudine erga auctorem beneficij. Vnde & illud bonum secutum est, vt multa turba ad audiendum Christum concurreret. Nec fuit inobediens, quia instinctu boni Spiritûs fecit, & talis prohibitio est declinatio laudis, non præceptio obligans. Humilitas Iesu.

MEDITATIO XXXIV.

De decem Leprosis. Luc. 17.

Dom. 14. post Trinitatis.

PVNCTVM I.

ORATIO Leprosorum. 1. *Steterunt à longè.* humilitatis & reuerentiæ affectus, sed & seruarunt, quod iubebantur, segregari ab alijs. 2. *Leuauerunt vocem dicentes: IESV præceptor miserere nostri.* Ex fide, & cum resignatione, non speciatim petentes: sana nos, sed, *miserere.* Et erant vnanimiter, quod valet ad impetrandum, quia omnes pro singulis. *Orate pro inuicem, multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Apud homines solent mendici vitare, ne simul petant plures, quia offendunt, & non suppetit omnibus: DEO autem placet coniunctio precum, nec deficit ideo thesaurus gratiæ Ie-

Luc. 17. 12. Virtutes leprosorũ. 1. 2.

Iacob. 5. 16.

decem signant peccatores, ob transgressioné

Bar. 4. 28.

decem præceptorum. *Domine, sicut hactenus fuit sensus meus, vt errarem à te, decies tamen iterum conuertar, vt requiram te.*

PVNCTVM II.

Obedientia Intellectus.

Luc. 17. 14.

CHRISTVS remittit Leprosos ad Sacerdotes. *Quos vt vidit Iesus, dixit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Initium salutis, quòd Deus misericorditer respiciat: & vidit etiam eorum fidem. voluit autem obedientiam probare, ablegando ad Sacerdotes, quod alioqui non erat faciendum, nisi postquam mundati essent. Illi etiam dum simpliciter obediunt, ac eunt, *mundati sunt.* tanti facit simplicem obedientiam, qualis etiam fuit Abrahę, ad immolandum filium parati.

Gen. 22.

Aptatio ad Sacrā Confessionem.

Hæc missio Leprosorū, antequam mundarentur, significauit confessionem sacramentalem. in qua aperienda est Sacerdoti omnis immunditia, quamuis occulta. Contingit autem mundari interdum, quia voluntas apud Deum pro facto reputatur, & votum Sacramenti cū contritione delet peccata, etsi nihilominus facienda est confessio. Nec debet homo auersari labes conscientiæ aperire homini, quando Deo notæ sunt.

PVNCTVM III.

Ingrati plures.

VNVS tamen ex nouem recognoscit beneficiū. Ita fit, vt cùm in necessitate plerique ad Deum recurrant, & deuoti sint, mox eâ perfuncti, non recordentur beneficij. *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?*

& sæ-

& sæpè maiores peccatores magis sunt grati, æstimantes suam indignitatem, vt modò, cùm solus alienigena Samaritanus rediјt ad gratias agendas, in confusionem reliquorum nouem, qui erant Iudæi; quod notauit Iesus: *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Discam, à confessione me colligere, ad gratias pro beneficio reconciliationis Porrò iste *regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens.* Mirus affectus grati animi, Prudenter autem, Christo dicente: *& nouem vbi sunt?* tacuit, nolens accusare alios quòd nos vulgò libenter facimus, simili occasione. Denique modestiam Christi mirare in redarguendo; *Et non est inuentus, qui daret gloriam Deo;* non ait, *mihi.* Benignè autem Samaritanum complexus, ait illi: *surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* & est credibile à lepra etiam spirituali curasse illum.

Gratiarum actio post Confessionem.

Christi modestia.

MEDITATIO XXXV.

De Cæco apud Iericho. Luc. 18. Matt. 20. Marc. 10.

Dominica Quinquag.

PVNCTVM I.

PRECATIO Cæci. 1. Plena fide & fiducia: *Iesu fili Dauid miserere mei.* Confitetur Messiam, & potentem saluare. 2. Feruens, ingeminando, *Fili Dauid, miserere mei.* 3. Cõ-

Cæci Fides. *Luc. 18. 39.* Feruor. Constantia

stans aduersus increpantes, *vt taceret.* Cogitabo, me cæcum esse, vtroque oculo; cognitionis & amoris; cæcitate ignorantiæ, & passionis, vt apud Bernardum, & sedere me otiosum, mendicando à creaturis solatia. Clamabo igitur ad Christum, vt iste: nec morabor obstrepentes, qui solent esse maximè quatuor:

Impedimenta orandi.

1. Tumultus variarum cogitationum, quę impediunt attentionem. 2. Remorsus ex conscientia peccatorum, qui gignit diffidentiam. 3. Necessitas, ac miseria corporis. 4. Occupationes & curæ rerũ externarum. Quin ipsi, qui Christum comitantur, auocant ab oratione, etiam per speciem boni. At ego pergam clamare, & ex importunitate obstantium acuam feruorem orandi, tantò magis clamando: IESV, *miserere mei, & libera me quia egenus & pauper sum ego, & cor meum conturbatum est intra me.* (*Psal. 108. 22*)

PVNCTVM II.

1. Dissimulat Christus.

EXAVDITIO precantis, 1. IESVS *stetit, & iussit, illum adduci ad se.* Initio dissimulauerat, vt probaret constantiam. Sistit cursum Sol iustitiæ causâ hominis. 2. *Cæcus proiecto vestimento, exiliens venit ad Iesum*; exultauit, spe recipiendi visum. Sic, interiùs vocati, relinquunt omnia, vt Christum sequãtur. 3. Rogat Dominus: *quid vis?* quia gratiam suam dat volentibus & dispositis. *Respondet cæcus: Domine, vt videam.* Idem optem ego, vt videam. nam *hec est vita æterna, vt cognoscam*

2. Exultat cæcus. *Mar. 10. 50.*

3. Visum recipit.

ſcam te Deum verum, & quem miſiſti IESVM *Chriſtum*: vt videam voluntatem tuam, ad implendum; & me ipſum ad humiliandum; & res creatas, ad te laudandum, vt videam aliquando te, ſicuti es. Dicito mihi vt cæco illi: reſpice, & factum erit. Ioan. 17. 3.

PVNCTVM III.

FIDEI Dominus tribuit ſanitatem: *Fides tua te ſaluum fecit*: *& confeſtim vidit.* Quod erat potentiæ, & miſericordiæ ſuæ opus, fidei attribuit, tanquam diſponenti & impetranti. Sic petijt aliàs à cæcis: *Creditis quia hoc poſſum facere vobis?* & illis affirmantibus, *ſtatim aperti ſunt oculi eorũ*; ſed quendam alium non ſtatim de integro illuminauit, ob imperfectam fidem, tametſi *ſaliuam ſuam adhibuit*, *& oculos tetigit. initio enim videbant homines ſicut arbores.* Sic ſunt duo modi illuſtrationum; quidã extraordinarius, vt D. Pauli; quidam per gradus, proficiendo. Cæcus hic *ſequebatur eum magnificans Deum*; effectus illuſtrationis, inſiſtere veſtigijs Chriſti, & Dei gloriam prædicare.

Luc. 18. 42. Ob fidem ſanatur.

Matt. 9. 28.

Mar. 8. 23.

Duplex illuminatio.

MEDITATIO XXXVI.

Feria 4. poſt Dom. 4. Quadrag.

De Cæco nato. Ioan. 9.

PVNCTVM I.

PRAETERIENS IESVS *vidit hominem cæcum à natiuitate.* Hic intuitus miſeri-

Ioan. 9. 1. Cæcũ os reſpicit Ieſus.

Digitized by Google

cordiæ; quo nisi Deus præueniat nos, non illuminamur. & respicit quidem omnes; sed maximè electos. optabo sic ab eo aspici.

2. Morbus non semper pœna. Quærebant Apostoli de causa cęcitatis: Respondit: *neque hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Discamus, quia non semper peccata sunt causa morborum, & calamitatũ, sed aliquando immitti pro gloria Dei: quæ inde elicitur, dum iusti exultantes illas ferunt, & Deo gratias agunt pro illis; vel dum mirabiliter eos eripit ex eis. Vnde subdit: *me oportet operari opera Dei donec dies est.* Dei opera vocat, ex quibus ille glorificetur, quale est, quòd facit iustos exultare in tribulationibus pro Christo, quodque illos liberat extraordinarijs modis, vt hunc cæcum. vnde glorificatur Deus; *Donec dies est* vitæ Christi mortalis. O Domine, operare in me talia, donec dies est meus, *antequam vadam ad terram tenebrosam.* Sed & me oportet operari opera Dei, donec dies est. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare.*

Iob 10. 21. Eccl. 9. 10.

PVNCTVM II.

1. Sanat luto. Gen. 41. 14. MODVS curandi cæcum. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius.* 1. Contrario remedio vtitur, ad ostentandam suam potentiam. sic & humiliando aliquem exaltat, vt *Ioseph* ex carcere ad principatum. 2. Docet, conferre ad illuminationem, si lutum, ex quo existimus, &

2. E luto agnoscitur [il]litas mea

cœnum

cœnum culparum super oculos ponamus per attentam considerationem. Fit autem lutum hoc ex saliua Christi, quæ est illius Sapientia, quia, nisi hac inspirante, non agnoscimus nostram vilitatem. Vel vtrumque miscetur saliua Christi,& terra,vt illuminemur,ad Deum,& nos ipsos cognoscendum: quæ inter se notitiæ se iuuãt,& iũctę sunt. 3. *Iussit ire ad natatoria Siloë, quod interpretatur missus*, & ibi lauare Typus Baptismi & pœnitẽtiæ,quæ virtutem habent à Christo, qui est missus Patris in hoc ipsum. Imitanda fides & obedientia cæci, qui luto se obliniri permisit,& iuit haud sicut *Naman Syrus*, cùm iuberetur *lauare in Iordane*, qui detrectauit. *Abijt ergo & lauit, & venit videns.* — 3. Sacramenta abluunt. — 4. Reg. 15.

PVNCTVM III.

CAECI iam illuminati præclara professio. 1. gratitudo, prædicando auctorem, & modum sanandi, obuijs enarrando. 2. fortitudo, qua non timuit rem edicere coram Pharisæis, & in Christum referre, parentibus eius præ metu tergiuersantibus. 3. Zelus cum prudentia, nam Pharisæis amoliri à Christo laudem conantibus, quòd homo peccator esset, & ignotus, reuicit illos. 4. Patientia in contumelijs. *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* ô Dei virtus, quæ cæci, & mendici opera confudit sapientes superbos. — Cæci 1. Gratitudo. 2. Fortitudo. 3. Prudentia. 4. Patientia.

PVNCTVM IV.

CHRISTVS consolatur, confirmatque — Christus

Digitized by Google

1. Consolatio afflictorum
2. Fidē auget.
3. Tranquillit mentē.

cæcum. 1. *vt audiuit è synagoga eiectum, accessit ad eum Christus*, vt eum recrearet. Sic non obliuiscitur confitentium se. 2. studuit perficere eiusdem fidem, interiùs etiam illuminando: nam, Christo profitente, se esse Filium Dei, ille ait, *Credo Domine, & procidēs adorauit eū*. ô quantò admirabilior hæc illuminatio! 3. ne turbaretur ob Pharisæorum contradictionē, qui sapere videbantur, dixit ei Iesus: *in Iudicium ego in hunc mundum veni, vt, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*. Hoc est, vt Idiotæ, & simplices cognoscant veritatem, Sapientes autem superbi ad illius splendorem cæci fiant. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*.

Dominica 12. post Trinitat.

MEDITATIO XXXVII.

De Surdo & muto Marci. 7.

PVNCTVM I.

1. Surditas spiritalis.
2. Surdus fit mutus. *Lucæ* 11. 14.
Psal. 37. 14.

ADDVCVNT ad *Iesum surdum & mutum*. 1. Surditas spiritualis est circa fidei veritates percipiendas, & credendas; tum circa præcepta & inspirationes recipiendas: Mutus autem, qui impeditus ad officia orandi Deum laudandi, gratiasque agendi, nec nō confitendi sua peccata. 2. His duobus sensibus spiritualiter impeditis, obstruitur via saluti: nā hæc obtinetur per fidem & obedientiā, & flagitanda est per orationem Satagit Dæmon, vt impediantur: vnde Lucas, ipsū *Dæmonium* vocat *Mutum*. Aliter in bonum Dauid ait, *tan-*

quam

quam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperui os meum, videlicet ad vanitates & ineptias, 3 Quòd multi sunt ita obliti suæ salutis, vt nunquam accederent, nisi ab alijs adducti: quod officium præstare studebo. *Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* præter ministerium adducendi, adhibenda pro ijs oratio, nam *Paralyticum Christus sanauit, intuens fidem offerentium.* 3. Peccatores muti. Matt. 9. 6

Pvnctvm II.

Modvs curationis. Plures cæremonias adhibuit, vt significaret, difficilem esse talium curationem. 1. *Apprehendens, abduxit à turba*, à curis videlicet externis & tumultu negotiorum. 2. *ingemuit.* quantum oportet id esse malum? & ego pro me non gemo? 3. *suspexit in cœlum.* instanti oratione opus habet. 4. *Misit digitos suos in auriculas eius.* digitus Dei dicitur Spiritus Sanctus, cuius donis aperiuntur aures & linguæ, quia dociles faciunt ad fidei mysteria; & obedientes diuinis inspirationibus, digitus procedit ex manu & brachio, quod est Filius, per quem omnia. 5. *expuens tetigit linguam eius.* Saliua ex capite fluens, significat Christum, Sapientiam Patris incarnatam: est autem maximè opus sapientiâ ad loquendum è recte. Quare dicitur, *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium* 6. dixit: *adaperire*: ad surdum loquitur, quia diuina vox etiam ad horum aures penetrat, easque aperit: *Dominus aperuit*

Difficulter sanatur. 1. 2. 3. 4. 5. Psal. 36. 30. 6. Isai 50. 5.

mihi aurem, & ego non contradico, promptus ad credendum & agendum, quæ iubet, efficior, quando ille verbo suo aperit; *sermo* enim eius *viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Væ, *qui obturat aures suas aduersus incantantem sapienter*.

Eccl. 32. 6.
Psal. 57. 6.

PVNCTVM III.

Potentia Iesu.
Psal. 40. 3.
Gen. 1. 31.

EFFECTVS consecutus: *Et loquebatur rectè*. ô, mihi contingat! *Pone, Domine, custodiam ori meo*, & tu claude, & aperi tum aures, tum maximè os meum. Turba, licèt prohibita vulgare miraculum, tantò magis celebrat, dicens, *Bene omnia fecit*, vtique bene, nā *vidit omnia quæ fecit, & erāt valde bona*. quòd si naturæ quantò magis gratiæ opera? *& surdos fecit audire & mutos loqui*. Vnicum curauerat, sed illi profitentur, sicut illum, ita & plures posse, & paratum esse curare. Certè id de spirituali surdo, & muto inprimis verissimum est.

MEDITATIO XXXVIII.
De Dæmoniaco Lunatico Matt. 17. Mar 7. Luc. 9.

PVNCTVM I.

1. Dæmon vexat corpus.
2. Magis animam.

DAEMONIS feritas in obsessū, Deo permittente. 1. In corpus, qualis describitur ilte. 5. In animā, in quam exercet similia, cùm eam subijcit sibi. Mutum & surdum facit, vt in precedenti. Lunaticum, per inconstantiā in bono *Allidit terræ*, vt per affectum inhæreat;

ſpumat, *& ſtridet* per fœditatẽ, & impotentiã verborum, *areſcit*, quaſi inſenſibilis ad diuina, *nunc in ignem* cupiditatum *mittit*, *nunc in aquas* mundanorũ deſideriorũ mergit & diſſipat eum, ab vno in aliud peccatum diſtrahẽs. *Neq; diſcipuli poſſunt eum eijcere*. nulla cõcionatorũ, & confeſſariorũ operâ iuuari poteſt. 3. Ex his intelligitur, qualiter in Inferno Diabolus tractet illos, qui in poteſtatem eius veniũt. Mar. 9. 17 3. Maximè in inferno.

PVNCTVM II.

CHRISTVS inuehitur in incredulitatẽ illius gentis, quaſi propterea Dæmon reſiſtat. *ô generatio incredula & peruerſa, quouſq; ero vobiſcum? quamdiu vos patiar?* quaſi tædeat ipſum inter illos viuere, nec ferendi ſint diutius. ſed etſi ingratitudinem deteſtatur, hominum tamen miſeretur. Me miſerum, in quem ita fulminare meritò poteſt: Iubet afferri ad ſe hominem, &c. *cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans*, quantum audet malignus in ipſius Chriſti præſentia? quid non aliàs? Tunc parens orat pro filio, *ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri*. oportuit tam exilem fidem priùs excitare, & ita reſpondit, *ſi potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*. omnia ſine exceptione. mira omnipotentia fidei. fac, Domine, vt credam, ſicut oportet. Ille ergo videns, ex ſua fide pendere filij ſanitatem, ait, *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*. Laudabilis oratio, quando præſtat, quod poteſt, rogat pro eo, quod minùs poteſt. Incredulitas Deo exoſa. Matt. 17. 18 Mar. 9. 19. Ver. 21. Ver. 23.

PVN-

PVNCTVM III.

1. Christus minatur Dæmoni. ver. 14. Luc. 11. 24.

PELLITVR Malignus Spiritus. 1. Iesus comminatus est illi, dicens: *surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo* pro imperio agit, *& amplius ne introeas in eum.* Nam solet, *assumptis alijs pluribus, redire in domum vnde exiuerat.*

2. Ægrè recedit ab anima. Mar. 9. 25.

2. *Exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sic vt mortuus.* Ita, cùm animam relinquere cogitur: nam id non fit absque doloribus, quasi parturientis, cùm diabolo, & carni homo renuntiare debet.

3. Manum porrigit Iesus. Vers. 26.

3. *Iesus tenens manum eius, eleuauit eum, & reddidit Patri eius.* Ipse solus erigere ac viuificare potest peccatorem. At ego nolim reddi Patri, sed tibi adhærere, qui es Pater meus.

4. Luc. 9. 44.

4. *stupebant autem omnes in magnitudine Dei.*

PVNCTVM IV.

1. Mat. 17. 19.

ARGVIT discipulos incredulitatis. 1 prudentia Christi, priuatim eos arguentis: (cùm generatim populum publicè arguisset, *O generatio incredula & peruersa*) *propter incredulitatem vestram* non potuistis eijcere.

2. Fides sit humilis.

2. *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti, transi, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Sinapi granum molle, paruum, sed acrimonia, & virtute valens, fides cum humilitate. Montes transfert, qui moles terrenorum impedimentorum in Dei seruitio submouet.

3. Oratio & ieiunium.

3. Præterea *hoc genus Dæmoniorum*

non

non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio. quæ ex fide proueniant. nam granum sinapis & fides cum cognitione sui spiritum orationis & mortificationis euaporat. Hæc est *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris*, & est ille *fumus* à Tobia adhibitus, *qui extricat omne genus Dæmoniorum.* Cant. 3. 6. Tob. 9. 8.

MEDITATIONES DE mortuis à Christo resuscitatis, ac de spirituali Resurrectione.

TRES mortui referuntur suscitati à Christo, *puella*, in qua significantur, qui ex infirmitate, & ignorantia peccant, *Adolescens*, in quo illi, qui ab æstu passionum abrepti; & *Lazarus* iam in sepulchrum illatus; quales, qui ex malitia peccant.

MEDITATIO XXXIX.

De filia Archisynagogi suscitata. *Matth. 9. Luc 8.*

PVNCTVM I.

CONDITIO Puellæ. 1. erat *duodennis vnica* proles parentum, diuitum, & nobilium. Nulla ætas tuta, & nullæ opes liberant, nec datur redire, quamuis isti datum, vt sit irremediabile, si semel malè. 2. in tali ætate Luc. 8. 42. 1. 2.

præ

Mors iuuenum ob peccata. præripiuntur aliquando ob peccata parentum, filijs nimiùm indulgentium, vel ob propria, in quæ ruunt, ne penitus præcipitentur. Vel benè quidem incedentes, sed ne malitia mutet cor eorum, quod est fauoris singularis, vel denique ob alias diuinæ prouidentiæ rationes. Petam mihi contigere, vti maximè expediet.
3. 3. non potuit hæc defuncta per se quærere vitam à Christo, præstitit pro ea parens. Ita pro mortuis in peccato debemus fieri intercessores.

PVNCTVM II.

CHRISTVS obsequitur Archisynagogo, & pergit in domum eius.
1. 1. Non id merebatur eius fides imperfecta: nam *rogauit, vt intraret domum*, quasi non posset absens, indulsit tamen, quia humiliter ille petiuerat,
2. Humilitas occultat miraculū. *procidens ad pedes Iesu.* 2. Voluit miraculum occultari, quia maximum hactenus patratorum. siquidem prima mortui suscitatio. quare seclusit omnes, præter tres discipulos, & parentes puellæ, & præcepit vehementer, vt nemo id sciret: adhibuit tres illos quos in Trāsfiguratione, & postea in horto, vt illi tāquam feruidiores conscij essent trium maximarum rerum, & quæ ad gloriā Christi, eiusq; ignominiam, & ad salutem hominum spectarent.

PVNCTVM III.

Luc. 8. 54. Rom. 4. 18. Verbo suscitat. TENENS *manum puellæ, ait illi: Tibi dico: surge. Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea*

quæ

quæ sunt. O si vocet me, & peccatores ad vitam gratiæ, pro potestate, & efficaciter. *Confestim surrexit Puella, & ambulabat, & iussit illi dare manducare.* Manu tenuit: nam eos, qui ex imbecillitate ceciderunt, roborat, ad surgendum. *Ambulare cœpit:* quia surgentes à peccato debent se exercere in operibus bonis. Cibo refici iubet, qui roborat vires cœlesti pane. Marc. 5. 41.

MEDITATIO XL.

De filio Viduæ suscitato. Luc. 7.

Dominica decima sexta post Trinitat.

PVNCTVM I.

DEFVNCTVS erat Adolescens, in quo significantur illi, qui æstu cupiditatum iacent mortui Deo, quæ ferè sunt, Luxuria, ambitio, cupiditas, ira, & isti sunt innumerabiles, quos deflere libet cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei!* Non fortuitò occurrit funeri, sed ex prouidentia, & facit non rogatus modò, quòd aliàs non nisi rogatus. Verùm & cùm rogatur, ipsius est inspiratio, ac ita totum ab illo est, & præparatio, & iustificatio peccatoris.

Quatuor potiores.

Ierem. 9. 1.

Motu proprio suscitat.

PVNCTVM II.

MISERICORDIA *motus super Viduam, dixit illi: noli flere.* Non iam occultè, sed palàm patrat miraculum suscitationis, ad fidem prædicationi faciendam. Et dum mo-

Luc. 7. 13.

Palam suscitat.

uetur misericordia, ostendit, non ostentationis causa id facere; & docet erga afflictos cõmiserationem, maximè erga viduas & pupillos. Porrò lachrymæ pro precibus sunt apud Deum, & præcipuè Ecclesiæ pro peccatoribus fusæ. O dic Domine: *noli flere*, siste lachrymas, causam earum auferendo. ***Accessit & tetigit loculum: & qui portabant, steterunt.*** Tangit Deus peccatorem, antequam suscitat, modò timorem modò spem, aliosque affectus excitando. stant portitores, quatuor illa genera passionum, per quæ ad inferos peccator deportatur: nam cohibetur illarum vis, vt detur locus resipiscentiæ.

Inspirationum tactus

PVNCTVM III.

SVSCITAT defunctum, dicens: *Adolescens tibi dico, surge.* hæc est VERBI Omnipotentia, non vt Elias, & Eliseus opus habuit substerni defuncto. *Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Non statim ambulauit quoniam qui passionibus seruiunt suis, sentiunt adhuc difficultatem; incipiunt tamen loqui, confitendo peccata sua, veniam petẽdo, & Deum laudando pro vita sibi reddita. quare non indignabor super tales, si non statim deponant prorsus prauas quasdam consuetudines. *Dedit illum matri suæ*, solatium senectutis. sic iustificatos dat Ecclesiæ ad gaudium, & exultationem, etiam ipsius Triumphantis. Reuertitur Adolescens suis pedibus, recuperato vigore spiritus gradiens illuc, ad con-

Verbo imperat.

Sensim passiones fugiunt.

greg-

regationem videlicet iustorum, vnde elatus rat mortuus per inordinatas cupiditates. Et cclamatum est Domino: *Quia Propheta Manus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit lebem suam.*

MEDITATIO XLI.

Feria sexta post Do. 4. Quadrag.

De Lazaro suscitato. Ioann 11.

PVNCTVM I.

Ioan. 11. 3.

Modus orandi.

SORORES Lazari nuntiant Christo: *Ecce quem amas infirmatur.* forma orandi breuis, efficax, & perfectorum, per insinuationem tantùm procedit ex amoris Dei ergá se multa fiducia, cum resignatione integra in illius voluntatem. Vti licet pro iaculatoria, & possunt variari verba, quem creasti, qui est tua imago, quem redemisti, &c. & pro *infirmatur*, alia quæuis necessitas supponi spiritualis, vel corporalis. Similis fuit illa: *Fili, vinum non habēt*: & sponsæ: *si inueneritis dilectum, dicite: quia amore langueo.*

Ioan. 2. 3.

Can. 5. 8.

PVNCTVM II.

CHRISTVS renuntiat sororibus: *infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam*, & *tunc mansit in eodem loco duobus diebus* intra quod tempus Lazarus mortuus est. 1. Magnum solatium impertit Deus iustis, quando mala eis obuenientia significat esse pro gloria sua. d verò sequitur, vel quia mirabiliter, non co-

1 Solatium iustorum.

gitantes liberat; vel, quia eminere facit iustorum virtutem in ferendo, & prouentum donorum cum tentatione eis reddit.

2. Probatio magna. 2. Cùm spes facta esset vitæ, valde contristatæ fuerunt sorores de Lazari morte, & probata est fides, cùm aliter euenisset, quàm Christus dixisse videbatur. Ita, cùm Abraham iussus est immolare filium, in quo promissa erat benedictio

Rom. 4. 18. gentium, sed laudatur: *quia in spem contra*

Iob 13. 5. *spem credidit*. Quare cum Iob: *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus.*

PVNCTVM III.

CHRISTVS denuntiat Apostolis reditũ

Ioan. 11. 8. in Iudæam, at illi tergiuersantur: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* sed confirmat illos duplici ratione.

Iob 14. 5. 1 quia sunt *duodecim horæ diei*, ita & *vitæ terminus* cuique à Deo constitutus, *qui præteriri non poterit*. Vt proinde, metu mortis intempestiuæ non sit omittendum opus diuinæ gloriæ. Vel, cùm tot sint horæ diei, fieri potest, vt, quòd primâ cogitatum est, in alia mutetur sicque Iudæorum animi remiserint de odio. 2 *Si quis ambulauerit in luce, non offendit* hoc est benè agens non incurret mortem, quamdiu Deus illum seruare constituit, qui autẽ in te-

Psal. 54. 24. nebris peccati, is aliquando pro pœna peccati tollitur è medio, vt est in Psalmo: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, nõ

per-

peruenient ad medietatem, & *occidet eis sol in meridie*, in media luce vitæ. *Amos 8.9.*

Post hæc rectè insinuat causam profectionis: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum*. somnum vocat, quia tam facilè sibi foret, atque à somno excitare illum. sed præcipuè significat, mortem amicorum Dei instar somni esse, ex quo homo redit ad consuetas vitæ functiones. Ita iusti interquiescunt, dum ad vitam meliorem reuocantur: non ita peccatores, qui ad æternam mortem suscitandi sunt.

S ensim mortem pandit.

Apostoli, præoccupati timore, non intelligunt verba Christi, alioqui non obscura, cùm absurdum foret, causa somni iter suscipere. Ita imperfecti volunt intelligere, & semper aliquid commentantur circa mandata maiorum. Quare Christus apertè dicit: *Lazarum mortuum esse: & gaudio*, inquit, *propter vos, vt credatis*. Credebant illi quidem, sed cōfirmandi erant in fide per miraculum. Et, quasi de nouo credere dici possunt, quando ita afficiuntur, vt, si priùs non credidissent, vel iam forent credituri. Ita, cùm vota renouo, ita affectus, vt, si non antea, iam illa vouerem, rectè dicor nunc vouere. *Thomas ait: Eamus & nos, & moriamur cum illo*. feruor charitatis in Deum, pro quo morti se offert; & in proximos, quos ad idem exhortatur. Offeram me pariter.

Imperfecti nolunt intelligere, quæ agenda.

Feruor D. Thomæ.

PVNCTVM IV.

MARTHA occurrit Christo, quem ita compellat: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Vtique fit, vt, subducente se Christo, in mortem peccati labamur. Psal. 118. 8. obsecro, *non me derelinquas vsquequaq;*, vsque ad lapsum subijcit Martha: *sed & nunc scio, quia quæcunque popósceris à Deo, dabit tibi*. Infirma fides Marthæ. Infirma fides, quasi non ipse posset conferre vitam, nisi precibus obtinendo, cùm tamen esset Deus: quod Dominus volens corrigere ait: *Ego sum resurrectio & vita*, (dator videlicet istorum) *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet*, (resurget ad vitam) *& omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*. quasi dicat: & vita, ad quam credentes resurgent, erit vita nunquam defectura. Totum est verum, tàm de corporali, quàm de spirituali resurrectione, & vita. nam ille etiam, qui mortuus est peccato, per fidem recipit vitam gratiæ, & hæc vita credentium propagatur in æternum, quantùm ex ipsa est. Porrò Christus de corporali resurrectione maximè loquitur. Ad hæc *Martha, credidi Domine; quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*, ac proinde, quòd possis pro arbitrio suscitare mortuos. En, quam docilis, & quomodo corrigit seipsam! Mariæ obedientia. Reuerentia. CHRISTVS adesse Mariam etiam vult miraculo, pro merito amoris eius erga ipsum Christum, vtque ita illam magis accenderet. *Surrexit citò, & venit, & cecidit ad pedes eius*.

vbi

vbi imitanda prompta obedientia, posthabitis, qui eam consolabantur. sic agendum, cùm Deus vocat. Deinde reuerentia, accidendo ad pedes, (quod non legitur de Martha) & nobilioribus Iudæis spectantibus, qui Christum oderant. Denique fides, & resignatio: nam cùm dixisset: *frater meus non fuisset mortuus,* non subiecit, quòd posset adhuc orando resuscitare illum, vt dixerat Martha, sed credens, quòd pro potestate id posset, nec tamen petijt, Christo rē relinquens, qui modus habet vim imperandi: vnde Ecclesia precibus Magdalenæ in collecta tribuit fratris suscitationem. In Martha & Maria designantur actio & oratio, siue contemplatio, vtraq; concurrere debet, ad conuertendos peccatores. Fides.

PVNCTVM V.

IESVS turbatur spiritu & Iachrymatur. 1. quidem, *vt vidit Mariam plorantem, & Iudæos, infremuit spiritu, & conturbauit seipsum & lachrymatus est.* Deinde, *rursum feruens in seipso, venit ad monumentum.* Priore vice ex officio Charitatis, vt fleret cum flentibus, & propter Pharisæos tunc flentes, sed ex miraculo capturos occasionem Christū ipsum interficiendi: posteriore autem, ex commiseratione defuncti & peccati recordatione, per quod mors introiuit, pro qua abolenda foret etiam ipse subiturus similem conditionem, vt inuolutus conderetur sepulchro. Christus flet cum flentibus.

Lachrymas Christi acceperunt alij pro signo amoris singulari in Lazarum, alij autem Iudicia mundi vana.

 calum-

calumniabantur, cur non prohibuerit mori, siquidem potuerat cæcum à natiuitate curare? Iubet Christus, tolli lapidem, vt cadauer fieret conspicuum, noluit verbo ipse amoliri quia non vtitur miraculo in ijs, quæ per alios fieri valent. Obstitit Martha, quòd *fœteret iam quatriduanus*. sic amici obijciunt impedimenta, quando expedire quis se vult à malo statu. *Eleuatis sursum oculis gratias agit*. Docemur à cœlo petendum peccatori remedium. *gratias agit*, tanquam pro accepto, quia certum erat.

PVNCTVM VI.

SVSCITAT, voce magna clamans, *Lazare veni foras*. extulit vocem, quasi ad longè

1. Cor. 15. 52. positum, & erat anima in Lymbo: item dedit specimen horribilis illius *tubæ*, surgite mortui, venite ad iudicium. Obediuit imperio, & adhuc vinctus prodijt, nō modò viuus, sed perfectè sanus, qui fœtebat priùs. Iubet solui discipulis, vt ipsi propiùs cernāt miraculum. Est forma peccatoris, qui subtrahente se gratia moritur, ac sepelitur obrutus terrenis cupiditatibus, & clauditur lapide obdurationis & fœtet à scādalis præbitis. Pro hoc orant iusti, & Christ⁹ efficacitate suæ inspirationis, motionis ad vitam reuocat, vt de nullius salute sit desperandum. Prodit *ligatus instit* vitæ prioris habitibus, quos deponit directione Patris spiritualis. Vel excitatum per diuinam inspirationem soluit à peccatis sacerdos. Nam etiam, qui per contritionem reuixerunt, debent absolui in Sacramēto pœnitēti

Lazarus forma peccatoris.

M

MEDITATIO XLII.

Pridie Palmarum.

De Concilio contra Christum occasione suscitati Lazari. Ioan 11.

PVNCTVM I.

QVEMADMODVM odio & inuidia perciti Iudæi, ex bono Christi opere parant sibi venenum ad interitum: nam, qui interfuerant suscitationi Lazari, ad Pharisæos referunt. Vnde coacto concilio, Pontifices & Pharisæi dicunt: *Quid facimus? quia hic homo signa multa facit?* Et tam sunt cæci, vt id, vnde omnes credituros in Iesum ominantur, tanquam in Messiam, ipsi nolint intelligere. atque ita fit, iusto Dei iudicio, vt malum temporale, quod metuunt, prædicant: *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.*

Inuidia cæca.

Ioan. 11. 47.

PVNCTVM II.

SENTENTIA Caiphæ Pontificis: *Vos nescitis quidquam, neque cogitatis.* ab arrogantia orditur, quasi solus sapiat. & tam insipiens fuit, vt, quod ad auertendam cladem à populo necessarium esse dixit, causa extiterit excidij. sed quod ille proprio spiritu malè cogitauerat, spiritus sanctus vertit in Prophetiam, vt per illa ipsa verba prædiceret necessitatem Christi passionis, ad totius generis humani salutem: *quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.*

vers. 49.

Superbia Ios arguit.

PVNCTVM III.

CONSPIRATIO in Christi necem: *Ab illa ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Nec latuit Christum omnia scientem, & tulit, vt apud Ieremiam ipse loquitur: *Tu autem Domine demonstrasti mibi, & cognoui. Tu ostendisti mihi studia eorum.*

Iesus mansuetus cedit.

Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: mittamus lignum

Ierem. 11. 18.

in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. quomodo cognouit, & non cognouit? quia sciuit; sed non vt vitaret, aut vlcisceretur.

Ioan. 11. 54.

Ergo *abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem,* & ibi *morabatur cum discipulis suis.* qui permanebant cum eo in tentationibus ipsius. Ibi comparauit se ad appropinquantem iam horam suam.

Quæ his sunt consequentia, habentur in quarta parte.

DE PARABOLIS CHRISTI.

MEDITATIO XLIII.

De Sapiente & Stulto. Matt. 7. Luc. 6.

HAEC Parabola dicta est à Domino post sermonem in monte, propter variam dispositionem audientium.

Pvnctvm I.

Sapientem Christus nominat eum, qui audita non tantùm credit, sed facit; stultum verò, qui, cùm credat, contrarium facit. nam quæ maior est stultitia, quàm cùm crevas æternos ignes deberi peccanti, & Deum dbique præsentem omnia conspicari, nihilominus ita agere, ac si Deus non videret, vel infernus non esset? & talium stultorum infinitus est numerus in Ecclesia Dei: quare comparatur etiam stultis virginibus, non solùm prudentibus. Porrò flumina, venti, & pluuia, quæ quatiunt domos tam sapientum, quàm stultorum, significant tria genera tentationũ *Flumina* è terra sunt, nempe caro nostra & homines terreni, à quibus exercemur. *Venti* significant aëreas potestates. Denique *pluuia è cœlo veniens*, illas tentationes, quæ ex speciali prouidentia Dei veniunt, etiam per homines alioqui zelosos, sed non secundùm scientiam.

Stultus aliter agit quã credat.

Flumina, venti, pluuia signant 3. tentationes.

Rursum, *flumina* sunt tentationes sensualitatis & auaritiæ, quæ dicitur *concupiscentia carnis*. *Venti* curiositatis & vanitatis, quæ est *concupiscentia oculorum* *Pluuia* superbiæ & ambitionis, aliàs *superbia vitæ*. Præterea *flumina* domûs fundamenta subruunt, & sunt tentationes *incipientium*. *Venti* latera quatiunt, surgentesq; parietes, qui sunt *proficientes*. *Pluuia* in tecta decidit, in eos, qui culmen *perfectionis* tenent. Nullus quippe gradus à tentatione immunis.

PVNCTVM II.

Arena quid est?

ÆDIFICARE *supra arenam*, est contentum esse, quòd credas absque stabili proposito viuendi iuxta fidem. *Arena* est cor varijs affectionibus terrenis dissipatum ac dissolutum. Denique vires propriæ, & inconstantia nostræ voluntatis, ac proprij iudicij regula, sunt arena, nihil habens soliditatis ad sustinendum ædificium spirituale. Statua Nabuchodonosor, tametsi alioqui magnifica, quòd digitos haberet fusiles, percussa paruo lapide, corruit. Ita omnia talenta, & gratiæ ipsæ gratis datæ, & quicquid est speciosum, si carent soliditate fundamenti.

Dan. 2. 34. 45.

PVNCTVM III.

Petra est Charitas. *Ephes. 3. 17.*

IN petra ædificat, qui in fide viua, quæ per dilectionem operatur, sicut optat Paulus, *vt Christus habitet per fidem in cordibus vestris, & sitis in charitate radicati & fundati.* *Petra* est etiam intima sui cognitio perueniens vsque ad centrum proprij nihili, in quo tanquam terra stabilis, immotaque perseuerat. *Petra* est etiam Christi gratia, cui fidendum, non sibimet. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vt dicere possim: *Quis me separabit à charitate Dei? nec portæ Inferi præualebunt aduersus eum.*

Mortificatio gratia.

Phil. 4. 13.
Rom. 8. 35.
Matt. 16. 18.

MEDITATIO XLIV.

De Semine. Luc. 8.

PVNCTVM I.

SEMEN *est Verbum Dei*, vt ipse Dominus Semen verbum Dei.
exposuit, idque tum externum instructionis, tum internum inspirationis diuinæ, & hoc maximè, quod est quasi vis seminalis in grano, quia sine interno frustra iacitur externum. Qui seminat est præcipuè Deus, auctor bonæ inspirationis. Externũ autẽ verbũ etiã hominis, & pij libri, tanquam semen iaciunt. Terra est anima, secundùm suas potentias. Terra anima.
In *memoria* excipit pias cogitationes, sanctarumque rerum imagines. In *intellectu* illustrationes cælestes ad diuina penetranda, nec non consilia bona agendorum, & dictamina conscientiæ, vel arguentis, quæ agit, vel probantis. In *voluntate* motiones varias ad bonum. Finis est, vt terra ipsa perficiatur. gra- Finis fructus operũ.
tias agam, petam, vt terram animæ meæ subigere, seminareque copiosè velit.

PVNCTVM II.

QVòD non omnis terra fructificat. 1. Il- 1.
la, quæ est *secus viam*. quo fit, vt partim Via cordurum.
semen conculcetur à prætereuntibus, partim à volucribus comedatur. *Hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Nimirum ho-

mines cor habentes peruium quibusuè cogitationibus & desiderijs, qui non condunt intra se verbum, & exteriùs in superfice tantùm excipiunt, vt solum non subactum, quales sunt viæ publicæ. 2. est *terra petrosa*, quæ non habet humorem. *Hi sunt qui cum gaudio suscipiunt, & in tempore tentationis recedunt*. Nempe homines bene propensi, sed instabiles, in quibus semen radices non agit; sichue, orto sole tentationis, arescunt. quos S. Marcus *Temporales* vocat, & sunt quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Porrò sol lucet, & adurit, quod est duplex tentationis genus, vnum à prosperitate, alterū ab aduersitate rerum: oportet autem se exhibere Dei seruum in vtraque fortuna, atque vt ait Paulus, *per infamiā & bonam famā*, &c. 3. est terra *Spinosa*, in qua *simul exortæ spinæ semen suffocant*. & hi sunt, qui *à sollicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum*. Tria ista, quæ blanda hominibus videntur, Christus vocat *spinas*; nempe animum pungunt, & cruciant. ô Deus, malim pungi spinis tuæ coronæ, & licèt carnem lacerant, spiritum sanant.

2. Deuotio inconstans.

2. *Cor. 6.* Spinæ diuitiæ, curæ, voluptates.

NOTA quòd prima terra, nec germinare quidem incipit; secunda incipit, sed non promouet defectu succi; tertia succum habet, sed ob vepres non assurgit.

PVN.

PVNCTVM III.

TERRAE bonæ & fructiferæ sunt tres similiter gradus: alia reddit *tricesimum*, alia *sexagesimum*, alia *centesimum*, iuxta tres gradus incipientium, proficientium, & perfectorum, vel, vt Patres exponunt, secundùm status coniugij, Cælibatus, Martyrum. Tres gradus fructuū bonorum.

MEDITATIO XLV.

De Zizanijs. Matt. 13.

Dominica 5. post Epiphaniam.

EXPOSVIT hanc Parabolam ipse Dominus: *Qui seminat bonū semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus, bonum verò semē hi sunt Filij Regni. Zizania autem sunt Filij nequam. Inimicus autem, qui seminauit ea, est Diabolus.* Matt. 13. 37

PVNCTVM I.

IVSTI sunt Christi semen, hoc est, filij ab eo geniti in gratia, & ideo semen dicuntur, quia per eos alij gignuntur Christo. Filij autem Regni dicuntur, quia, *si filij, & hæredes* regni paterni. Zizania similia sunt tritico in herba, cùm autem creuerint, nigrescunt; & nocent tritico, quin obsunt edenti, visum lædunt, & prouocant vomitum; sic mali homines conueniunt cum bonis in natura, quin & in fide, & ritibus externis, at tetri intus sunt à

Iusti semen

Rom. 8. 17.

Zizania mali omnes.

pecca

peccatis, obsuntque vtentibus eorum consuetudine, Deoque nauseam prouocant. Priùs seminatur triticum, postea Zizania quia boni priùs fuerunt, quàm mali, tum Angeli, tũ homines. Et nunc quos Christus regenerauit, inter eos mali à Diabolo superducuntur. imò ex tritico conantur facere Zizania, ex filijs Dei filios Diaboli, & facit id *dormientibus hominibus*, incurijs, & negligentibus suam salutem. Vbi *superseminauit, abiit*, vt qui, iacto in alium lapide abit, & subducit se, nolens videri auctor: idque est tantò pernitiosius, quin se *transfigurat in Angelum lucis*, vt ex Deo videatur semen. Nam ab initio non apparet tritico absimile, sic mali homines, semen Diaboli, bonis se initio accommodant, eademq; simulant studia, videlicet induunt vestimenta ouium. Abit etiam Diabolus, quia desistit à tentando, vt post interuallum inuadat incautos periculosiùs.

Dæmon venit dormientibus hominibus.

PVNCTVM II.

Admiratio de Zizanij

SERVI dicunt Patrifamilias, *nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet Zizania?* post sementem Euangelij à Christo factam, ac post abundantiam gratię in omnes effusam, qui zelum habent Dei, mirantes dicunt, vnde tantum scandalum in agro Dominico? & inter eos ipsos, qui sal & lux esse debuerunt? & inter illos, qui perfectionem profitentur? dicam etiam ego & intra me, vnde tot imperfectiones, & peccata, quæ suffocant

spiri-

ſpiritum? Reſpondet Dominus: *inimicus homo hoc fecit. Deus intentator malorum eſt.* Diabolus autem Tentator per excellentiam dicitur, & Sathan, ſiue aduerſarius, cuius ſemen & filij ſunt, qui eius *deſideria perficiunt*: nam, *qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Sed & homo ipſe peccator intelligi poteſt nomine inimici, qui animam ſuam perdit propria voluntate. Ergo & homo, ſibi ipſi inimicus hoc facit. In altero etiam ſenſu accipi poteſt Superior interrogatio, Cùm tuus, Domine ſit ager & ipſe ſeminaueris, quare ſinis ſuperſeminari Zizania? ad hũc ſenſum non reſpondet Chriſtus Dominus, quia non oportet ſcrutari arcana diuinæ prouidentiæ: illud eſt certum, & ſufficit abſque magna & iuſta ratione id non permittere, indeque multa bona elicere in ſalutem electorum.

Mat. 13. 28.
Iacobi 1. 13.
Ioan. 8. 44.
1. Ioan. 3. 8.

Cur ſinit Zizania Deus creſcere?

PVNCTVM III.

SERVI autem dixerunt ei, *vis imus & colligimus ea?* hic eſt iuſtorum zelus, qui poteſt eſſe intempeſtiuus, ex quatuor cauſis 1 ſi omnia ſimul velint eradicare, ſiue ex Eccleſia, ſiue ex congregatione Religioſa, ſiue ex ſe ipſis, quod non poteſt ordinariâ lege. 2. ſi ante tempus, quia malus ſuſtentatus, fortè fiet triticũ & nimiùm conando, fortè perdes ſanitatem. 3. ſi cum periculo eradicandi triticum: ſi emendes malos, ſeu punias cum damno bonorum. quod accidit in bellis ſuſcipiendis. 4 ſi ſpiritu vindictæ, vt cùm Apoſtoli petebant *ig-*

Zelus nimius patet.

1. 2. 3. 4.

nem

Lucæ 9.54. *nem mitti in Samaritanos*, quòd non reciperẽt Christum̃ Respondit Dominus: *Non, ne fortè* Matt.13.29 *colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum.* Dei charitas. Considera charitatem erga hominem. nã Angelos peccantes, quasi Zizania statim extirpauit, igniq; tradidit: homines autẽ sustinuit, dum in triticum, si vellent, verterentur. Parcit. Parcit etiam Zizanijs propter bonos, sicut cùm paratus fuit Sodomitis parcere *si vel de-* Gen.18.32. *cem reperirentur in eis iusti:* quod magno solatio est bonis, & spem facit, quòd eis non oberit inter malos conuersari, & versari. Nihilominus, quando absq; damno tritici possunt Zizania extirpari, Dominus id nequaquam vetat.

PVNCTVM IV.

SIGNIFICAT Dominus tempus collectionis. Mali cum bonis mixti. *Sinite*, inquit, *vtraque crescere vsque ad messem*, quo monemur, semper in hac vita futuros malos bonis permixtos, & quantumuis semper seminet Diabolus Zizania, nunquam defuturum triticum. Putabat Elias, se relictũ 3.Reg.19.18. solum cultorem Dei, cùm audijt à Domino, *reliqui mihi septem millia virorum.* Vtrique crescunt. Deinde simul vtrumque crescit, & lolium & triticum, iuxta Apoc.22.11. illud, *qui sordidus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc.* Sed triticum ex Iudicium generale. Dei voluntate, & per eius gratiam, Zizania autem ex permissione illius tantùm. Messis Matt.13.41. tempus erit duplex, & particulare, in morte cuiusque, & vniuersale, post resurrectionem,

quando

quando *Angeli colligent de regno eius omnia scandala*, & eos, qui faciunt iniquitatem, *mittent in caminum ignis. Colligent* autem *ea in fasciculos ad comburendum*, vt eiusdem culpæ socios similiter cruciandos tradant. & quemadmodum fasciculi se mutuò accendunt, ita infelices illi sibi mutuò sint ad tormentum. Eritque ibi fletus & stridor dentium, præ rabie inuicem excandescentes, & in eos, qui sibi damnationis occasio extiterunt. At, *triticum* inquit, *congregate in horreum meum, tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris sui.* Matt. 13. 43

MEDITATIO XLVI.

De grano Sinapis. Matt. 13.

PVNCTVM I.

I GRANVM Sinapis refert Christum: nam est minimum, nec specie, nec odore æstimabile; intus tamen efficax & calefactiuum, præsertim si teratur. Ita Christus de se: *Ego sum vermis & non homo*: at intus secundum animam, *in eo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, quin habitabat in eo *diuinitas corporaliter*; qui attritus in cruce vim suam exeruit, vt inflammaret omnes, & traheret omnia ad se. In Eucharistia est etiam minimus, quando in grani minima particula totus est, & manducatus accendit, & condit quamuis insulsa & ingrata. 2. Deinde refert iustos, foris despectos, intus à charitate fer-

Granum sinapis. 1. Christus. Psal. 21. 7. Coloss. 2. 3. 9

2. Iusti.

uentes, qui persecutionibus vexati virtutem suam produnt, exemplo Christi. Hinc Ecclesia dicitur *nigra, sed formosa.* 3. Refert etiam eas virtutes, quibus Regnum cœlorum acquiritur, quarum prima est *fides* in Christum, mundo despecta. nam credere in Christum crucifixum, *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia* habetur, *ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis est Dei virtus & sapientia.* Pariter octo illæ beatitudines à Christo pronuntiatæ iudicio mundi minimè sunt tales, sed potiùs miseriæ maximæ: at intus degustatæ deprehenduntur omnino tales. Denique *stulta mundi elegit Deus, vt confundat* Sapientes, *& infirma, vt confundat fortia, & contemptibilia, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat, vt non glorietur omnis caro in conspectu Dei.*

Cant. 1. 5.
3. Virtutes.
1. Cor. 1. 23.
1. Cor. 1. 27.

PVNCTVM II.

QVOMODO granum hoc terræ mandatum germinet in arborem præ omnibus oleribus, vt ex vno plurima grana existant. Ita Christus in terra mortificatus, euasit in caput hominum & Angelorum, sortitusque est *nomen super omne nomen*: & impletum est illud, *in die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.* Eodem modo Apostoli euaserunt in magnas arbores per multas tribulationes, sicut prædixerat eis Christus; factique sunt tot fidelium Patres. Similiter Martyres, & Confessores, at-

Simile Christus.
Phil. 2. 9.
Isai. 4. 2.
Apostoli.

que

quę ego ipse potero. Idem accommodari potest ad ipsas virtutes: nam *fides* crescit vsque ad contemplationem Dei, *spes* vsque ad prægustationem cælestium, *charitas* vsque ad vnionem cum Deo perfectam, *obedientia*, vt Dei exequatur voluntatem, tanquam in cœlo sit; *fiducia*, vt montes transferat. Virtutes.

PVNCTVM III.

QVOD *veniunt aues, & habitant in ramis eius.* Christi quasi rami sunt, eius prædicatio, consilia Euangelica, Sacramenta, exempla actionum, miracula, & vitæ eius mysteria, in his ramis habitant non magnæ & rapaces aues, typus seruorum, sed paruæ, hoc est, humiles animæ, per contemplationem illuc euolantes. qualis erat, quæ dicebat, *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: quis dabit mihi alas & volabo, & ibi requiescam?* Deinde & sancti viri tanquam arbores expanderunt ramos suos, prædicando, scribendo, viuendo; quos intuendo, & imitando, proficere debemus.

Rami Christi qui?

Cant. 2. 3.
Psal. 54. 7.

MEDITATIO XLVII.

De Negotiatore Margaritarum.

Matt. 13.

In Communi SS. Virginum.

PVNCTVM I.

QVOD studia negotiantium sint varia pro diuersitate rerum, quas quærũt. alij enim bona tẽporalia, alij sciẽtias, alij politicas virtutes, tanquam margaritas, venantur. Chri-

ſtianus autem quærere debet Chriſtũ; & quę nos cum illo iungunt, virtutes. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.*

Pſal. 23. 6.

PVNCTVM II.

QVOMODO quærere oportet? inceſſanter petendo à Deo: *Petite & dabitur vobis.* Deinde ſtudioſè meditando circa illa, vbi inuenitur Chriſtus. Denique inſiſtendo illis medijs, quæ inſpirantur à Deo, & alioqui ſunt idonea.

Matt. 7. 7.

PVNCTVM III.

BONVS Negotiator, *inuenta vna pretioſa margarita, vendit omnia, quæ habet, & emit eam. Vna* & *pretioſa* dicitur: hæc eſt Chriſtus Deus homo, non plures, ſed vnus: vel etiam *Charitas*, quæ eſt *vinculum perfectionis*, in quo omnes vinciuntur virtutes: & quæ nos vnum facit cum Deo, & proximo, vt ſit *cor vnum & anima vna.* Dicitur inter cõchilia margaritarum eſſe vnum, quaſi dux, quo capto, facilè reliqua: hæc eſt charitas. Inuenitur, cùm planè penetratur illius excellentia; & cognita rapit ad ſe cor, vt parum iudicet, pro illa dare omnia, iuxta illud, *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Inſpice, quam margaritam quæras, an hanc pretioſam, vel potius terrenam aliquam. Deinde, quàm seriò quæras. Denique quid pro habenda dare velis? quanti eam æſtimes?

Vna & pretioſa gemma.
Coloſ. 3. 14. Chriſtus.
Act. 4. 32.
Charitas.
Cant. 8. 7.
Examen.

PVNCTVM IV.

QVòD hæc Margarita pretiosa sit etiam perfectio Religiosa, ad Christi imitationem, quæ vna est, eminenter continens dilectionem duplicem, Iesu, & proximi, quasi lumen duplex oculorum, de quibus ad Sponsam dicit Dominus, *vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum. Vnum* dicit, cùm sint duo: quia vt vnus agunt, & quo vnus vergit, etiam alter. tales sunt actiones Religiosorum ex Dei & proximi charitate. Magni fiunt duæ Margaritæ similes, & pro inauribus appendi solent ad ornatum. Ita Religiosam vitam ornant Dilectio Dei, & proximi. Si intelligerent homines pretium eius, omnes vellent sua diuendere, pro ea comparanda. ô intelligam ego! ô studiam copulare in vnum, & duobus, quasi vno oculo, videre Deum & proximum!

Religiosa perfectio Margarita.

Cant. 4. 9.

MEDITATIO XLVIII.

De Oue perdita. Lucæ 15.

Dominica 3. post Trinitat.

PVNCTVM I.

HOMO, qui habet oues, est Christus, qui propter illas descendit de cœlo, & mirabiliter eas gubernat. Nouit singulas nominatim, suo charactare signat, ante eas vadit, præcedens exemplo, curat à scabie peccati, defendit à lupis infernalibus, pascua præbet

Pastor Christus.

pinguia, doctrinæ, & Sacramentorum. imò seipsum illis in cibum dat: ô sic me guberna, & pasce! *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

Psal. 22. 11.

Oues fideles.

Centum oues sunt generatim fideles, sed peculiariter electi, quos in numerato habet Deus & scit, *qui sunt eius. Hi vocem eius audiunt*, obedientes eius præceptis, nouerunt ipsum per fidem & contemplationem, sequuntur imitatione, gaudent illius pascuis, reddunt ei suam lanam, externa bona, lac etiam internorum affectuum, & delitias à se abdicant propter ipsum, fœtus item bonorum operum, & carnem denique propriam, si opus sit mori illius causa, vt vicem reddant. *Dilectus meus mihi & ego illi.*

Ioan. 10. 3.

Cant. 2. 1.

Ouis perdita peccator.

Ouis periens est peccator, ex cœtu iustorum, & obedientia pastoris proprio suo arbitrio discedens: Nempè non intelligit, nec æstimat bona, quæ sub illo habet, graue illi est audire vocem eius, dura reputans mandata illius; difficile, sequi euntem per vias asperas crucis, & mortificationis, fastidit pascua spiritualia, præfert carnalia. Retinet sibi lanã, lac, & fœtus, omnia in suum referens commodum ô, quot sic errant vsque ad præcipitium inferni? *Omnes quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.*

Isai. 53. 6.

Charitas Christi quærentis.

Pastor bonus errantem quærit ouem, totum genus humanũ. Ideo in carne venit, triennium prædicauit, & tãdem mortẽ subijt. Et cũ propter omnes ea perfecerit, studio tamen peculiari per se ipsum quæsiuit eas, quæ tunc

aber-

aberrabant, & nunc etiam quærit omnes per suos ministros, & oblata remedia, ac internas inspirationes. Et cùm nihil suâ intersit, si pereat, quiâ nec lanâ earum vestiri, nec nutriri lacte, nec fœtu ditescere opus habet, referre tamen suâ ait, & *illas oportet me adducere.* Ioan. 10. 16.

PVNCTVM II.

QVID agit, cùm inuenerit? Matthæus ait: *si contigerit, vt inueniat eam*: quo significatur, ipsas oues subducere sese, & occultare, ne inueniantur. O Domine, *errauí sicut ouis, quære seruum tuum,* ne desistas quantumuis ego fugiam, & me abscondam, sicut Adam, & tergiuersari velim, sicut Cain. Inuentam ouem non percutit baculo, non raptat, non tundit calce, sed lætus in humeros suos attollit. Docet, benignè excipiendos peccatores in humeros imponit, quia *peccata nostra ipse tulit in corpore suo,* & quia suâ gratiâ facit eis suaue iter salutis. Quid ni ego vicissim *tollam iugum tuus, quod suaue est, & onus leue?* Quin instituit publicam gratulationem, *conuocans amicos & vicinos,* Angelos & iustos, dicens illis: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.*

Christus perditam reducit.

1. Pet. 2. 24.

Matt. 11. 29

PVNCTVM III.

EPIPHONEMA. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Quem-

Gaudium Conuersionis.

admodum si Pater aliquis habeat plures filios sibi charissimos, ac ex eis vnus ad mortem infirmetur, & præter spem cōualescat, extraordinarium gaudium concipit ipse,& familia tota,quale non ex reliquis sanis.ita in hoc discam gaudere & gratulari de salute peccatorum, & non vt Pharisæus murmurare. Ac si aliquando aberrem, vel ideò redire studeam, vt Deum & Angelos lætificem,contrà,auerser peccatum,ne contristem.

Sabbatho post Dominicam secundam Quadrag.

MEDITATIO XLIX.

De filio prodigo. Lucæ 5.

PVNCTVM I.

Boni & mali filij.

DVo genera filiorum. bonus est maior natu,quia virtus antiquior vitio est, & confert senilem maturitatem,& prudentiam: malus autem est iunior,ab imprudentia & leuitate animi, quam ostendit petendo à Patre portionem suam, quasi Deus quippiam alicui debeat,& præsumens, quòd possit per se eam gubernare. Aduerte, quomodo Deus talenta distribuat naturalia,nec nō etiā supernaturalia dona, vt vtantur pro libertate. *Deus* enim *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui:* ita tamen, vt bonum vsum suggerat,& auxilium præbeat.Disce,benè agi cum eo,qui in domo Patris cœlestis amat manere sub eius gubernatione,nec præsumit seipsum regere,vt iste Prodigus,qui in regionem lon-

Eccli.15. 14. Libertas hominis.

longinquam abijt, elongatus à Deo per peccatum, & obliuionem sui Creatoris, iacturamq; faciens omnium acceptorum, inhærendo creaturis: fit, vt superbus degeneret in Luxuriæ sordes. Cogitabo, me eiusmodi fuisse, qui me subtraxerim à Patre, & mille peccatis inoluerim per hoc.

PVNCTVM II.

MISERIAE recedentis à Patre. 1. Fames, non panis, sed cibi spiritualis, in regione illa longinqua, non vsus Sacramentorum, non exhortatio aut lectio pia, non exempla virtutum, non internæ à Deo consolationes. 2. Adhæret vni ciuium, diabolo, qui ad indigna seruitia seruientem abijcit. 3. pascit porcos, in id tantùm intentus, vt sensuales cupiditates expleat; vel ipsos etiam dæmones pascit, qui turpitudinibus hominis, quasi cibis oblectantur. 4. Neque miser satiatur, quia est cibus bestiarum, non hominis. Misericordiæ diuinæ est affligere peccantes, vt resipiscant, sicut iste doctus malis, *Sepiam*, inquit, *viam ipsorum spinis*. Cōtrà est periculosa prosperitas peccatori. *Misereamur impio*, ait *Dominus, & non discet iustitiam. Et quiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.*

[Margin: 1. Fames. 2. Seruitus. 3. Pascere dæmonem. 4. Insatiabilis voluptas. Osea 2. 6. Isai. 26. 10. Ezec. 16. 42]

PVNCTVM III.

RESIPISCIT prodigus. Initium conuersionis, reflectere super statum suum, *in se autem reuersus*, præuentus gratia, quæ etiam peccatores non deserit. *Redite peccatores ad*

[Margin: Gratia præueniēs. Isa. 46. 8. 12.]

Digitized by Google

cor. Et *audite duri corde, qui longè estis à iusti-tia; prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur.* Tantùm velitis.
Adiuuans. Deinde promouet conuersionem si suum cum statu iustorum conferat, etiam minùs perfectorum: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hîc fame pereo?* atque id tantò efficaciùs fit, si ipse ex illis aliquando fuit. *Vadam & reuertar ad virum meũ priorem, quia benè erat tunc magis, quàm nũc.*
Osee 2.7. Mala. 3.18. Et *conuertimini & videbitis, quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.*
Propositũ efficax. Præterea ex his sequitur propositum firmum & efficax nixum agnitioni sui, & fiduciæ in Deũ. *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Tandem festinato opus est ad exequendum propositum, vt iste; *& surgens venit ad Patrem suum.*

PVNCTVM IV.

EXCIPITVR à Patre. *cùm adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est.* Cũ adhuc in peccato esset, & resipiscere cogitaret, imò ante hoc: quomodo enim cogitaret, nisi Deo præueniente per gratiam?
Reddit gratiam. Iubet reddi *primam stolam* iustitiæ, *annulum in manus*, ad exercitium bonorum operum, *calceamenta pedibus*, ad mortificationem prauorum affectuum, & conuiuio adhibet sui sacratissimi corporis. Atque hæc omnia agit si-

gnifi-

gnificatione maximâ lætitiæ. Quid tunc filius, quando non inter mercenarios se receptum, sed in priorem statum videt?

PVNCTVM V.

Inuidia aliquorum.

QVOD senior filius ægrè fert, sic innocentiores quidam solent indignari ob indulta dona peccatoribus, defectu videlicet humilitatis, & charitatis, cùm potiùs dicere deberent, quod Moyses: *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Deinde per hoc responsum senioris voluit Christus declarare, tantam esse misericordiam Dei erga peccatores, vt possit inuidiam prouocare in ipsis iustis, tametsi illi, diuina consilia venerantes, acquiescunt.

Num. 11. 29.

Et tandem mirificè obedientem filium solatur: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*: quid ergo est, quòd de stola, & vitulo queraris? Tale est hoc, ac quod de oue perdita: *Maius est gaudium*, &c. nec ideò præiudicatur iustis, qui non indigent pœnitentia.

MEDITATIO L.

Dominica decimatertia post Trinitat.

Dè Saucio à Latronibus, Lucæ 10.

PVNCTVM I.

Homo lapsus.

HOMO hic est quiuis Adæ filius, qui, cùm esset in gratia, & ciuis Ierusalem cœlestis, descendit in Iericho (quod Lunam significat)

ficat) per affectum rerum caducarum. Hic *incidit in latrones*, hoc est, dæmones, insidiatores, & apertos etiam inuasores, qui mundi, & carnis nostræ ministerio vtuntur, ad nos perdendos, nempe operâ mundanorum hominũ, & nostris appetitionibus. Expoliant bonis, charitate, & alijs donis eam comitantibus Spiritus sancti, & nominatim alium aliâ virtute, aut Castitate, aut Patientia, &c. vel etiam ipsa fide, ac spe, cùm obesse quampluri-mum intendant, dicentes, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*. Plagæ sunt, quæ ex peccato manent in potentijs, obstructio intellectus, debilitas voluntatis ad resistendum vitijs, inordinatio passionum. *Semiuiuus relinquitur*, cum sola fide, & lumine naturali. Hunc me fuisse cogitabo.

Luc. 10. 3. Qui Latrones.

Quibus spoliat.

Psal. 136. 7.

PVNCTVM II.

QVI sunt illi transeuntes? *Sacerdos* & *Leuita* sunt, qui, licèt in dignitate positi, non valent subuenire, (tale vetus Sacerdotium) vel, qui proprijs commodis intenti, non tanguntur aliorum misericordia, vel, qui sat putant, si ipsi periculum vitent suum. Denique nulla pura creatura potuit remedium afferre. *Samaritanus* autem (quod significat custodem desertorum) est Filius Dei, qui ex cælesti Ierusalem veniens in hunc mundum instabilem, & vt homo ingrediens per vias communes absque peccato, proque Samaritano in contemptum habitus, nostri misertus est.

Samaritanus Iesus.

Pvnctvm III.

Qvid egit Samaritanus? Appropiauit ipse vulnerato, cui non erant vires surgendi, vel accedendi ad medicum. Talis est peccator ex se, nec iuuare se potest, nisi præuentus gratia. 2. *Alligauit vulnera*, exterso cruore, cohibens vlteriorem fluxum, quod est ab affectu peccati cessare, non solùm ab actu. 3. *Infudit oleum & vinum* ex vasis Sacramentorum, quæ cælo attulit, oleum misericordiæ leniens, & vinum charitatis confortans. Tale etiam est Verbum Dei, partim blandè alliciens, partim perstringens, vt parturiamus Spiritum salutis. 4. Imponit in *iumentum suum*, transferendo in se peccata nostra, & opportunis auxilijs debiles adhuc ex plagis subleuando. *Abducit* ex via, & peccandi occasionibus subtrahit, *induciтq́; in diuersorium* Ecclesiæ, vel etiam in tutum hospitium Religionis, & *curam illius agit*, tanquam Pater amantissimus. Non deserit, quos iustificat. Altera die, quando tempus fuit redeundi ad cœlum, vnde venerat, *protulit duos denarios, deditq́; stabulario, vt curam illius ageret*. Substituit sibi Vicarios, & suppeditauit sumptum ad curationem. *Duo denarij* sunt scientia & potestas. Hortatur autem, vt non solùm curã adhibeat necessariam, & quàm ex officio tenentur, sed, vt exquisitam, supraque debitum, id enim ipsis ad præmium fore. Tanta est Christi sollicitudo de incolumitate nostra.

1. Appropinquat peccatori.
2. Ligat vulnera.
3. Infundit vinum.
4. Tollit peccata.
5. Et occasiones peccati.
6. Superioribus committit.

Quid

Psal.115.12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

PVNCTVM IV.

CONCLVSIO. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? qui fecit misericordiam in illum. Vade & tu fac similiter.* Vult, vt inuicem id officium præstemus in necessitatibus, tam corporis, quàm animæ, pro nostra facultate, & se in exemplum insinuat, *redditurum mensuram bonam & superesfluentem.*

Christi imitatio.

Luc.6.38.

NOTA. Hæc Parabola potest considerari, vel de genere humano percusso, & spoliato in Adamo per peccatum originale, vel de quouis peccatore, ratione peccati actualis proprij.

MEDITATIO LI.

Dom. 22. post Trinit.

De Seruo debitore decem millium Talentorum. Matt.18.

PVNCTVM I.

TEMPVS rationis reddendæ est punctum mortis: solet tamen citiùs præmonere nos Dominus, inspirando, vel morbo, vel aliter visitando, & tunc melior spes est componendæ rationis. & interest, vt in vita fiat, quod est misericordiæ tempus. Debitum *decem millium talentorum* dicitur, quando quis oneratus est peccatis. 1. Quia sunt contra decem præcepta, & quando etiam contra v-

Peccator debitor. 1.

num,

num *factus est omnium reus. qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, non occides*: ac proinde in singulis offenditur legislator, vnde habet rationem peccati mortalis. 2. Quia sunt innumerabilia, & eò magis, si venialia adnumeres. 3. A grauitate, instar talenti, quia contra infinitam Dei bonitatem, & eximia beneficia, & in conculcationem sanguinis Christi, & interitum animarum ab eo redemptarum, & destructiua donorum gratiæ. 4. Quòd nec pro vno potest homo satisfacere, cùm per peccatum constituatur inimicus Dei, & debitum sit infinitum ab offensi dignitate. 5. A pœna, qua dignus est, vt *ipse, vxor, filij & bona* diuendantur. Quis non exhorrescat peccatum?

Iacob. 2. 10.

2. 3. 4. 5.

PVNCTVM II.

PATIENTIAM *habe in me, & omnia reddam tibi.* Aptè seruus iste egit ad obtinendam remissionem. 1. Agnoscit sincerè debitum. 2. Humiliat se, *procidit ad pedes.* 3. Orat instanter, vt sibi detur tempus satisfaciendi. 4. Proponit, ac promittit, se omne redditurũ. id fit interuenientibus meritis Christi, & gratia. Faciam similiter. Vide Domini bonitatem: *Misertus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Plus facit, quàm petebatur, reuocata sententia de ipso, & cæteris vendendis, nec modò moram concedendo solutioni, sed planè condonando. Vtique quo ad culpam, & pœnam æternam, pro quibus satisfacere nequimus. remittit etiam tempora-

Media impetrandi veniam. 1. 2. 3. 4.

Omnia Deus remittit.

lem,

lem, pro contritionis feruore. Tam bonus & misericors Dominus est, nobisque tam miseris valdè opus erat.

PVNCTVM III.

IDEM seruus tanto beneficio affectus, *conseruum suffocat pro centum denarijs.* 1. Solet vnus homo alteri esse debitor, quia facilè contingunt offensiones verbo aut facto, pro humana fragilitate. Et habent inde iusti materiam virtutis, ex corde orando, *dimitte nobis, sicut & nos.* sed ista debita præ nostris erga Deum instar sunt paucorum denariorum, respectu millenorum talentorum, & adeò etiam minora, quòd iniuria ab excellentia offensi æstimetur, & quæ fit Deo, infinita. 2. Magnā extitit serui crudelitas, quòd tā violentè inuasit, quòd supplicem, & ijsdem verbis deprecantem repulit, quòd trusit in carcerem, quòd non habuit rationem Domini communis, & qui ipsi indulserat, cui sine dubio ingrata erat futura illa vis. 3. Dicitur, quòd *egressus à Domino* ista perpetrauit, extra illius positus conspectum. sic nos, cùm obliuioni Deum tradimus, quòd sit inspector, Iudex, benefactor tam eximius.

1. Plus Deo debes quā tibi proximus.

2. Crudelitas serui.

3. Obliuio Dei.

PVNCTVM IV.

NARRATVR factum Domino, qui animaduertit. *Conserui contristati sunt:* sic iusti ob delicta proximi, quando alios lædunt; & quia lædunt facientes, & Deum offendunt.

Con-

Conserui *narrauerunt Domino*: & ille ipse dolor, quem concipiunt iusti de talibus, clamor est apud Deum. *Tunc* irritatus *Dominus vocauit illum*. Fit, vt ob quædam peccata Deus acceleret tempus reddendæ rationis. Et absque hoc versari semper deberet ante oculos illud vltimum tempus, alioqui incertum. *Traditur tortoribus, quoadusque reddat vniuersum debitum*. Ita prouocat iram Dei, & exacerbat ingratitudo acceptæ remissionis, quando propter Deum non exhibemus simil̃em benignitatem proximis.

PVNCTVM V.

CONCLVSIO. *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Tanta est charitas Dei erga hominem, vt velit omnes similiter inimicem se amare. & indicantur quatuor causæ hoc faciendi. 1. Quia Pater cælestis ita iubet. 2. Quia sumus fratres inter nos 3. Quia vnusquisque habet, quod ab alio sibi remittatur. 4. Quia ipse Pater remittit nobis tantò maiora. Accedit seueritas diuinæ vltionis, nî fiat.

Iniuriæ condonandæ cui.

1.

2.

3.

4.

MEDITATIO LII.

De Villico. Luc. 16.

Domin. 9. post Trinit.

PVNCTVM I.

HOMO *diues* est Deus ipse, cuius sunt omnia, quæ ad corporis vitam & oble- Deus diues dat.

ctationem faciunt; tum bona gratiæ & gloriæ, quæ ad animam præcipuè ſpectant. *Villicus* eſt quilibet homo, cui ita Deus bona corporis & gratiæ tribuit, vt rationem reddere debeat de vſu illorum, qui debet eſſe iuxta Dei voluntatem. quare diſsipator eſt, qui ſecùs illis vtitur. *Diffamatur* autem de diſsipatione, non ex rumore hominum, ſed ex facto ipſo, quod Deum non poſsit latere.

Homo villicus.

PVNCTVM II.

EXIGITVR ratio à Villico, & exuitur officio. *Redde rationem: iam non poteris villicare*. Fit aliquando, vt Deus prouocatus peccatis præuertat tempus rationis. Vnde ait: *Ne impiè agas multum; & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Contingit autem duobus modis, vel abſque præmonitione, non dato tempore præparationis, vel dato, quod petebat Dauid: *paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Atque tunc ait: *quid hoc audio de te?* quo dicto repræſentabat nobis vniuerſa peccata, & vitæ remiſsionem. Idipſum dicit in abſceſſu animæ, quando non eſt amplius pœnitentiæ locus. Sed quàm terribile illud: *Redde rationem villicationis tuæ?* in quo plurima continentur. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* &, *manifeſtari oportet ante tribunal Dei, vt referat quiſque propria, prout geßit, ſiue bonum, ſiue malum.*

Luc. 16. 3.
Accelerat iuſtitiæ diē quandoq;.
Eccl. 7. 17.
Pſal. 101. 24
Reddes rationem.
Ioan. 9. 4.
2. *Cor* 5. 10.

PVNCTVM III.

VILLICI commentum. Non commendat Christus fraudem, sed industriam & studium consulendi sibimet, quod incitari oportet, estq; nobis ad confusionem, qui tam studiosi non sumus pro animæ salute. Quod ait: *fodere non valeo*, ad asperum vitæ genus referri potest. Et, *mendicare erubesco*, ad vitam contemplatiuam, quæ est assidua oratio, & quasi mendicatio à Deo. Monet Christus, vt qui hæc subliminora nequit, saltem bene alijs faciat, quomodo potest, vel in corporalibus, vel in spiritualibus, iuxta Pauli consiliũ: *Exerce te ipsum ad pietatem, quæ ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Diuitias autem vocat Christus *mãmona iniquitatis*, quãuis licitè acquisita, quia iniqui tantũ in eis felicitatem ponunt, (*Beatũ dixerunt populum cui hæc sunt*) vel, quia fortè sunt instrumenta peccandi. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua.* Possunt tamen seruire saluti. Vnde ait Dominus: *Facite vobis amicos de Mãmona iniquitatis*, vt Tobias: *Fiducia magna erit corã summo Deo omni facienti Eleemosynam.* Et, *posita in corde pauperis pro nobis exorat* ab omni malo. Quare Paulus Timotheo: *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere.*

Confundit nos villicus.

1. Tim 4.7.

Diuitiæ Mammona.

Psal. 143.15.

1. Tim. 6.9.

Tob. 4.11.

Eccl. 29.15.

1. Tim. 6.17

MEDITATIO LIII.

Domin. II. post Epiphan.

De Publicano & Pharisæo. Luc. 18.

PVNCTVM I.

Actus superbiæ. AFFECTVS superbiæ in Pharisæo. 1. Quòd se putat perfectum. Vnde nihil petit, nec veniam peccatorum, nec gratiæ augmentum, aut conseruationem. 2. Quòd prætextu gratiarum commendat seipsum ab operibus bonis. 3. Quòd se præfert alijs. 4. Quòd exilia sua opera bona cum sæcularibus aliorum confert; & opera tantùm externa, quæ iactantiæ causa faciebat, vti *sepulchrum dealbatum, intus autem plenum omni spurcitia.* (Matt. 25. 27) 5. Quòd contemnit alios, etiam eum, qui secum orabat, quem temerè iudicat. Tam est cæca superbia, vt illius, qui dicebat: *Diues sum & nullius egeo, & nescis, quia miser es, pauper, & cæcus, & nudus.* (Apoc. 3. 17) Hi *vident festucam in oculo fratris sui, & in suo trabem non considerant.* (Matt. 7. 3.)

PVNCTVM II.

Actus humilitatis. HVMILITAS Publicani. 1. *A longè stat*, indignum se reputans, propinquare Deo, vel etiam Pharisæo. 2. *Non audet leuare oculos* præ pudore ob sua peccata. 3 *Pectus percutit* ex animo contrito, & cupido satisfaciendi. 4. Veniam sibi ipsi petit, se solum considerans peccatorem. 5. Paucis orat, confidens de misericordia Dei, qui non exau-

dit in multiloquio: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

PVNCTVM III.

SENTENTIA Christi de vtroque: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* 1. Decernit Dominus, non ex verbis, 1.
sed ex affectu cordis vtriusque. 2. Effectus 2.
superbiæ inanes reddere virtutes, humilitatis autem destruere peccata, interueniente pœnitentia. 3. Vniuersè: *qui se exaltat* 3.
humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Id verum in omni statu & conditione hominum. Contingit autem tum in hac vita frequenter, tum maximè in altera semper, vt, qui in hac se humiliat, in illa exaltetur.

MEDITATIO LIV.

De Operarijs conductis. Matt. 20.

Dominic. Septuages.

PVNCTVM I.

PATER *familias* est Deus, qui licèt amplum regnum possideat in cœlo & in terra, tamen eò dicitur Paterfamilias, quòd singulis ita prouidet, ac de minutis ita disponit, atque si paruæ præesset familiæ. Deinde, quia Parabola sumitur à re domestica. Familia est fidelium congregatio, & præcipuè iustorum; operarij autem, qui eam excolunt, Prælati & alij. Vbi nota, quòd familia & vinea in idem

Deus omnibus prouidet.

Prælati.

recidunt: ac proinde fideles sunt vites, & filij familias, seu Ecclesiæ. vnde Dauid dicebat: O Domine, *quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* quin operarij dici possunt singuli fideles. Conducit operarios ipse Deus, *quia nemo venit ad Christum, nisi Pater attraxerit eum.* vtitur autem medijs. *Exit primo mane*: quia ex quo incipit lumen rationis lucere in hominibus, eos vocat; licèt plerique detrectent, nec tamen omittit iterum atque iterum vocare per omnes ætates. & allicit alios, vt mercenarios, spe præmij, alios intus corripiendo, & simul mercedem suam offerendo, alios denique, veluti iubendo, vt virtuosè occupentur. Amabo hanc sollicitudinem Patris pro salute hominum, dolebo, quòd multi non obsequantur, & ego aliquando restiterim. *Exijt etiam primo mane* mundi vocare operarios; & in vtraque lege, naturæ & scripta: & tandem factus homo. Rogabo, vt mittat operarios idoneos in amplas gentilium regiones, ad gloriam suam.

Psal. 115. 6. *Ioan.* 6. 44. Affectus laudis.

PVNCTVM II.

REDDITIO mercedis. 1. Committit Procuratori suo: hic est Christus, *cui Pater potestatem dedit iudicium facere, quia filius hominis est*, & fit in cuiusque vitæ fine. nam vita est tanquã dies, quæ præterijt, comparata æternitati. vnde Dauid dicebat: *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterijt*: & quia ita viuendum, ac si quotidie

1. Christus iudex. *Ioan.* 5. 7. *Psal.* 89. 4.

tidie vocandi ad mercedem percipiendam. 2. Nec vnius horæ labor fraudatur mercede, quæ tamen æqualis non erit, quia *reddet vnicuique secundùm opera sua*. 3. Magis feruor operis, quàm diuturnitas æstimatur: quo fit, vt nouissimi accipiant eundem denarium, nam hi solent cum maiori humilitate & feruore operari, se indignos mercede putantes; alij autem solent plus præsumere de suo merito. hinc illi vocantur priores ad mercedem, in eo quasi accidentali honore cæteris prælati. Collige, si vna hora tantùm profecerunt, quid si ab initio venissent? quàm beati id vellent, & primo mane paruisse vocanti, & tota vita feruenter operati fuisse? tu iam facito.

2. Merces. Rom. 2. 6.

3. Nouissimi primi.

PVNCTVM III.

MVRMVRATIO priorum. Non murmurabunt sancti: sed per hoc Christus declarare vult, quanti sit meriti, & gloriæ apud Deum, feruenter egisse, vt cæteris sanctis ad inuidiā foret; si ratio status pateretur. Deinde indicantur proprietates remissorum. 1. præsumunt de suis operibus ob diuturnitatem, vnde dicunt: *Hi nouissimi vna hora fecerunt*: feruentes non ita: *portant pondus diei & æstus*: quia remissè operantibus onerosa sunt, licèt non grauia opera; contrà feruentibus leuia, quæ alioqui grauia. 2. Deinde exaggerant suos labores. 3. illi sunt mercenarij, & queruli, taciteque obmurmurant Deo & hominibus, quasi non pro merito

Murmura remissorū. 1.

2.

3.

suo honorentur & promoueantur in hac vita At feruidi solo Dei amore operantes nihil tale, sed quouis fauore, diuino & humano, reputant se indignos. 4. Illi sunt inuidi, & obtrectant feruentibus, quasi nouitijs; isti tacent, & optant, omnes abundare diuinis & humanis fauoribus.

4.

PVNCTVM IV.

Multi peccatores, pauci iusti.

CONCLVSIO *sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi* Nam sunt, qui iudicio hominum habentur primi, & alij contrà nouissimi, cùm iudicio Dei secùs sit. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Multi vocantur ad fidem, & gratiam, sed pauci obediunt: ita etiam inter multos ad perfectionem vocatos plerique sunt remissi, pauci perfecti.

Feria 6. post 2. Quadragesimæ.

MEDITATIO LV.

De Vinea. Matt. 21.

PVNCTVM I.

Seps Angeli.

PROVIDENTIA Dei circa *vineam* Ecclesiæ suæ. 1. *sepem circumdedit ei,* custodiam Angelorum, qui arcēt feras, dæmones à vinea. quin *Dominus in circuitu populi sui* vallauit

Psal. 124. 2.

etiam præceptis, & maximis tū præmijs propositis, tum pœnis. 2. *fodit in ea torcular.* Hæc sunt Sacramenta, Sanguinē Christi continentia, qui expressus est in torculari crucis, vnde Sacramenta vim habent suā, ac inprimis Eu-

2. Sacramenta torcular.

chari-

charistiæ mysterium. Lex etiam diuina dici potest torcular, quia *eius finis est Charitas*, optimum videlicet vinum, quod ipsius etiã Dei cor lætificat. quodq; exprimitur studio mortificationis, & humiliationis quasi prælo. 3. & *ædificauit turrim.* Hæc est diuini oculi omnia contuentis prouidentia. Item *domus Dei*, seu sacra ædes, in qua *inuocatur illius nomen. quod est turris fortißima.* Item sacra Scriptura, per quam eleuantur corda nostra à terrenis, & quæ vt *turris Dauid, ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Habet omnia præsidia contra aduersarios, tum visibiles, tum inuisibiles. 4. & *locauit eam agricolis.* ij sumus nos, quisque pro sua parte, pro anima propria, & pro sibi commissis. *Locauit*, non vendidit, quia dominium sibi retinet: vult autem, vt eam excolamus ita, vt fructum afferat; fructus autem sibi reseruat. 5. *Et peregrè profectus est*, vt liberè pro arbitrio agamus, ac si ille abesset, nec inspiceret: sic probat fidelitatem nostram.

1. Tim. 1. 5.

3. Turris prouidentia Dei.

Prou. 18. 10.

Cant. 4. 4.

4. Locat nobis.

5.

PVNCTVM II.

EXACTIO fructus. Tempus fructus est tota hæc vita: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, & pro nobis & pro alijs. *Misit seruos suos ad agricolas, vt acciperet fructus.* Semper misit Deus hortatores, olim Patriarchas & Prophetas, & tandem filium suum, quem similiter malè exceperũt: vt meritò queratur, *quid est quod debui vltrà facere*

Gal. 6. 18. Deus mittit seruos varios.

Isai. 5. 4.

vineæ meæ? nec desistit adhuc vrgere nos per seruos suos, internasq; motiones, quas repellimus. Et, dum peccamus, iterum Filium Dei crucifigimus. Quin filium in medio nostrûm reliquit, in Venerabili Sacramento, vt saltem eius respectu moueremur ad bene agendum: sed nihil satis duro cordi.

PVNCTVM III.

Dei iusta sententia.

SENTENTIA in malos Agricolas. Ipsimet pronuntiant, *malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Tam sunt iudicia Dei iusta, vt idem contra se proferant rei. quanta etiam hominis malitia; qui, cùm ita sentiat, non tamen sibi applicat ad emendationem. Tum Dominus approbans, ad ipsos applicat. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Terribilis & iusta sententia, quam executus est Dominus in populo suo. Exequitur etiam quotidie, dum alijs abnegantibus fidem alios substituit, & regna ipsa propter peccata transfert ad alios. ac si ego non respondero vocationi meæ, pro vno ingrato plures sibi obsequentes suscitabit.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO LVI.

De Inuitatis ad Nuptias & ad Cœnam Matt. 22. Luc. 14.

Dominica 20. post Trinit.

Conſentiunt ambæ Parabolæ, & eôdem ſpectant.

PVNCTVM I.

SIMILE eſt Regnum cælorum Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Rex hic eſt Pater cæleſtis, qui naturam humanam filio ſuo in vnitate perſonæ mirabiliter copulauit, vtiq; vilem & deformem, ſed copulatam inſigniuit omni lapide pretioſo. Cur non potiùs Angelicam? quia humana magis indigebat. Et in hoc cōmendatur bonitas & charitas Dei. Neque id modò, ſed filium ſuum iam hominē factū deſponſauit Eccleſiæ, animabus fidelibus, in fide & charitate, ornans illam, vt decebat ſponſam filij Dei. Agnoſce, ô anima, dignitatem tuam! Neque id beneficium voluit eſſe paucorū, aut tantùm nobilium, ſed planè omnium, abſque exceptione gradus & conditionis.

Rex Deus, Filius Chriſtus.

PVNCTVM II.

INSTITVIT Nuptialem cœnam, *& miſit vocare inuitatos.* In hac cœna tria proponuntur fercula. 1. Doctrinæ cæleſtis, qua intellectus illuſtratur, & paſcitur.

3. Fercula parat. 1.

2. Præ-

2. 2. Præceptorum & consiliorum, quibus perficiendis voluntas impinguatur, & mirificam
3. capit delectationem. 3. Sacramentorum, vitam præbentium, & nutrientium, quod maximè præstat Eucharistia, in qua ipse sponsus sumi-
Sap. 16. 20. tur, ***omne delectamentum in se habens***. Ad hanc cœnam vocamur per prædicatores, & inspiratores, & alia media. Accurram auidè, vt tantis fruar delitijs.

PVNCTVM III.

Impedimenta tria. INVITATI prætendunt excusationes, quò minùs veniant. 1. ***Villam emi, & necesse***
1. Superbia. ***habeo exire & videre illam.*** Hæc est superbia vitæ, vanitatis, & curiositatis studium. 2. ***Iuga***
2. Auaritia. ***boum emi quinque, & eo probare illa.*** Hæc est sollicitudo nimia temporalium. 3. ***Vxorem du-***
3. Voluptas. ***xi, & ideò non possum venire.*** Si concessa carnis
Luc. 14. 20. cura auocat, quid faciet inconcessa? 4. ***Reliqui***
Detrahentes prædicatoribus. ***tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.*** hoc iam crimen inexpiabile. faciunt hoc, qui benè consulentium & monentium honorem, & famam gladio linguæ concidunt, eosque vellent perditos: In tales excandescit Rex, & *occidi iubet*, euersa ciuitate ipsorum, rebusque omnibus incensis.

PVNCTVM IV.

SVBSTITVVNTVR alij conuiuæ. Non frangitur diuina bonitas in gratitudine spernentium ipsius cœnam, quamuis ex ijs sint, qui minimè debuerant, quippe cultiores:

sed

ſed pergit inuitare abiectiores, qui, quòd in mundo parum habent, liberiores ſunt ab impedimentis veniendi. Iubet autem *vocari pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos*, & obuios quoſque & *compelli ad intrandum*. Non vult haberi rationem vel defectuum naturæ, vel etiam virtutis, quia illi non obſtant: ab his autem accedentes ſanantur per gratiam iuſtificationis. *Compellendos* dicit, ad vim gratiæ diuinæ ſignificandam, quæ etiam rebelles ad ſe compellit voluntates, non cogens, ſed fortiter, ſuauiterque trahens, vt quis amore trahitur. Denique vult, domum menſamque ſuã repleri diſcumbentibus. Quare ne cadamus animo, ob multorum pereuntium ruinas, potens enim & illas reparare, ſuorumque numerum implere.

Vocat ſine reſpectu conditionis nostros.

Punctum V.

Rex diſcumbentes luſtrat, & *videt hominem non veſtitum veſte nuptiali.* Hæc eſt charitas & iuſtitia, ſine qua non eſt accumbendum huic menſæ, præſertim corporis Domini. Imò, quicunque intra Eccleſiam eſt, & bonis illius participat, ſi ad finem mundi, aut vitæ ſuæ fuerit repertus abſque charitate, quando Dominus viſitatum venerit, expelletur foras, & *projicietur in tenebras exteriores.* Sed quomodo inter tot. vnus tantùm inuentus abſque tali veſte? ſignificatur, quòd nemo effugiet diuinos oculos, etiamſi vel vnicus ſit inter innumerabiles. Et tantum id eſſe

Sola fides non ſufficit.

Deum nemo effugiet.

malum,

malum, vt si vel vnicus ex omnibus proijciendus foret, sufficeret, vt omnes contremiscerent: quid autem, quando contrà accidet, vt paucissimi saluentur præ numero pereuntiū? Denique quis ferat illam obiurgationem? *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* vnde tantum ausus? ô quanta confusio futura est tali in præsentia Angelorum & Sanctorum! & ad hæc *obmutescet*. quomodo enim excuset? Obmutescam ego nunc à propria conscientia redargutus, ac emendationem vitæ meditabor.

Confundet malos.

PVNCTVM VI.

SENTENTIA in reum: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Pœna quadruplex. 1. perpetui carceris, in quo vincietur. 2. Obstinationis, *ligatis pedibus*, vt nullos affectus bonos concipiat, & *manibus*, ne bona operetur. Siquidem in hac vita talis fuit inordinatis passionibus obnoxius, & ad bona opera præpeditus. 3. Horribilium *tenebrarum*, quòd visionis Dei clara luce priuabitur, & iudicij lumen in illo tenebrescet, sed & corporeæ tenebræ offundentur, quando ignis ille Infernalis vret, sed minimè lucebit. 4. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* flebit, quia tanti boni iacturam fecit, & crucians malum lachrymas exprimet irremediabiles.

Pœna. 1. Carceris. 2. Obstinationis. 3. Tenebrarum. 4. Fletus.

MEDITATIO LVII.

De decem Virginibus. Matth. 25.

In Communi SS. Virginum.

PVNCTVM I.

IN ECCLESIA sunt boni & mali, prudentes & insipientes, & vtrique Aduentum Christi sponsi exspectant, ad nuptias cum Ecclesia triumphante celebrandas. Fatuis similes sunt, qui lampades habent, sed non oleum, ad fouendum lumen. Veritates fidei tenent, sed non charitatem, lucent exteriùs per opera quædam, sed interna virtute carent: sunt integri corpore, sed non spiritu, profitentur perfectionem, à qua longè absunt. Quid nî stultus sit, qui iudicem omnia peruidentem, & præsertim interna requirentem non aliter paratus expectat? contraria omnia faciunt Prudentes. Fatui qui?

PVNCTVM II.

MORAM *faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Mora fit, quia boni & mali ferè sibi persuadent longiorem vitam, &, vt Dauid loquitur, *annos æternos in mente habent.* vnde boni remissiùs viuunt, & mali peccant liberiùs quod est dormire. *Surge qui dormis, & illumiuabit te Christus.* *Psal. 76. 6.* *Ephes. 5. 14.*

Item dormio vocari potest ægritudo, aut senectus, aut alia causa disponens ad mortem, cuius imago quædam est ipse somnus. Priuat enim vsu delectabilium, vt mors, & quamuis *Dormire quid?*

repel-

repellatur, tandem obruit vigilantem. Cùm me ad somnum compono, mortis memoriam reuocabo.

Iudicium repentinū.

Media autem nocte clamor fit: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Cùm minimè cogitatur, ex improuiso. proinde hanc vocem insonare auribus meis assiduè curabo. Venit autem vt sponsus prudentibus, at stultis vt iudex. Eandem vocem audire mihi videar, cùm ad sacram communionem accedo.

PVNCTVM III.

Stultitia peccatorū.

ADVENTVS sponsi. *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ* in aduentum sponsi: & quasi ex somno graui experrectæ circumspicient se ipsas, & lampades suas, quas stultæ deprehendent inconcinnas, ad occurrendum sponso, & serò de oleo cogitabunt, cumque irrisione mittentur ad vendentes, qui nulli ibi erunt, quando omnis sublata erit auxilij occasio. Ergo nunc mihi prospiciam.

Iustorum exultatio.

Ad prudentes paratæ occurrent. ô quàm sibi gratulabuntur! quanta gestient lætitia à visione clara sponsi? à complexu & osculo beatificæ charitatis! à delicijs mensæ illius! tunc lampas cuiusque lucebit centupliciter, à lumine charitatis, vultûs sponsi, & flammas emittet sincerissimæ charitatis, redundante oleo diuinæ consolationis, sine metu, & absque periculo extinctionis in æternum.

PVNCTVM IV.

CLAVSA *est ianua*, tùm prudentibus, quæ nunquam ab illa felicitate excidere poterunt, tum fatuis, quibus nunquam patebit ingressus, obiecto illo quasi pessulo inuiolabili: *Nescio vos* Conclusio Parabolæ est: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* — Vigilate. *Mar.* 13. 37.

MEDITATIO LVIII.

De Talentis. Matth. 25. Lucæ 19.

In Comm. Confessorum.

PVNCTVM I.

QVAE sunt ista talenta? 1. bona naturæ, tam corporis quàm animæ. 2. bona externa, & acquisita, vt scientiæ officia, honores. 3. propria fidelium, sed communia cum malis, vt fides, spes, ius Sacramentorum. 4. propria iustorum, Charitas, & dona, quibus negotiantur, & merentur sibi incrementum gloriæ. 5. gratis data, pro ædificatione Ecclesiæ, & animarum salute promouenda. — Talenta quinque. 1. 2. 3. 4. 5.

Dator omnium est Deus, à quo recognoscenda sunt: dantur autem non æqualiter, sed iuxta triplicem mensuram in Parabola expressam: *quinque, duo, vnum*: de quo nemo queri potest, quia nulli Deus debet, & distribuit pro sapientia sua. Dat autem secundùm propriam cuiusque virtutem, prout videt cuique conuenire, respectu finis, propter quē dantur. Finis autem est salus & perfectio tùm — Deus dator

nostra, tùm proximorum, pro cuiusque viribus. Dantur enim, vt negotiemur. *Negotiamini, dum venio.* quo prohibentur duo extrema, & cessatio, & profusio. nam vtendum est talentis, nec temerè impendenda cum periculo amittendi. O Domine, da mihi non spiritum huius mundi, sed *spiritum, qui ex Deo est*, vt sciam, *quæ à Deo data sunt mihi*, vt illis benè vtar, nec prætereat me dies sine lucro: gratias autem agam pro acceptis, non inde superbiens, aut alij me præponens; sed nec plura appetens, quàm tuæ visum est prouidentiæ.

Dat, vt negotieris.

1. Cor. 2. 12.

PVNCTVM II.

VSVS Talentorum: qui duo, & quinque acceperant, totidem lucrati sunt: par industria in talentis inæqualibus. Vt nemo putet, minùs sibi contendendum, quòd pauciora acceperit. Imò Lucas ait: quòd *vna mina* lucrata sit in alio *quinque minas*, in alio *decem*. Tantùm valet conatus, sed non sine gratia, sicut dicit Paulus: *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Feruorē lucramur.

Luc. 19, 16.

1. Cor. 15. 10.

Piger autem talentum fodit in terram. nec excusat, quòd cæteris minùs acceperat. quia & vna mina potuit decem facere, sed contingit, vt, qui minùs se habere vident, desperdeant animum, vt pigritiæ se dedant: ac si circa terrena se aliquid posse aduertant, illuc omne applicent studium, posthabitis melioribus. Cæterùm *qui plus accepit, plus exigetur* ab

Minus habentes desperant.

Luc. 12. 48. S. Gregor. Hom. 9.

ab illo. nam cùm augentur dona, rationes et iam crescunt donorum.

PVNCTVM III.

EXACTIO rationum. 1. post multum temporis. Vt nemo excusari possit defectu temporis ad negotiandum, & quia iudicium generale erat differendum 2 fiducia bonæ negotiationis in fine vitæ, cùm dicere poterit *Domine, ecce alia quinque super lucratus sum* 3 remuneratio: *Euge serue bone & fidelis.* O magnum à Deo testimonium! bonus à vita fidelis ex vsu donorum. *Quia super pauca fuisti fidelis:* pauca, & parua sunt præ cœlestibus, quæ rependam tibi. *Intra in gaudium*, absorbere prorsus gaudio, atque circumflue. *Inebriari ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis satiare.* 4. Eadem verba dicuntur ei, qui duobus duo lucratus est, quia etsi talenta inæqualia, non item labor, & industria, siquidem accepta duplicauit: æstimatur autem meritú ex comparatione ad gratiam, quæ fuit in vtroque par. Et potuit etiam esse maior cooperatio in eo, qui minùs habuit: vnde plus accepisset præmij, vt qui vna *mina lucratus est decem*, accepit *decem ciuitates*; qui autem quinque tantùm, totidem accepit. Vide anima, quanti fit, feruenter cooperari gratiæ Dei.

1. Tempus dat Deus.

2.

3. Remuneratio.

Psal. 35. 9.

4. Diligentię ratio habebitur.

PVNCTVM IV.

EXCVSATIO pigri: *scio quia homo austerus es, metis vbi non seminasti.* hæ sunt excusa-

Serui pigri nalitia.

cusationes in peccatis, timores fingere, & pericula. Nequaquam austerus est, sed blandus, nec metit, vbi non seminauit, imò seminans multum, colligit ferè parum.

Pœnæ. 1. Reprehensio.

Obiurgatio pigri sanè terribilis coram Angelis & Sanctis. 1. compellat: *serue male & piger*, atque ex ipsismet verbis eum redarguit: Cogitabas, me esse talem, & tamen neglexisti operari?

2. Priuatio.

2. iubet ab eo *auferri talentum*, quod etiam in hac vita cõtingit ob desidiam, in altera autem irremissibiliter in perpetuum. Iubet autem *dari habenti decem*, quòd ablatio talenti cedat in gloriam accidentalem bonorum applaudentium, iusto Dei iudicio.

3. Tenebræ.

3. *eijcitur in tenebras exteriores.* quòd si is, qui tantùm non est vsus, quid ei futurum, qui fuerit abusus ad iniuriam Dei?

Digitized by Google

Part. 4. pag: 433

PARS QVARTA MEDITATIONVM.

DE PASSIONE DOMINI nostri Iesu Christi.

INTRODVCTIO AD MEDITATIONES HVIVS Quartæ Partis, de Pasſione Domini.

MEDITATIO de Paſsione Domini, tametſi peculiariter conueniat vitæ illuminatiuæ, confert tamen omnibus. Inde enim iuuantur peccatores ad reſipiſcendum; Incipientes ad paſsiones edomandas. Proficientes ad progreſſum in virtutibus; Perfecti ad vnionem cum Deo Per eam innouantur prodigia mortis Chriſti in animis. *Terra tremit*, hoc eſt, terrena corda concutiuntur ſalubri metu à tam ſeuera animaduerſione diuinæ iuſtitiæ in Filium ob peccata aliena. *Petræ ſcinduntur* emolliente dolore de peccatis, pro quibus talia Chriſtus perpeſſus ſit. *Sepulchra aperiuntur*, per humilem confeſsionem in reſurrectionem nouæ vitæ. *Velum templi rumpitur à ſummo vſque deorſum*, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculari liceat, tum ſumma diuinarum per-

Vtilitas. *Mat.28.51.* Timor. Contritio. Confeſſio. Contemplatio.

tificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Et de hoc gloriatur: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Præter hæc,& ex his cõsequeter studium imitandi heroicas virtutes, quarũ viuum exemplar in sua passione Dominus expressit; qui finis est præcipuus, & cõmendatur à D. Petro, cũ ait: *Christo igitur passo in carne,& vos eadẽ cogitatione armamini.*

Gal. 6. 17.

1. Pet. 4. 1.

Preparatio.

Iam, vt finem propositum in Meditatione Dominicæ passionis assequamur, opus est preparatione, non solùm ob communem rationẽ, quâ iubemur ante orationem præparare animam, ne simus, *quasi homo qui tentat Deum*, sed etiam ob specialẽ, quia ipsemet Dominus, ad obeundam passionem, semet magno studio comparauit. Quare cogitabo, ipsum Christũ mihi dicere illud: *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis.* Respondebo autẽ, quod subijcitur: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea: Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Nam deuota commemoratio passionis Christi, fiduciam excitat. Præparatio igitur esse debet, quam præscribit Bonauentura. Debet homo aggredi hoc tam nobile opus humiliter, confidenter, instanter, & cũ quanta potest cordis sui munditia.

Eccl. 18. 23.

Thren. 3. 20.

In stimul. c. 4.

Prou. 18. 17.

I. Humiliter.

I. *Humiliter*, non solùm ex communi causa, quia *iustus initio orationis accusator est sui*; sed speciatim ex consideratione, quòd ego Dominũ meum in eas ærumnas coniecerim, vnde magnopere confundar. Ampliùs, reputabo

me indignum, qui Christo patienti assistam, nam priuilegij fuit, quòd tribus discipulis in horto cõmunicauit sui animi angorẽ, quodq; Ioannem & Magdalenam sibi morienti interesse voluit cum Matre sua. Superbi autem arcentur ab isto spectaculo. Sicut in Iob dicitur: *Timebunt, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* *Iob* 37. 24.

II. *Confidenter*, quòd fiam particeps fructûs, ob quem passus est Dominus, si passionis ipsius meditationi intendam. Et excitabo fiduciam ex triplici capite, ex *merito* eiusdem passionis ex *affectu* illo Christi, quo misertus nostri factus est noster aduocatus per passionem suam; denique ab *exemplo* latronis, qui in cruce locum gratiæ inuenit. II. Confidenter.

III. *Instanter*, vt orauit Christus ante passionem, non somnolenter, vt discipuli.

IV. Cum *munditia*, quales docet pro tam pretioso liquore excipiendo nos exhibere. III. Instanter. IV. Munde.

Restat dicere de modo meditandi, qui, ad vitandum tædium, potest esse multiplex. Duo sunt modi suprà indicati, vel, vt consideretur vniuersè ipsa passio, tanquam insigne beneficium nobis collatũ, grates Deo agendo; vel vt summè afflictiua Christi, ei compatiendo. Sed specialiùs ad singulas passionis partes descendere debemus, idq; duobus item modis. Vel persequendo ordine historiam, & in singulis partibus immorando, pro ratione fructûs, qui percipitur, vel aliquam ex virtutibus Christi, in passione præcipuè relucenti- Modus meditandi Specialiorum.

 bus,

bus, ob oculos proponendo, & actus omnes, vbi enituit, studiosè percurrendo, vel loco virtutis certũ genus doloris aut contumeliæ, quod sustinuit, per plures occasiones, similiter expendendo, vel denique quæcunque in vno aliquo corporis membro pertulit, simul colligendo.

MEDITATIO PRIMA, ET QVASI FVNDAMENTVM RELIQVARVM, DE CIRCVMSTANTIIS DOMINICÆ PASSIONIS.

PVNCTVM I.

1. *Pet.* 2. 1. Persona patientis. 1. QVIS patitur? 1. Agnus sine macula, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Sanctus Sanctorum, cui Spiritus datus est absque mensura. Quem ipsi crucifixores filium Dei, & iustum agnouerunt, *Matt.* 27. 54 *Luc.* 23. 47. quando compuncti dicebant: *verè filius Dei*, & homo iustus *erat iste.* 2. Patitur is, qui 2. se totum impenderat in beneficium aliorum *Actor.* 10. 38. *benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Itaque non solùm talia supplicia meritus non fuerat, sed omne potiùs obsequium. *Psal.* 34. 12. vnde conqueritur: *Retribuebant mihi mala* 3. *pro bonis.* 3. Patitur magnus ille amator hominum, qui nobis omnia factus est, ipse Pater

nefter, Magifter, Medicus, Redemptor, Paftor, Creator, Beatificator, Sponfus animarum. Si Filius, Patris, fi fponfa debet fponfi pœnas, necemque perfentire, qualiter ego Chrifti, qui etiam ante pafsionem in Sacramento mirabili fe intimè in præcordia noftra infinuauit, vt illius vicifsim pafsiones quafi noftras fentiremus.

PVNCTVM II.

QVANTVM patitur Ad duo capita reuocatur, ad externas pafsiones, quas vocauit ipfe Dominus baptifmum; *baptifmo habeo baptizari*: & ad internas, quas *calicu* nomine fignificauit. Atrocitas paſſionis. Luc. 12.50.

I. Quoad primum caput, fuftinuit omne genus pafsionum. In rebus externis, quia ipfis exfpoliatus *veftibus*, nudus palàm crucifixus eft, partientibus illas inter fe crucifixoribus. 2. In *honore*, omne genus contumeliæ in ipfum iactatum fuit. 3. In *fama*, variè traductus fuit in genere virtutis, habitus eft pro *Samaritano*, & poffeffo à Dæmone, feductore, vorace, vini potatore, blafphemo, & reprobo. 4. In genere *fapientia*, fine literis, furiofus, & ftultus. 5. Quoad *miracula*, impoftor, & magus, & quòd in Beelzebub operaretur. 6. In *corpore*, cruciatus, tum per fe maximos, tum ex complexione delicata fuftinuit. 7. In *amicis*, vel quia ab ijs defertus fuit, vel quòd illorum vicem, præcipuè Matris valdè doleret.

I. In externis.

Ioan 8.48.

Ioan 7.15.

II. In sensibus corporis.

II. Deinde, licèt discurrere per quinque sensus. *Oculi* cruciabantur visis subsannantium actibus, & gestibus; contrà verò lachrymis ipsum amantium, sed & sputis deturpati, & sanguine ex capite desluente oppleti, nec non proprijs lachrymis exesi. *Aures* autem exulceratæ audiendis blasphemijs, falsis testimonijs, atque indignissimis accusationibus aduersum se. *Odoratus* ab Caluariæ graueolentia. *Gustatus* à siti ardenti, & oblato in solatium aceto. *Tactus* per omnia membra à flagellis, spinis, & clauis.

III. In mēbris externis. *Isaia* 1.6.

III. Præterea, licèt partes corporis præcipuas percurrere, & in singulis propria considerare tormenta, vt verum de Christo sit, *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

IV. Interior afflictio.

IV. Dolores interni maximi fuerunt, vt ex agonia apparet, cum sudore sanguineo.

PVNCTVM III.

Circumstātiæ persecutorum Christi.

1. A Quibus patitur? 1. fuerunt ex omni genere hominum, summo, medio, & infimo, nec non sacro, & prophano, vt patet ex historia; & in quos contulerat plurima beneficia toto prædicationis suæ tempore.
2. 2. furebant in Christum varijs concitati motibus. Alij non ferebant, vitia sua ab eo coargui, alij metuebant sibi à Cæsare, alij cæco Zelo Religionis ducebantur.
3. *Ioan.* 13. 2. 3. incentores fuerunt potestates tenebrarum, dæmones: nam *Diabolus*

misit in cor, vt traderet eum Iudas Et Christus ipse in comprehensione dixit: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Nec sicut Iob permissus est Sathanæ, vt *tamen illius animam seruaret*, ita & Christus; sed hic absque exceptione. 4 augebant Christi dolores, quòd intueretur corda torquentium, cerneretque, quanta in ipsum rabie agerentur, vt parua essent, quæ inferebant, præ odij magnitudine.

Luc. 22, 53.

Iob 2. 6.

4.

PVNCTVM IV.

PRO quibus patitur? I. pro omnibus omnino hominibus, vt redderet Deo honorem ab eis ablatum, vt iratum hominibus placaret; vt gratiam & media ad æternam salutem necessaria illis procuraret vt cœlum eis aperiret, gloriamque beatitudinis acquireret. Ad quæ opus fuit infinito pretio, non solùm, quia demerita fuerunt innumera, sed quia infinitę malitiæ, ob Dei offensi infinitam maiestatem. Et quamuis suffecisset vna gutta sanguinis, ob patientis personæ infinitam dignitatem, voluit tamen totum fundere, vt copiosa esset Redemptio, & superabundans, ac, vt ex consideratione remedij (sicut ait Bernardus) periculi mei æstimem magnitudinem. Porrò quia totus homo saucius erat, voluit per omnia pati, vt vitijs singulis propriam adhiberet medicinam, cupiditati nostræ nuditatem suam, superbiæ nostræ opprobria sua, &c.

I. Passus pro omnibus hominibus

Sermo 3. de Natiuit.

Toto corpore pati voluit.

II. Pro inimicis patitur, proque ipsis crucifixo-

II. Pro inimicis.

cifixoribus, vt huius ipsius peccati veniam à Deo ipsis impetret, vnde & pro illis orauit in Cruce Patrem, etiam excusans, quòd *nescirent quid facerent.*

III. Pro singulis. *Galat. 2.20*

III. Ita pro omnibus patitur, vt pro singulis Patri æterno offerret cruciatus suos. Et ita illos mihi applicabo cum S. Paulo dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

PVNCTVM V.

Ex amore passus. *Ephes. 3.19.*

QVo affectu Christus patitur? Ardentissimæ charitatis, de quâ S. Paulus, *vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.*

Amoris signa. 1. *Luc. 12. 50.* 2. 3.

Signa sunt huius affectus. 1. quòd desiderauerit ardenter pro nobis pati, *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dū perficiatur.* 2. quòd aduentantes passiones vltrò amplexus est, contrà quàm multi sunt, qui contrarium faciunt, qui profitentes illarum desiderium, defugiunt experimentum. 3. quòd paratus fuit multò plura pati, quàm hostes infensissimi excogitare potuerunt.

PVNCTVM VI.

I. Virtutes cur exercuit in passione.

VIRTVTES Christi in passione relucentes. I. voluit tunc præcipuè omnes exercere, quia venerat vt Magister, verumque illarum exemplar, & ita voluit in fine tanquam

compendio omnium ſpecimen præbere. Deinde, vt, quia per paſsionem promerebatur nobis ipſas virtutes, earundem actibus ipſas nobis mereretur. Præterea, vt quæ iacebant in obſcuro, ſic magis proferret, & illuſtraret. Tandem, vt illas quaſi vltimam ſuam voluntatem nobis relinqueret: quod de charitate dixerat, *hoc eſt præceptum meum.*

II. Exercuit octo Beatitudines.

II. Exercuit heroicos illos actus, à quibus beatos pronuntiauerat, qui tales eſſent: *Paupertatem ſpiritûs*, etiam à veſtimentis, dum pendet nudus, & affinem huic *humilitatem*: factus *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* (Pſal. 21. 6.) *Manſuetudinem*, qui, *cùm malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*, & *tanquam Agnus manſuetus ad occiſionem ductus eſt*, & *coram tondente ſe obmutuit.* (1. Pet. 2. 23.) (Iſai. 53. 7.) Luxit, quando *clamore valido & lachrymis preces & ſupplicationes obtulit in cruce*: quin & guttas Sanguinis toto corpore effudit, præ luctus magnitudine. (Hebr. 5. 7.) *Sitiuit iuſtitiam* inſatiabiliter, cuius omnes partes implere voluit, & tandem, vt eam nobis pararet, mori *ſitio*. *Miſericors* fuit ita, vt ſua & ſe pro ſubleuandis miſerijs noſtris mille modis impenderit, nulla ſui habita ratione. *Mundus corde*, vnde & placuit illius ſacrificium Patri. *Talis enim decebat vt eſſet nobis Pontifex Sanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* (Heb. 7. 26.) *Pacificus* fuit, quia per mortem ſuam pacificauit nos Deo, & *fecit vtraque vnum.* (Epheſ. 2. 14.) *Paſſus* denique eſt *propter iuſtitiam*

tiam, & passus omnia illa summo gradu: *Cùm*
Matt. 5. 11. *maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum*, &c.

III. Eius obedientia. III. sigillatim obedientia eius consideranda est, ex verbis Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* 1. in
Philip. 2. 8. opere difficillimo 2. integerrima, *sciens quia*
Ioan. 19. 28. *iam omnia consummata sunt, vt consummaretur* Scriptura, *dixit: Sitio*, vt & hæc pœna impleretur, quòd potatus est aceto. 3. promptissima: *Ego autem non contradico.* 4. humillima: subiecit se vel pessimis. *Dominus aperuit mi-*
Isai. 50. 5. *hi aurem*, vt obedirem *Ego autem non contradico, retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus me.* 5. constans, vsque ad mortem. Atque
Ioan. 14. 31. ex amore obediuit, *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

PVNCTVM VII.

Septem Christi stationes. SEPTEM itinera, aut stationes, quas Christus in sua Passione obiuit. 1. à cœnaculo ad hortum, vbi tristatus est, orauit, & sudauit sanguinem. 2. ab horto, vbi comprehensus est, ad Annam. 3. Ab Anna ad Caipham. 4. inde ad Prætorium Pilati. 5. ad Herodis regiam. 6 regressio ad Pilatum. 7. ad Caluariam. Circa singulas possunt varia considerari: persona

Christi

Christi patientis, eiusque internus sensus, & gressus &c. deinde socij, & loca, ad quæ circumducitur.

PVNCTVM VIII.

DOLORES B. Virginis ob Christi passiones. Tanti fuerunt, quantus amor, qui fuit summus. 1. quia erat filius eius naturalis, & totus eius, quia sine Patre eum conceperat, ac proinde Patris, & Matris simul amore illum prosequebatur. accedebat ille stimulus, quòd Spiritu sancto obumbrante conceperat, qui est ipse amor. 2. quia primogenitus, & vnigenitus fuit, ex quo solet exaggerari dolor, vt apud Zachariam, *plangebant eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebant super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* 3. ob similitudinem singularem, vnde solent Matres amare magis aliquem inter filios. Fuit autem Christus Matri simillimus toto corporis habitu, & illa vicissim ipsi Christo morũ atque virtutum præstantiâ. 4. ob Christi miram sanctitatem, atque sapientiam. Charitas enim ordinata magis amat sanctiores, quippe Deo coniunctiores: quòd si accedat naturæ coniunctio, quæ est maxima filij cum Matre, conspirantibus gratiâ, & natura, crescit amor mirificè, ac proinde dolor. Quòd si mulieres illę adeò lamentabantur, considerantes Christi innocentiam; quid senserit Mater, quæ tanto maiorem illum esse nouerat? 5. ob bona à Christo accepta; nam *fecit ei magna qui potens*

Dolores B. Virginis ex amore.

1. Quia filius naturalis.

2. Primogenitus. *Zach. 12. 10*

3. Sibi simillimus.

4. Sanctissimus.

5. Benefactor infinitus. *Luca 1. 49.*

repellatur, tandem obruit vigilantem. Cùm me ad somnum compono, mortis memoriam reuocabo.

Iudicium repentinũ.

Media autem nocte clamor fit: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Cùm minimè cogitatur, ex improuiso. proinde hanc vocem insonare auribus meis assiduè curabo. Venit autem vt sponsus prudentibus, at stultis vt iudex. Eandem vocem audire mihi videar, cùm ad sacram communionem accedo.

PVNCTVM III.

Stultitia peccatorũ.

ADVENTVS sponsi. *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ* in aduentum sponsi: & quasi ex somno graui experrectæ circumspicient se ipsas, & lampades suas, quas stultæ deprehendent inconcinnas, ad occurrendum sponso, & serò de oleo cogitabunt, cumque irrisione mittentur ad vendentes, qui nulli ibi erunt, quando omnis sublata erit auxilij occasio. Ergo nunc mihi prospiciam.

Iustorum exultatio.

Ad prudentes paratæ occurrent. ô quàm sibi gratulabuntur! quanta gestient lætitia à visione clara sponsi? à complexu & osculo beatificæ charitatis! à delicijs mensæ illius! tunc lampas cuiusque lucebit centupliciter, à lumine charitatis, vultûs sponsi, & flammas emittet sincerissimæ charitatis, redundante oleo diuinæ consolationis, sine metu, & absque periculo extinctionis in æternum.

PVN-

PVNCTVM IV.

CLAVSA *est ianua*, tùm prudentibus, quæ nunquam ab illa felicitate excidere poterunt, tum fatuis, quibus nunquam patebit ingressus, obiecto illo quasi pessulo inuiolabili: *Nescio vos* Conclusio Parabolæ est: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* Vigilate. *Mar.* 13. 37.

MEDITATIO LVIII.

In Comm: Confessorum.

De Talentis. Matth. 25. Luca 19.

PVNCTVM I.

QVAE sunt ista talenta? 1. bona naturæ, tam corporis quàm animæ. 2. bona externa, & acquisita, vt scientiæ officia, honores. 3. propria fidelium, sed communia cum malis, vt fides, spes, ius Sacramentorum. 4. propria iustorum, Charitas, & dona quibus negotiantur, & merentur sibi incrementum gloriæ. 5. gratis data, pro ædificatione Ecclesiæ, & animarum salute promouenda.

Talenta quinque. 1. 2. 3. 4. 5.

Dator omnium est Deus, à quo recognoscenda sunt: dantur autem non æqualiter, sed iuxta triplicem mensuram in Parabola expressam: *quinque, duo, vnum*: de quo nemo queri potest, quia nulli Deus debet, & distribuit pro sapientia sua. Dat autem secundum propriam cuiusque virtutem, prout videt cuique conuenire, respectu finis, propter quē dantur. Finis autem est salus & perfectio tùm

Deus dator

Dat, vt negotieris.

nostra, tùm proximorum, pro cuiusque viribus. Dantur enim, vt negotiemur. *Negotiamini, dum venio.* quo prohibentur duo extrema, & cessatio, & profusio. nam vtendum est talentis, nec temerè impendenda cum periculo amittendi. O Domine, da mihi non spiritum huius mundi, sed *spiritum, qui ex Deo est*, vt sciam, *quæ à Deo data sunt mihi*, vt illis benè vtar, nec prætereat me dies sine lucro: gratias autem agam pro acceptis, non inde superbiens, aut alij me præponens; sed nec plura appetens, quàm tuæ visum est prouidentiæ.

1. Cor. 2. 12.

PVNCTVM II.

Feruorê lucramur.

Luc. 19. 16.

VSvs Talentorum: qui duo, & quinque acceperant, totidem lucrati sunt: par industria in talentis inæqualibus. Vt nemo putet, minùs sibi contendendum, quòd pauciora acceperit. Imò Lucas ait: quòd *vna mina* lucrata sit in alio *quinque minas*, in alio *decem*. Tantùm valet conatus, sed non sine gratia, sicut dicit Paulus: *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

1. Cor. 15. 10.

Minus habentes desperant.

Piger autem talentum fodit in terram. nec excusat, quòd cæteris minùs acceperat. quia & vna mina potuit decem facere, sed contingit, vt, qui minùs se habere vident, despondeant animum, vt pigritiæ se dedant: ac si circa terrena se aliquid posse aduertant, illuc omne applicent studium, posthabitis melioribus. Cæterùm *qui plus accepit, plus exigetur* ab

Luc. 12. 48. S. Gregor. Hom. 9.

bello. nam cùm augentur dona, rationes et iam crescunt donorum.

PVNCTVM III.

EXACTIO rationum 1. post multum temporis. Vt nemo excusari possit defectu temporis ad negotiandum, & quia iudicium generale erat differendum 2 fiducia bonæ negotiationis in fine vitæ, cùm dicere poterit *Domine, ecce alia quinque super lucratus sum* 3 remuneratio: *Euge serue bone & fidelis.* O magnum à Deo testimonium! bonus à vita fidelis ex vsu donorum. *Quia super pauca fuisti fidelis:* pauca, & parua sunt præ cœlestibus, quæ rependam tibi. *Intra in gaudium*, absorbere prorsus gaudio, atque circumflue. *Inebriari ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis satiare.* 4. Eadem verba dicuntur ei, qui duobus duo lucratus est, quia etsi talenta inæqualia, non item labor, & industria, siquidem accepta duplicauit: æstimatur autem meritū ex comparatione ad gratiam, quæ fuit in vtroque par. Et potuit etiam esse maior cooperatio in eo, qui minùs habuit: vnde plus recepisset præmij, vt qui vna *mina lucratus est decem*, accepit *decem ciuitates*; qui autem quinque tantùm, totidem accepit. Vide anima, quanti sit, feruenter cooperari gratiæ Dei.

1. Tempus dat Deus.

2.

3. Remuneratio.

Psal. 35.9.

4. Diligentię ratio habebitur.

PVNCTVM IV.

EXCVSATIO pigri: *scio quia homo austerus es, metis vbi non seminasti.* hæc sunt excusa-

Serui pigri nalitia.

cusationes in peccatis, timores fingere, & pericula. Nequaquam austerus est, sed blandus, nec metit, vbi non seminauit, imò seminans multum, colligit ferè parum. Obiurgatio pigri sanè terribilis coram Angelis & Sanctis.

Pœnæ. 1. Reprehensio. 1. compellat: *serue male & piger*, atque ex ipsiusmet verbis eum redarguit: Cogitabas, me esse talem, & tamen neglexisti operari?

2. Priuatio. 2. iubet ab eo *auferri talentum*, quod etiam in hac vita cōtingit ob desidiam, in altera autem irremissibiliter in perpetuum. Iubet autem *dari habenti decem*, quòd ablatio talenti cedat in gloriam accidentalem bonorum applaudentium, iusto Dei iudicio.

3. Tenebræ. 3. *eijcitur in tenebras exteriores.* quòd si is, qui tantùm non est vsus, quid ei futurum, qui fuerit abusus ad iniuriam Dei?

INRI

Part. 4. pag: 433.

PARS QVARTA MEDITATIONVM.

DE PASSIONE DOMINI nostri Ieſu Chriſti.

INTRODVCTIO AD MEDITATIONES HVIVS Quartæ Partis, de Paſsione Domini.

EDITATIO de Paſsione Domini, tametſi peculiariter conueniat vitæ illuminatiuæ, confert tamen omnibus. Inde enim iuuantur peccatores ad reſipiſcendum; incipientes ad paſsiones edomandas. Proficientes ad progreſſum in virtutibus, Perfecti ad vnionem cum Deo Per eam innouantur prodigia mortis Chriſti in animis *Terra tremit*, hoc eſt, terrena corda concutiuntur ſalubri metu à tam ſeuera animaduerſione diuinæ iuſtitiæ in Filium ob peccata aliena. *Petræ ſcinduntur* emolliente dolore de peccatis, pro quibus talia Chriſtus perpeſſus ſit. *Sepulchra aperiuntur*, per humilem confeſsionem in reſurrectionem nouæ vitæ. *Velum templi rumpitur à ſummo vſque deorſum*, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculari liceat, tum ſumma diuinarum per-

Vtilitas.

Mat. 28, 51.
Timor.

Contritio.

Confeſſio.

Contemplatio.

fectionum, tum ima carnis assumptæ
tra est refugium Herinaceis, hoc est, p
ribus horrentibus à spinis. Huc puri
columbæ, aduolant & in foraminib
huius nidificant. Et alij quasi cer
montes excelsos petere (quorum c
tio in cœlis est,) inueniunt locum re
Deut. 32. 13. nis suæ. Hinc *fugunt* omnes *mel a*
oleumq; de saxo durißimo: fuit enim
in passione sua quasi petra durissima
stinendum cruciatus & iniurias, & e
cussa manauit oleum ad curanda
Finis. nostra & mel cœlestium consolation

Ex hoc principio colligi potest, q
beat esse finis cuiusque in meditando
vel purgandi animam à peccatis, vel
uendi in virtutibus, vel vniendi cum
Modus meditandi. affectus charitatis ardentes Porrò p
meditari licet per modum tùm gaud
I. moeroris. Gaudio est, quòd, vt ait Iul
Iustinianus. *diuinæ miserationis reseratur abyssus;*
aperitur ianua, charitatis latitudo ost
& quātus sit homo demonstratur. Vile
nō potest, quod Filij Dei sanguine com
Gen. 22. 13. Hinc Abraham in Ariete, loco filij
substituto, videns hunc diem Domi
sionis gauisus est, Et ipse Christus co
nis, desponsationis, & lætitiæ cordis
II. hunc vocat in Cantico. Modus iste
perfectis. Alter modus est mœroris
passionis, quòd Christus tanta sit pa
ego causam præbuerim: cumque il

horruerit, & triſtatus fuerit, decet me commori, ne cadat in me illa eius querela: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.* Porrò Chriſtus bibit calicem paſsionis, tum ferendo cruciatus in corpore, tum eos priùs animo reputando. De priori modo dixit filijs Zebedæi: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* De poſteriori autem apud Marcum additur: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* quaſi aſſiduè biberet, etiam tunc præſenſione impendentis ſupplicij: ſed in horto Gethſemani planè exhauſit. Quare debemus contendere, vt vtroque modo etiam nos calicem bibamus, tùm conformitate patiendi, tum affectu compaſsionis.

Pſal. 68. 21.

Chriſtus paſſus corpore & anima.

Matt. 20. 22.

Marc. 10. 38.

In affectu hoc imitabimur Chriſti matrem, cuius *animam pertranſiuit gladius*: Et eſt peculiare donum Dei, de quo Iſaias: *Aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent quaſi ſuper vnigenitũ*: quod etſi exponi ſolet de Iudæis, ſerò lugentibus peccatũ ſuum; tamen conuenit in eos etiam, qui ſeriò cogitant ſe dediſſe cauſam Chriſti morti, & ex intimis ſenſibus dolent. Sed hoc ſatis non eſt, niſi accedat conformatio in paſsionibus, partim aſſumptis voluntarijs pœnis corporis, partim vltrò obuenientibus incommodis gratanter ſuſcipiendis. Nam Paulus in donis Dei ponit, *non ſolùm, vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Et alibi de ſe ſcribit: *Semper mortifica-*

Imitatio Chriſti.

Luc. 2. 35.

Zach. 12. 10.

Phil. 1. 29.

2. Cor. 4. 10.

tificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Et de hoc gloriatur: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Præter hæc, & ex his cõsequeter studium imitandi heroicas virtutes, quarũ viuum exemplar in sua passione Dominus expressit; qui finis est præcipuus, & cõmendatur à D. Petro, cũ ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eade cogitatione armamini.*

Gal. 6. 17.

1. Pet. 4. 1.

Pręparatio.

Iam, vt finem propositum in Meditatione Dominicæ passionis assequamur, opus est pręparatione, non solùm ob communem rationẽ, quâ iubemur ante orationem præparare animam, ne simus, *quasi homo qui tentat Deum*, sed etiam ob specialẽ, quia ipsemet Dominus, ad obeundam passionem, semet magno studio comparauit. Quare cogitabo, ipsum Christũ mihi dicere illud: *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis.* Respondebo autẽ, quod subijcitur: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea: Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Nam deuota commemoratio passionis Christi, fiduciam excitat. Præparatio igitur esse debet, quam præscribit Bonauentura. Debet homo aggredi hoc tam nobile opus humiliter, confidenter, instanter, & cũ quanta potest cordis sui munditia.

Eccl. 18. 23

Thren. 3. 20

In stimul. c. 4.

Prou. 18. 17.

I. Humiliter.

I. *Humiliter*, non solùm ex communi causa, quia *iustus initio orationis accusator est sui*; sed speciatim ex consideratione, quòd ego Dominũ meum in eas ærumnas coniecerim, vnde magnopere confundar. Ampliùs, reputabo

me

me indignum, qui Christo patienti assistam, nam priuilegij fuit, quòd tribus discipulis in horto cómunicauit sui animi angorē, quodq; Ioannem & Magdalenam sibi morienti interesse voluit cum Matre sua. Superbi autem arcentur ab isto spectaculo Sicut in Iob dicitur: *Timebunt, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* *Iob 37. 24.*

II. *Confidenter*, quòd fiam particeps fructûs, ob quem passius est Dominus, si passionis ipsius meditationi intendam. Et excitabo fiduciam ex triplici capite, ex *merito* eiusdem passionis ex *affectu* illo Christi, quo misertus nostri factus est noster aduocatus per passionem suam; denique ab *exemplo* latronis, qui in cruce locum gratiæ inuenit. II. Confidenter.

III. *Instanter*, vt orauit Christus ante passionem, non somnolenter, vt discipuli.

IV. Cum *munditia*, quales docet pro tam pretioso liquore excipiendo nos exhibere. III. Instanter.

Restat dicere de modo meditandi, qui, ad vitandum tædium, potest esse multiplex. Duo sunt modi suprà indicati, vel, vt consideretur vniuersè ipsa passio, tanquam insigne beneficium nobis collatū, grates Deo agendo; vel vt summè afflictiua Christi, ei compatiendo. Sed specialiùs ad singulas passionis partes descendere debemus, idq; duobus item modis. Vel persequendo ordine historiam, & in singulis partibus immorando, pro ratione fructûs, qui percipitur, vel aliquam ex virtutibus Christi, in passione præcipuè relucenti- IV. Mundè. Modus meditandi Specialiorum.

bus, ob oculos proponendo, & actus omnes, vbi enituit, studiosè percurrendo, vel loco virtutis certũ genus doloris aut contumeliæ, quod sustinuit, per plures occasiones, similiter expendendo, vel denique quæcunque in vno aliquo corporis membro pertulit, simul colligendo.

MEDITATIO PRIMA, ET QVASI FVNDAMENTVM RELIQVARVM, DE CIRCVMSTANTIIS DOMINICÆ PASSIONIS.

PVNCTVM I.

1. Pet. 2. 1. Persona patientis. 1.

QVIS patitur? 1. Agnus sine macula, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Sanctus Sanctorum, cui Spiritus datus est absque mensura. Quem ipsi crucifixores filium Dei, & iustum agnouerunt, quando compuncti dicebant: *verè filius Dei,* & homo iustus *erat iste.* 2. Patitur is, qui se totum impenderat in beneficium aliorum *benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Itaque non solùm talia supplicia meritus non fuerat, sed omne potiùs obsequium: vnde conqueritur: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* 3. Patitur magnus ille amator hominum, qui nobis omnia factus est, ipse Pater

Matt. 27. 54. Luc. 33. 47. 2. Actor. 10. 38. Psal. 34. 12. 3.

noster

noster, Magister, Medicus, Redemptor, Pastor, Creator Beatificator, Sponsus animarum. Si Filius, Patris, si sponsa debet sponsi pœnas, necemque persentire, qualiter ego Christi, qui etiam ante passionem in Sacramento mirabilisse intimè in præcordia nostra insinuauit, vt illius vicissim passiones quasi nostras sentiremus.

PVNCTVM II.

QVANTVM patitur Ad duo capita reuocatur, ad externas passiones, quas vocauit ipse Dominus baptismum; *baptismo habeo baptizari*: & ad internas, quas *calicis* nomine significauit. Atrocitas passionis. *Luc. 12. 50.*

I. Quoad primum caput, sustinuit omne genus passionum. In rebus externis, quia ipsis exspoliatus *vestibus*, nudus palàm crucifixus est, partientibus illas inter se crucifixoribus. 2. In *honore*, omne genus contumeliæ in ipsum iactatum fuit. 3. In *fama*, variè traductus fuit in genere virtutis, habitus est pro *Samaritano*, & possesso à Dæmone, seductore, vorace, vini potatore, blasphemo, & reprobo. 4. In genere *sapientiæ*, sine literis, furiosus, & stultus. 5. Quoad *miracula*, impostor, & magus, & quòd in Beelzebub operaretur. 6. In *corpore*, cruciatus, tum per se maximos, tum ex complexione delicata sustinuit. 7. In *amicis*, vel quia ab ijs desertus fuit, vel quòd illorum vicem, præcipuè Matris valdè doleret. I. In externis. *Ioan 8. 48.* *Ioan. 7. 15.*

II. De-

II. In sensibus corporis.

II. Deinde, licèt discurrere per quinque sensus. *Oculi* cruciabantur visis subsannantium actibus, & gestibus; contrà verò lachrymis ipsum amantium, sed & sputis deturpati, & sanguine ex capite defluente oppleti, nec non proprijs lachrymis exesi. *Aures* autem exulceratæ audiendis blasphemijs, falsis testimonijs, atque indignissimis accusationibus aduersum se. *Odoratus* ab Caluariæ graueolentia. *Gustatus* à siti ardenti, & oblato in solatium aceto. *Tactus* per omnia membra à flagellis, spinis, & clauis.

III. In mēbris externis. *Isaiæ* 1. 6.

III. Præterea, licèt partes corporis præcipuas percurrere, & in singulis propria considerare tormenta, vt verum de Christo sit, *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

IV. Interior afflictio.

IV. Dolores interni maximi fuerunt, vt ex agonia apparet, cum sudore sanguineo.

PVNCTVM III.

Circumstātiæ persecutorum Christi. 1. 2. 3. *Ioan.* 13. 2.

A Quibus patitur? 1. fuerunt ex omni genere hominum, summo, medio, & infimo, nec non sacro, & prophano, vt patet ex historia; & in quos contulerat plurima beneficia toto prædicationis suæ tempore. 2. furebant in Christum varijs concitati motibus. Alij non ferebant, vitia sua ab eo coargui, alij metuebant sibi à Cæsare, alij cæco Zelo Religionis ducebantur. 3. incentores fuerunt potestates tenebrarum, dæmones: nam *Diabolus*

misit

misit in cor, vt traderet eum Iudas Et Christus ipse in comprehensione dixit: *Haec est hora vestra & potestas tenebrarum.* Nec sicut Iob permissus est Sathanæ, vt *tamen illius animam seruaret*, ita & Christus; sed hic absque exceptione. 4 augebant Christi dolores, quòd intueretur corda torquentium, cerneretque, quanta in ipsum rabie agerentur, vt parua essent, quæ inferebant, præ odij magnitudine.

Luc. 22. 53.
Iob 2. 6.
4.

PVNCTVM IV.

PRo quibus patitur? I. pro omnibus omnino hominibus, vt redderet Deo honorem ab eis ablatum, vt iratum hominibus placaret; vt gratiam & media ad æternam salutem necessaria illis procuraret vt cœlum eis aperiret, gloriamque beatitudinis acquireret. Ad quæ opus fuit infinito pretio, non solùm, quia demerita fuerunt innumera, sed quia infinitę malitiæ, ob Dei offensi infinitam maiestatem. Et quamuis suffecisset vna gutta sanguinis, ob patientis personæ infinitam dignitatem, voluit tamen totum fundere, vt copiosa esset Redemptio, & superabundans, ac, vt ex consideratione remedij (sicut ait Bernardus) periculi mei æstimem magnitudinem. Porrò quia totus homo saucius erat, voluit per omnia pati, vt vitijs singulis propriam adhiberet medicinam, cupiditati nostræ nuditatem suam, superbiæ nostræ opprobria sua, &c.

I. Passus pro omnibus hominibus

Sermo 3. de Natiuit.

Toto corpore pati voluit.

II. Pro inimicis patitur, proque ipsis crucifixo-

II. Pro inimicis.

cifixoribus, vt huius ipsius peccati veniam à Deo ipsis impetret, vnde & pro illis orauit in Cruce Patrem, etiam excusans, quòd *nescirent quid facerent.*

III. Pro singulis. III. Ita pro omnibus patitur, vt pro singulis Patri æterno offerret cruciatus suos. Et ita illos mihi applicabo cum S. Paulo dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* *Galat. 2.20*

PVNCTVM V.

Ex amore passus. *Ephes. 3.19.*

QVo affectu Christus patitur? Ardentissimæ charitatis, de quá S. Paulus, *vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.*

Amoris signa.

1. *Luc. 12. 50.* Signa sunt huius affectus. 1. quòd desiderauerit ardenter pro nobis pati, *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dũ perficiatur.*

2. 2 quòd aduentantes passiones vltrò amplexus est, contrà quàm multi sunt, qui contrarium faciunt, qui profitentes illarum desiderium, defugiunt experimentum.

3. 3. quòd paratus fuit multò plura pati, quàm hostes infensissimi excogitare potuerunt.

PVNCTVM VI.

I. Virtutes cur exercuit in passione.

VIRTVTES Christi in passione relucentes. I. voluit tunc præcipué omnes exercere, quia venerat vt Magister, verumque illarum exemplar, & ita voluit in fine tanquam

compen-

compendio omnium ſpecimen præbere. Deinde, vt, quia per paſsionem promerebatur nobis ipſas virtutes, earundem actibus ipſas nobis mereretur. Præterea, vt quæ iacebant in obſcuro, ſic magis proferret, & illuſtraret. Tandem, vt illas quaſi vltimam ſuam voluntatem nobis relinqueret, quod de charitate dixerat, *hoc eſt præceptum meum.*

II. Exercuit heroicos illos actus, à quibus beatos pronuntiauerat, qui tales eſſent: *Paupertatem ſpiritûs*, etiam à veſtimentis, dum pendet nudus, & affinem huic *humilitatem*: factus *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* *Manſuetudinem*, qui, *cùm malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*, & *tanquam Agnus manſuetus ad occiſionem ductus eſt, & coram tondente ſe obmutuit.* Luxit, quando *clamore valido & lachrymis preces & ſupplicationes obtulit in cruce.* quin & guttas Sanguinis toto corpore effudit, præ luctus magnitudine. *Sitiuit iuſtitiam* inſatiabiliter, cuius omnes partes implere voluit, & tandem, vt eam nobis pararet, mori *ſitio*. *Miſericors* fuit ita, vt ſua & ſe pro ſubleuandis miſerijs noſtris mille modis impenderit, nulla ſui habita ratione. *Mundus corde*, vnde & placuit illius ſacrificium Patri. *Talis enim decebat vt eſſet nobis Pontifex Sanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* *Pacificus* fuit, quia per mortem ſuam pacificauit nos Deo, & *fecit vtraque vnum.* *Paſſus* denique eſt *propter iuſtitiam*

II. Exercuit octo Beatitudines.

Pſal. 21. 6.

1. *Pet.* 2. 23.

Iſai. 53. 7.

Hebr. 5. 7.

Heb. 7. 26.

Epheſ. 2. 14.

tiam, & passus omnia illa summo gradu: *Cùm*
Matt. 5.11. *maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum*, &c.

III. Eius obedientia. III. sigillatim obedientia eius consideranda est, ex verbis Apostoli, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* 1. in
Philip. 2. 8. opere difficillimo 2. integerrima, *sciens quia*
Ioan. 19. 28. *iam omnia consummata sunt, vt consummaretur* Scriptura, *dixit: Sitio*, vt & hæc pœna impleretur, quòd potatus est aceto. 3. promptissima: *Ego autem non contradico*. 4. humillima: subiecit se vel pessimis. *Dominus aperuit mihi aurem*, vt obedirem *Ego autem non contra-*
Isai. 50. 5. *dico, retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus me*. 5. constans, vsque ad mortem. Atque
Ioan. 14. 31. ex amore obediuit, *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

PVNCTVM VII.

Septem Christi stationes. SEPTEM itinera, aut stationes, quas Christus in sua Passione obiuit. 1. à cænaculo ad hortum, vbi tristatus est, orauit, & sudauit sanguinem. 2. ab horto, vbi comprehensus est, ad Annam. 3. Ab Anna ad Caipham. 4. inde ad Prætorium. Pilati. 5. ad Herodis regiam. 6. regressio ad Pilatum. 7. ad Caluariam. Circa singulas possunt varia considerari: persona

Christi

Christi patientis, eiusque internus sensus, & gressus &c. deinde socij, & loca, ad quæ circumducitur.

PVNCTVM VIII.

DOLORES B. Virginis ob Christi passiones. Tanti fuerunt, quantus amor, qui fuit summus. 1. quia erat filius eius naturalis, & totus eius, quia sine Patre eum conceperat, ac proinde Patris, & Matris simul amore illum prosequebatur. accedebat ille stimulus, quòd Spiritu sancto obumbrante conceperat, qui est ipse amor. 2. quia primogenitus, & vnigenitus fuit, ex quo solet exaggerari dolor, vt apud Zachariam, *plangebant eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebant super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* 3. ob similitudinem singularem, vnde solent Matres amare magis aliquem inter filios. Fuit autem Christus Matri simillimus toto corporis habitu, & illa vicissim ipsi Christo morũ atque virtutum præstantiâ. 4. ob Christi miram sanctitatem, atque sapientiam. Charitas enim ordinata magis amat sanctiores, quippe Deo coniunctiores: quod si accedat naturæ coniunctio, quæ est maxima filij cum Matre, conspirantibus gratiâ, & natura, crescit amor mirificè, ac proinde dolor. Quòd si mulieres illę adeò lamentabantur, considerantes Christi innocentiam; quid senserit Mater, quæ tanto maiorem illum esse nouerat? 5. ob bona à Christo accepta; nam *fecit ei magna qui potens*

Dolores B. Virginis ex amore.

1. Quia filius naturalis.

2. Primogenitus.

Zach. 12. 10.

3. Sibi simillimus.

4. Sanctissimus.

5. Benefactor infinitus.

Lucæ 1. 49.

tens est: & i llud præsertim, quòd Matrem il am fecit, & dignam Matrem: est autem amo gratus: cupitque rependere. quomodo erg non afficiatur ob mala sui benefactoris, & t: eximij? 6. quòd is suus filius, esset quoque filius Dei: quam excellentiam cùm penetraret intimè, & amaret ardentissimè in filio, debuit indignitas passionis eius cor Mariæ planè transuerberare. 7. Quia B. Maria erat planè vnus spiritus cum Deo, & ita cum filio: vnde necesse erat, vt passiones filij pro suis haberet, ac sentiret. Et quia hic ipse dolor Matris affligebat cor filij, inde ipsa nouo angebatur dolore.

6. Filius Dei.

7. Quia eiusdem spiritus.

Præter hæc maximè faciebat ad dolorem, quòd B. Virgo vehementissimè comprehensas haberet illas circumstantias Dominicæ passionis, de quibus suprà dictum est, ex quibus acerbitas & magnitudo passionis æstimatur. quam rei æstimationem cùm acueret immensus amor erga filium, quid eam sensisse cogitandum est? Verè *animam eius pertransiuit gladius*.

Luca 2. 35.

PVNCTVM IX.

Virtutes heroicæ B. Virginis.

VIRTVTES Dei Matris in passione filij expressæ. 1. resignatio suæ voluntatis, qualis & filij: *Non quod ego volo*. 2. humilitas, dum inter tot filij opprobria se profitebatur Matrem illius, atque in se omnia deriuabat. 3. fortitudo, & magnanimitas, qua stetit ante crucem, non victa, quamuis acerbissimis do-

1.

2.

3.

loribus

loribus ex filij conspectu. 4. charitas in homines, qua fiebat, vt non indignaretur percussoribus filij sui; sed compateretur potiùs illorum cæcitati. & quia passio ipsa ad omnium salutem spectabat, pia Mater illam pro ipsis etiam crucifixoribus, exemplo filij, Deo Patri offerebat. 4.

MEDITATIO II.

In Dominica Quinquagesimæ.

Prædicit discipulis de passione sua.

PVNCTVM I.

CVM Christus quæreretur ad necem, recepit se cum discipulis suis *in ciuitatem Ephrem iuxta desertum*: inde mox ascendit Ierosolymam; & *præcedebat illos, & stupebant, & sequentes timebant*. Præcedebat, properans ad mortem incitante gradum amore. Contrà, ego ad patiendum tardus. Item præcedebat, exemplum præbens, vt nos similiter faciamus. Denique inusitata festinatione, quam proinde stupebant discipuli. excitabantur & ipsi, vt contenderent singuli proximè sequi. Sic imitabor Christum hæc & illa patientem, & inhærere vestigijs eius adlaborabo.

Ioan. 11. 54

Marci 10. 32

Passio Christi nobis exemplum.

PVNCTVM II.

PRAEDICIT discipulis passionem suam. id aliàs fecerat bis: sed nunc distinctiùs. Condem-

Cur toties meminit passionis.

Mat. 20. 17. *Condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Toties meminit Paſsionis, quia eam ſemper gerebat in mente, & illius delectabatur memoria, quamuis rei acerbiſſimæ, ita vt etiam in glorioſa transfiguratione ſua cum Moyſe, & Elia, de hoc exceſſu ſermonem miſceret. Vtinam etiam mihi ſit, ſicut ſponſæ, *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Item ideo inculcat, quòd minùs ignominioſa hæc de Chriſto credere & aſſequi poſſe viderentur, quàm glorioſa: & vt diſcipuli ſe ad illa compararent, ſeruantes illud, *in die bonorum ne ſis immemor malorum.*

Cant. 1. 13.

Eccleſ. 11. 27

PVNCTVM III.

Luc. 18. 34. c. 9. 45. Matt. 17. 22

ET *ipſi nihil horum intellexerunt, & timebant eum interrogare de hoc verbo & contriſtati ſunt vehementer.* Nec modò omnes intelligunt, qui audiunt arcanum paſsionis Dominicæ myſterium. Ideo autem Apoſtoli non intelligebant, quia intenti erant in honores potiùs, & commoda, quæ à Chriſto expectabant: indeque triſtabantur, quòd flagellorum, & crucis mentio ingereretur. Idem mihi eueniet, vt meditatione Paſsionis nihil afficiar; quia affectus ſum erga ſenſualia, & amore proprio plenus. Quin Petrus, poſt ſolennem illam Confeſsionem, cùm Chriſtus de paſsione ſua prædiceret, non iam reuelante

Pauci intelligunt paſſionem.

Patre cælesti, sed proprio suggerente sensu, etiam auertere Christum à morte visus est, dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc?* quem Dominus grauiter increpuit, *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Hæc videlicet est causa & radix non intelligendi verbum hoc; quòd terrena sapiamus, & cupiamus. Matt. 16.22

MEDITATIO III.

Solemnis ingressus in Ierusalem ante passionem. Matt. 21. Mar. 11. Lucæ 19.

Dominica Palmarũ.

PVNCTVM I.

CAVSAE ob quas voluit ita Christus ingredi. Solebat alioqui totidẽ diebus ante immolationem Agni Paschalis ipse Agnus parari, nimirum quinque. 1. causa, vt ostenderet, quâ alacritate mortem adiret, quâ inuitati sunt Martyres. 2. vt intelligeremus, cùm postea tristitiam & agoniam ex consideratione passionis sensit, nihilominus in ijs ipsis secundùm spiritum exultasse, quod nos facere oportet cum Paulo: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* 3. vt declaret beneuolum suum animum erga ingratam ciuitatem, nõ obstantibus tot ibi contra se excitatis persecutionibus, quodque etiam post toleratam ibidem mortem paratus esset illam in gratiam reci-

Causæ ingressus tam celebris. 1. 2. 3. 2. Cor. 12. 9.

pere, modò resipisceret, quod quotidie fit, quando per peccatum mortale Christo cruci affixo, conculcatoque eius sanguine, tamen is paratus est ad eandem animā redire, suaque gratiā illam visitare. 4. vt doceret gloriosum esse pro Deo quæuis pati, præsertim in oculis Dei, Angelorum, & hominū iustorū, vt triumphare nos deceat inter eiusmodi opprobria. 5. vt tantò redderetur maior ignominia passionis, quātò celebrior extitisset exceptio aduenantis; iuxta illud: *Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus*: & apud Isaiā de Christo, *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.*

4. Pati pro Christo gloriosum.

5.

Psal. 87.16.

Isai. 25.13.

PVNCTVM II.

Matt. 21. 2. *Mar.* 11.2. *Luc.* 19.35.

PRAEPARATIO ad ingressum. I. *Asinam* iubet adduci, aliàs semper pedes peragrauit loca, vbi prædicauit; nunc verò non quadriga, aut phalerato equo vtitur, sed *asello*, præferens insignia sui regni, paupertatem, & humilitatem, & mansuetudinem. *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator. ipse pauper & ascendens super asinum.* 2. mittit duos, qui *soluant asinam.* Sociatos esse vult Apostolos charitate. est Apostolorum officium soluere peccatores: si qui prohibeant, (nam sunt qui obsistant bono animarum) responderi iubet, *quia Dominus his opus habet*, non in suum, sed illorum bonum, & pro gloria Patris. Adducuntur,

Matt. 21. 5. *Zach.* 9.9.

vt ijs insideat, frænet, ac dirigat, quò opus est. O infræna me Domine, & reduc me in via mandatorum tuorum.

PVNCTVM III.

PLAVSVS populi. Pater æternus, sicut filium suum ingredientem in mundum in paupertate & humilitate clarificauit, misso ad Pastores Angelorum exercitu, qui illius Aduentum celebrarent, canentes gloriam in altissimis Deo & pacem hominibus bonæ voluntatis, ita nunc ad passionem solenniter Ierosolymam venientem excipi facit à simplici populo, non dissimili plausu, dum canunt, *Hosanna Filio Dauid, Pax in cœlo, & gloria in excelsis.* In cœlo pax, dum cœlites hominibus conciliantur: vnde gloria in excelsis ipsi Deo auctori redditur. Vestimenta substernunt. ita ego mea, & me ad pedes illius abijciam, felicitati ducens, quòd cedant in ipsius obsequium.

[Honor Christo exhibetur à Patre]

[*Luc. 19. 38.*]

PVNCTVM IV.

INVIDIA Pharisæorum. vnde Christum interpellant: *Magister increpa discipulos tuos.* Tales non sunt capaces, quibus communicetur intelligentia mysterij Christi, sed populus simplex. Respondit autem: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*: vel, *illis tacentibus*, dicit Dominus, *lapides de me testimonium perhibebunt*, quos ante vos in terra iacere cernitis. Et verò lapides testificati sunt

[Inuidiæ malum.]

[*Luc. 19. 39.*]

Matt. 27. 51. in morte Christi, quando *petræ scissæ sunt*, & cùm, in pœnam, non mansit lapis super lapidem, excisâ funditùs ciuitate Ierusalem.

Dominica decima post Trin.

MEDITATIO IV.

Flet super Ierusalem. Lucæ 19.

PVNCTVM I.

Christus quater fleuit.

CVR flet? fleuit aliquoties, sed mirum quòd nunc, quando excipitur tam gloriosè. 1. vt ostendat, se nihil tangi aut affici illo honore, & plausu. 2. ex charitate, quia intimè dolebat cæcitatem Iudæorum, quodque passio sua, ad quam appropinquabat, futura eis esset in ruinam. 3. in illa ciuitate Ierusalem (supra quā fleuit) repræsentauit sibi totum mundum, tot peccatis inquinatum, cuius deperditum statum deplorauit, & mea nominatim peccata, vt & cæterorum.

PVNCTVM II.

Luc. 19. 42.

VERBA flentis. *quia si cognouisses, & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* si cognouisses, ignorantia tùm malorum impendentium, tum oblatorum bonorum caussa existit, cur Christus repellatur. Pœna verò voluntariæ ignorantiæ, post alias, erit extrema vrbis calamitas: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Fiet

Ignorantia malum.

idem

idem mihi, si visitationes diuinas, & inspirationes non recipiam, quas assiduè offert. *Miluus cognoscit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui*, & ego meum non obseruabo? Quòd si Iesus ita defleuit ruinam temporalem illius ciuitatis, quantò magis æternam, & illius, & nostram? *Ierem. 8. 7.*

PVNCTVM III.

GESTA à Christo in templo post ingressum: *Cæcos & claudos sanat*, &, cùm tanta faceret, peruersi non flectuntur. Pueri acclamant exemplo turbarum: *Hosanna*, atque id Pharisæi in odium trahunt: *Audis quid isti dicunt*? quibus Christus: *vtique non audistis, quia ex ore infantium perfecisti laudem.* O absit à corde meo illorum durities, adsit autem horum simplicitas infantium. Christi bonitas. *Psal. 8. 7.*

Moratus vsque ad vesperam, mira loquens, & faciens, *circumspectis* (vt ait Euangelista) *omnibus*, *abijt in Bethaniam cum discipulis.* Circumspexit, num ab aliquo hospitium offerretur, sed inter tot plaudentes nemo obtulit. sic vani sunt humani plausus.

Postridiè rediens, arefecit maledicendo ficum infructuosam. Sic in secundo Aduentu faciet æternam maledictionem imprecatus ijs, qui non benefecerunt proximis suis.

Ite maledicti in ignem æternum. *Mat. 25. 41.*

MEDITATIO V.

Feria secũda post Dominicam Palmarum.

Cœna in Bethania.

Exhibita Christo est pridiè Palmarum, sed hîc ponitur, quia inde Iudas cœpit occasionem tradendi Christum.

PVNCTVM I.

Ioan. 12. 3. Matt. 26. 7. Maria Magdalena bis vnxit.

MARIA *vngit Christi pedes, & caput recumbentis.* Bis vnxit, semel in conuersione sua, nunc in gratiarum actionem pro resuscitato fratre Lazaro. *Tersit capillis pedes* à puluere & sudore, tum vnxit, ac fidentior facta, *fracto vasculo, reliquum effudit super caput.* Et nos duplici debito tenemur, & reconciliatæ gratiæ, & beneficiorum acceptorum.

Alabastrũ quid notet?

Alabastrum vnguenti est cor nostrum, id frangitur contritione salutari, & mortificatione passionum, & appetitionum. *Vnguentum* fuit ex *spica nardi*, humili herba, *pisticum*, fidele, ac purum, denique *preciosum.* Hæc est *charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Vngendus Dominus in pedibus priùs, exercendo nos in operibus mortificationis, Christique passiones imitando, tùm ad caput licebit assurgere, & illius diuina contemplari.

1. Tim. 1. 5.

Repleta est domus ab odore vnguenti. In totam Ecclesiam facti huius bonum exemplum

dima-

dimanauit. Sim & ego bonus odor Christi inter meos, & cum quibus versor.

PVNCTVM II.

IVDAE obtrectatio, & aliorum discipulorum admurmuratio: nunquam deerunt, qui obtrectent benefactis, vel malo affectu, vt Iudas, vel zelo imprudenti, vt cæteri: nam prodigalitas videbatur in re parum necessaria, nec multum Christo grata, & indiscretio, cùm melius in pauperes distribui pretiũ vnguenti potuisset. *Sed nolite iudicare, & non iudicabimini*, non intelligebant vel affectum Magdalenæ, vel intentionem Christi, id permittentis. Palliatur obtrectatio specie virtutis eleemosynæ, & constat, quòd Iudas intendebat de pretio fraudare. ita passim fit. Credibile est, murmur à Iuda cœpisse, indeque alios discipulos corripuisse. Sic vnius improbi exemplo plures boni corrumpuntur; & vt ab odore vnguenti tota domus repleta fuerat, ita pestilens vnius afflatus alios discipulos infecit, eò tamen excusabiliores, quòd non prauo affectu, vt Iudas, ducebantur.

Iudicium temerarium.

Luc. 6 37.

Malum exemplum nocet.

PVNCTVM III.

DEFENDITVR à Christo Magdalenæ factum. In quo apparet in primis Christi pro suis cura, dum ab obtrectatoribus eos defendit, quòd maximè facit, cùm ipsi patienter ferendo rem totam Deo committunt, vt Magdalena egit, quam meliùs vtique ipse defendit, quàm si multis se ipsa fuisset tutata.

Christus corrigit suos.

II. Elucet

Benignè. II. Elucet benignitas in corripiendis Discipulis, redditâ ratione, quòd pauperibus semper foret occasio benefaciendi, non item ipsi Christo in sua persona. Et quòd Magdalena præuenisset, viuum ipsum vngere, quem postea mortuum non posset. id quod accidit nam cùm venit, vt vngeret, ad sepulchrum iam Iesus resurrexerat.

Mala vertit in bonum. III. Elucet prouidentia, qua Deus obtrectationem illam conuertit in gloriam Magdalenæ: nam factum eius per occasionem detractionis defensum à Christo, celebratur in vniuerso mundo, quod alioqui latuisset, aut non tantam haberet commendationem. *Rom. 8. 28.* *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

MEDITATIO VI.

Christus à Iuda venditur 30. argenteis. Luc. 22. Matt. 26.

PVNCTVM I.

QVIS venditur? Filius Dei, & Dominus omnium, qui naturâ suâ inæstimabilis; &, qui seipsum dedit pretium pro nostra redemptione, vt impleretur illud Isaiæ: *Isa. 52. 3.* *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, sed non sine sanguine. Igitur vendi voluit, vt ego redimerer, & voluit propter nos, sicut formam serui accipere, ita & pretio æstimari; quod est extremæ vilitatis, vt tantæ humilitatis exemplo meam deprimeret superbiam.

PVN-

PVNCTVM II.

QVIS vendit? Discipulus: non ex vulgaribus, sed ex duodecim, quibus Dominus potestatem dederat pellendi dæmones, & sanandi infirmos, & tanquam amicis secreta sua manifestauerat. Vendidit autem ex cupiditate, *nam fur erat, & loculos habebat*. vnde ægrè tulit vnguenti effusionem, ex quo lucrum expectasset. Nempe modica vsurpare solitus, eò venit cupiditatis, vt etiam venderet Magistrum suum, & talem. de quo ipse Christus: *nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* sic nihil vspiam tutum in hac vita. è cœlo Lucifer, è paradiso Adam excidit: quid ni nos? Elige tu ô anima mea tutiora: &, *qui stat, videat ne cadat.*

Iudam auaritia impulit ad venditionem.

Ioan. 12. 6.

Ioan. 6. 71.

1. Cor. 10. 2.

PVNCTVM III.

VENDIDIT impulsore diabolo. Iuda quidem, cupiditate sua vrgente, exacerbatus fuerat; sed diabolus ea turbatione vsus: *misit in cor eius, vt traderet Iesum.* Tanti est passio immortificata. Videtur autẽ eam prætexisse apud se excusationem, quòd Christus suam necem prædiceret, & alioqui Iudæi in eam essent animati, vt quodammodo vtrisque satisfaceret, si Iesum proderet, & interim ipse fraudatum vnguenti pretium reciperet. Discam, non admittere cogitationes, quæ animo affecto ac perturbato adueniunt, nã tunc se diabolus insinuat.

Diabolus suasit hoc malum.

PVNCTVM IV.

Inimicis venditur.

QVIBVS venditur? Inimicis: si Matri si discipulis, benè ei fuisset. Nec venditur sicuti Ioseph, vt qui liberararetur à morte sed vt eam incurreret. nam venditus est sitientibus eius sanguinem. Credibile est, Iudam apud Concilium prætexisse causam venditionis honestam, quòd Christus legē transgrederetur, quòd admitteret profusionem re pretiosæ ad delitias, & alia, nescio quæ, ne sine causa deficere à suo Magistro videretur: & excipiebantur eius omnia cum plausu. Id solatio sit præsulibus, cùm à subditis calumnias patiuntur.

Fuit Christo ignominiosa.

Sed & alio modo hæc proditio fuit Christo ignominiosa, dum homines animaduertentes auaritiam discipuli tam enormem, vt Magistrum venderet, inde faciebant iudicium de Magistro, & schola, vnde talis prodibat discipulus.

PVNCTVM V.

Venditur pretio serui.

PRETIVM venditionis, *triginta argentei* Totidem soluebat pro vita serui, qui illū occidisset. Itaque venditur Dominus Iesus pretio seruorum, & venditur ad necem. Videtur autem Iudas (quod ad maiorem contemptum facit) pro quouis pretio paratum fuisse vendere Iesum, cùm ait, *quid vultis mihi dare? ego vobis eum tradam*. illi autem continuò pretium seruile obtulerunt. At Christus quantò pluris facit te, ô Iuda? pretio sui

Pluris fecit Iudam.

sangui-

sanguinis te, ingrate, vult redimere. Et ego quoties viliori adhuc æstimaui Dominum meum, quando pro vilissima voluptate, aut commodo posthabui ipsius gratiam.

PVNCTVM VI.

POST venditionem quid Iudas, quid Iudæi faciunt? Iudas captat occasionem tradendi Christum, ideoque ad conuictum illius reuertitur: quem Iesus gestorum gnarus nihilominùs benignè accepit, & de absentia rogat; ille autem simulatè omnia. Iudæi autem læti de pacto, præstolantur cupidi exitum. & quamuis in consilio suo decreuissent, *ne in die festo* fieret, propter periculum *tumultûs* à plebe, nunc & isto posthabito respectu, quandocunque parati sunt occasionem amplecti. ita videlicet disponente diuina prouidentia, quæ festum, & Paschalem diem veri Agni sacrificio destinauerat.

Matt. 26.50

Matt. 26.5. Christus passus in festo die.

Collige duo documenta. 1. Quòd in quauis congregatione necesse est reperiri aliquos degeneres, quantumuis sub industrio, & sancto Moderatore. 2. Valere id ad exercitium magnarum virtutum, patientiæ, mansuetudinis, & charitatis, quæ præcipuè inter filios rebelles enitent. Cuius rei exemplum præbere moderatoribus voluit Christus Dominus, sustinendo Iudam, & adnitendo ipsum iuuare.

Cur sustinuit Iudam tam diu. 1. 2.

(§)

Google

MEDITATIO VII.

Esus Agni Paschalis. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

PVNCTVM I.

1. Zelus legis in Christo. PRAEPARATIO Agni. 1. Elucet in Christo studium obseruandi legem, quando idcirco Ierosolymam venit, vbi sciebat sibi parari necem, & præmisit, qui necessaria curarent, ne quis defectus committeretur in legali obseruatione. Sic ego studiosus sim diuinorum præceptorum. 2. Duos præmisit ad hoc, Petrum, & Ioannem, (in quibus fides, & dilectio significantur) charissimos sibi discipulos. Disponunt eædem virtutes ritè animam ad esum veri Agni in sacra Eucharistia.
3. Nuntiari iussit Domino domûs: *Magister dicit, tempus meum propè est; apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Verba hæc ita fuerunt efficacia, vt confestim locum amplum, & reliqua præbuerit. O, audiam ego ex te, quòd apud me velis Pascha facere! Ecce totum cor & animam tibi offero, vbi cœnes.

PVNCTVM II.

Valedicit Matri. CREDIBILE est, Christum, antequam Bethania postremò excederet ad hanc cœnam, valedixisse Matri, imminentem passionem ac mortem sigillatim enarrasse, tum commendasse ei discipulos per hanc breuem absentiam, vt ipsos confirmaret. Ad quæ vir-

go icta est acerbissimo dolore; sed viriliter se in manus Dei resignauit, petijtq; à Filio, vt liceret sibi luctuosæ actioni interesse.

PVNCTVM III.

PROGREDITVR Ierosolymam, & discũbit cum Discipulis. 1. In eundo variè afficiebantur. Christus exultabat, venisse tempus complendi opus sibi à Patre impositum: Iudas gaudebat de occasione tradendi Magistrum; cæteri subtristes incedebant, voluentes verba Christi: *Post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Leuabat ipsos Christus suis sermonibus. 2. Cùm accubuissent, Dominus ait: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequã patiar.* Sæpiùs manducauerat cum illis Agnũ, sed hanc supremam manducationem summè semper expetiuerat, tum, quòd in ea exhibiturus erat edendum verum Agnum, in priore figuratum, tum, quia mox ab hac cœna baptizandus ipse erat baptismo illo Passionis à se tam exoptato.

Matt. 26.2.

Luc. 22.15.

In Christo desiderium patiendi ingens.

PVNCTVM IV.

EDITVR Agnus. Interea Christus eos ritus, qui in typo illo seruabantur, ad se applicabat. Intuebatur Agnum supra mensam expositum, excoriatum, & assum: & cogitabat, sic se super crucem expansum iri, & flagellis ipsa cute exuendum, igniq; tormentorum extorrendum. Secabatur Agnus in par-

Esus Agni typus Christi patientis.

tes, sed integris ossibus: sic se toto corpor luxandum, non tamen vt latronũ crura cor fringenda. Festinantes comedebant: ita in rabie maxima aduersarios ruituros: Baculu manu tenebant comedentes, in typum lign crucis. Assumpto figurali Agno, obtulit se Pa tri, ad complendum, quicquid in illo præfigu ratum fuerat.

MEDITATIO VIII.

Lotio pedum. Ioan. 13. v. 1.

PVNCTVM I.

Amoris Christi proprietates.

PRO exordio Passionis Dominicæ enarran dæ ponit D. Ioannes ista verba: *Cùm di lexisset suos, qui erant in mundo, in finem dil xit eos.* 1. Dilexit eos sicut se, imò plusqua se, cùm pro illis tradiderit animam suam di lectam. 2. Dilexit constanter, vsque in finem dum ipse vixit, dum illi vixerunt, & vsque i æternum. 3. Dilexit summè, quod maximu potuit, pro illis agens, & patiens, & maior cupiens facere. 4. Dilexit in finem, vt assequ rentur in hac vita, & altera id, ad quod erar destinati, & conditi.

PVNCTVM II.

Humilitas Christi lauantis pedes.

EXCELLENTIA personæ se dimittenti quò est humiliatio maior. Est enim Deu quem adorat multitudo Angelorum, & hi humi prostratus lauat pedes vilium piscato rum. Quâ Deus *decorem indutus est, & forti tudin*

tudine se præcinxit, dum omnia verbo creauit, *Psal. 92. 1.*
& hic vestimenta deponit, & linteo se præcingit, ad abluendas sordes pedum. Sed & Euangelista Maiestatem personæ inde æstimat, quòd omnia sciat, omnia possit. *Sciens*, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Sciebat cuncta, quæ sibi euentura erant, poterat autem quicquid Pater, à quo per æternam generationem exiuit, & in mundum venit homo factus, rediturus mox ad Patrem, vt sedeat ad dextram Maiestatis eius in excelsis, secundùm assumptam naturam. Hic tantus *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se.* Considera, qua charitate, & humilitate ac studio ipse per se omnia facit, absque alterius adiutorio: ama tu etiam obsequia humilia, nam faciendo clamat: *Discite à me.*

Illa ipsa obsequia spiritualiter exhibuit. Lotio pedum quid notet?
Deposuit vestimenta gloriæ formam serui accipiens, sanguinem omnem fudit, vt lauaret nos, & pretiosa sua humanitate, tanquam linteo, quo erat præcinctus, tersit sordes nostras, vnde ipsa humanitas sic deturpata fuit, vt non esset ei species neque decor. *Isa. 53. 2.*

PVNCTVM III.

REPVGNANTIA Petri: *Domine, tu mihi lauas pedes?* hæc ait stupefactus, quòd tanta Maiestas tam vili seruo tam abiectum exhiberet obsequium. Admonetur,

Petrus humilis, sed pertinaciter.

alto consilio id fieri: *quod ego facio, tu nescu modò, scies autem postea.* Non acquiescit tamen: *Non lauabis mihi pedes in æternum,* bono quidem humilitatis zelo repugnat: at Deo displicet, etiam per speciem virtutis, quæuis inobedientia. quare Dominus minatur: *si non lauero te, non habebis partem mecum* Ita est Domine. *Quis enim potest mundum facere de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es.*

Iob 14. 4.

PVNCTVM IV.

Timor Petri filialis.

RESIGNATIO Petri: *Domine non solùm pedes, sed & manus, & caput.* sic auersatur separari à Christo. Timor salutaris non seruilis, sed fidelis. Respondit Dominus: *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Testimonium reddidit Petro, quòd sit in statu gratiæ, vt & reliqui, præter vnum Iudam, nam ait: *& vos mundi estis, sed non omnes. sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.* Cæterum etiam qui mundi sunt, lotione pedum indigent, qui facilè à terra puluerem contrahunt. hæc sunt peccata venialia, quæ ipsa sine Christi sanguine non lauantur, & impediunt partem cum Christo; quia cum illis nemo ingreditur cœlum: quare debent in hac vita vel in purgatorio purgari.

PVNCTVM V.

IVDAE etiam lauat pedes, & haud dubie cum singulari beneuolentiæ significatione, vt illius pectus emolliret, sed frustrà. Discam diligere inimicos,& perficia quoque illos demereri. Sed & cauebo à duritia cordis. *Impius enim, cùm in profundum venerit, contemnit.* Et: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* O, *aufer à me cor lapideum.* Prou. 18. 3. Eccl. 7. 14. Eze. 36. 26.

PVNCTVM VI.

CHRISTVS exponit facti sui rationem: *Scitis, quid fecerim vobis?* nempe non omnis assequitur diuinorum factorum arcanum, qui facta ipsa videt vel audit, sed opus est gratiâ Spiritûs sancti. Porrò dicit, causam illius obsequij fuisse, vt *exemplum* inde *caperent* mutuæ inter se charitatis, & humilitatis præstandæ: siquidem ipse *Magister & Dominus* se vsque eò demisisset. Christi facta imitanda.

Nihil verò profuturum, si tantùm sciant, quid intenderit illo facto Dominus, nisi etiam expresserint imitando, *nam seruus sciens, & non faciens voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis.* Luc. 12. 47.

Digitized by Google

MEDITATIO IX.

De præmissis à Christo ante institutionem SS. Eucharistiæ.

PVNCTVM I.

Cur lotio Eucharistiæ institutionem præcedit.

INSTITVTIONI Eucharistiæ præmissa est lotio pedum, ad designandam cordis munditiem, quâ sumenda est Eucharistia, lotis videlicet etiam pedibus à leuioribus peccatis per Sacramentum Confessionis, & aquam lachrymarum, alioqui non recepturis nobis eum fructum, quem planè mundati.

Luc 7.44.

Deinde, mos fuit, conuiuis pedes lauare, vnde Christus Pharisæo ait : *Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti* significatur ergò exercitium humilitatis, & charitatis, optimam esse præparationem accubituris huic sacræ mensæ.

PVNCTVM II.

1. Agnus Paschalis figura Eucharistiæ.

PRAEMISSA item cœna Agni Paschalis. 1. Quia vt ille sacrificabatur in memoriam liberationis ex seruitute AEgyptiaca : ita in Eucharistia immolatur Christus in gratiarum actionem pro liberatione ex priore seruitute peccati & diaboli. In priore tingebantur Agni sanguine postes domorum, vt Angelus percutiens transiret, non percussis Iudæis, qui intus se continebant. Carnes autem Agni edebantur ad confortationem viæ.

Ita in posteriore liberatione per sanguinem Christi Agni immunes reddimur à damnatione æterna, & carnibus eius confortamur ad peregrinationem per huius vitæ desertum. 2 Quia ritus edendi Agnum erudiebant nos, queadmodum Christus in Eucharistia sumendus sit. *Renes accincti*, per castitatem mentis & corporis; *Calceati pedes*, custoditis affectibus, ne sordescant ex rebus terrenis tanquam puluere; *baculos tenentes*, nixi merito S. Crucis, & in eius virtute fidentes; *Edentes cum festinatione*, summa cum auiditate & gustu; Adhibitis *panibus azymis* synceritatis & puritatis, nec nō *lactucis agrestibus*, quę sunt mortificationes sensualitatis; *Non crudum ex eo quidquam edendum*; sed præmissa consideratione tanti mysterij; *Nec aqua coctum*, quasi languida meditatione affectuque, sed *assum igni*, exardescendo in DEI Amorem. Quàm ego absum ab hac præparatione!

2. Ritus esus. Exodi 12. 11

PVNCTVM III.

PRAEFATVR Christus: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei.* Sic ego debeo summo desiderio accedere ad hoc Sacramentum, vt qui maximè indigeo hac refectione. Et quia non alia cogitari potest excellentior. Deinde sic comedam,

Luc. 22. 15

Communicandum cum desiderio.

quasi vltimum comederem, vnde & viaticum vocatur : comedam tanquam nunc moriturus.

MEDITATIO X.

De loco, tempore, & conuiuis in Institutione sacrosanctæ Eucharistiæ.

PVNCTVM I.

1. Ob amoris magnitudinem.

2. Desiderũ manendi nobiscum.

3. Vt esset memoriale mortis Domini.

TEMPVS institutionis fuit, *pridie quàm pateretur.* 1. vt sic magnitudinem suæ charitatis magis declararet, quando, cùm maximè contra ipsum mortales conspirabāt, tam eximium eius donum conferebat. Vt vicissim nos nihil ab illius amore separare vllo vnquam tempore valeat, quò minùs inter omnia aduersa illi adhæreamus. 2. vt desiderium suum manendi nobiscum semper ita ostenderet, voluit in procinctu sui à nobis discessus per passionem relinquere semet in hoc diuino Sacramento. 3. Quia hoc Sacramentum erat passionis suæ memoriale, & quia in passione sua cessabat legalis Agnus, & vetera sacrificia debuit tũc nouum substituere sacrificium, quò vmbræ veritas, nocti lux succederet Et tandem, vt memoriale relictum in ipso mortis articulo teneriùs afficeret animas diligentium, quod solet euenire.

PVNCTVM II.

LOCVS fuit *cœnaculum grande stratum.* in eodem, post Resurrectionem, Christus Discipulis apparuit, & Spiritus sanctus in Pentecoste datus est. Fuit Ecclesiæ typus, in qua sola edendus est hic cælestis Agnus. sed & animam significat, in quam Christus per Sacramentum Eucharistiæ venit, quam charitate amplam esse oportet, ac stratam, ornatamque omni genere virtutum, tanquam cælum stellis. Non nominatur Dominus cœnaculi, quia apud Deum nihil interest, quisquis ille sit, quoad alios titulos, magnus an paruus, dum præbeat Christo idoneum hospitium.

Locus iste typus Ecclesiæ & animæ.

Denique id cœnaculum euasit in domum orationis, indeque prodière primò ad annuntiandum Euangelium. Sic anima per Eucharistiam fit Dei templum, indeque ad communicandum etiam alijs, quæ à Deo acceperit, foras prodit.

PVNCTVM III.

CONVIVAE fuerunt Apostoli, & inter eos Iudas, qui suo facinori intentus, quæ dicebantur à Christo, non attendebat; nec si attendisset, credidisset, & ita vt panem communem accepit; contrà alij, deuotè, & reuerenter. Sed & iam, *qui manducat, & bibit indignè*, instar Iudæ, *reus erit corporis, & sanguinis Domini*, quasi illum prodidisset.

Iudas etiã communicauir, sed indigne.

1. Cor. 11.17

MEDITATIO XI.

In transsubstantiatione elucet.

De Conuersione panis in Corpus Christi.

PVNCTVM I.

1. Dei sapientia.

QVOMODO in eo facto eluceat infinita Dei Maiestas? 1. *Sapientia*, vt quemadmodum inuenit modum coniungendi res dissitissimas, Deum, & hominem in vnitate personæ diuinæ per incarnationem, ad salutem nostram optima ratione perficiendam, ita etiam inuenit modum, seipsum exhibendi iam hominem factum, in speciem alimenti ad nostram spiritualem nutritionem & confortationem, & quandam nobiscum admirabilem coniunctionem. 2. Infinita *potentia*: nam momento substantia Panis in Corpus Christi conuertitur, vt sola maneant panis accidentia velantia Christi Corpus, atque sub ijs ita totus, vt sub quauis etiam particula nihilominus totum Corpus delitescat per ineffabilem vnionem cum ipsis panis speciebus. Quod fieri posse vt credamus, sufficit eius omnipotentia: vt etiam factum esse, sufficit eius affirmatio, cùm ait: *hoc est corpus meum*. Et hæc tanta operatur, vt me seruum, atque vermiculum alat in vitam æternam. 3. *Bonitas*, & *Charitas*. Nam sicut *Pater* æternus commendat charitatem suam, qua *sic dilexit Mundum*,

2. Potentia

3. Bonitas. *Ioan. 3. 16.*

dum, vt filium suum vnigenitum daret : ita vnigenitus eius commendat suam, qui seipsum nobis intimè fruendum donat in hoc Sacramento. porrò, donando corpus suum, vtique omnia simul, sanguinem, animam, diuinitatem, quę cum corpore & in corpore eius sunt, merita etiam, & satisfactiones, quæ hic nobis copiosè communicantur, donat. 4. Zelus salutis nostræ ardentissimus, quando non habuit satis, quòd nobis salutem promeruisset, verùm ipsemet per se ipsum fieri voluit medium & instrumentum, quo fructus suæ passionis nobis applicaretur. ô, si vicem reddam, & zelo gloriæ Diuinæ me totum impendam, & superimpendam!

4. Zelus ardentissimus.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA verba, quibus perfecit conuersionem. 1. *hoc est corpus meũ.* non signum exhibet tantùm, & memoriale sui: sed corpus ipsum. Vt bona Mater, quæ filios non dat alijs nutriendos, sed propriò nutrit lacte. Totum corpus dat; vt sicut Elisæus ad suscitandum puerum membra membris applicuit, ita ego ex membrorũ Christi contactu totus incalescam. Et ab ore eius meũ, ab oculis oculi; sicque cætera membra, & sensus mei ab illius membris sanctificentur, rectéq; ordinentur, vt in nulla re exorbitent. sed agãt, quod Christus, illeq; in ipsis operetur 2.

1. Christus non sui signum, sed ipsum corpus suum dedit.

4. Reg 4.34

2.

Quòd

2. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. 2. *Quod pro vobis datur, vel tradetur.* His verbis magis magisq; confirmat, dare se suum verum corpus, nempe illud, quod morte afficiendum erat. Et insinuat, qua charitate se in mortem tradit pro nobis, eadem tradere se in cibum, & pignus salutis promissæ.

Hoc igitur est corpus, in quo illa sacratissima vulnera Redemptionis nostræ inflicta sunt, quæ etiam nunc retinet, sed splendentia & gloriosa, in quæ introduci petam, & abscondi.

PVNCTVM III.

Apostolorum fides. QVOMODO Apostoli communicauerint. Credendum est, vbi Christus corpus suum consecrauit, simul interno lumine mentes discipulorum illustrasse, vt crederent, & singulari modo apprehenderent eius mysterij veritatem. Vnde maxima cum reuerentia, & submissione illud de Christi manibus acceperint. Deinde (qui est fructus huius diuini Sacramenti) magna interiùs spirituali lætitia, & dulcedine fuisse perfusos. Dulcedo spiritalis. Solus Iudas, vt indignus, ita expers boni sensus, & consolationis fuit.

PVNCTVM IV.

Ipse Christus communicat. QVÒD Christus se etiam ipsum communicauerit, particulam Eucharistiæ sumens; ita plures sancti existimant. Solus ille tali hospite, id est, se ipso dignum hospitium fuit.

fuit. Gauisus est, & gratulatus sibimet de tãto mysterio à se instituto, in sponsæ suæ Ecclesiæ tutissimum præsidium, & solatium singulare.

MEDITATIO XII.

De conuersione vini in sanguinem.

PVNCTVM I.

HIC *est calix sanguinis mei.* non pars sanguinis, sed totus exhibetur, sicut in passione totus effusus est, cùm suffecisset vel gutta ad satisfactionem ex iustitia, & sanguinem exhibet in vase suo pretioso, in membris, & corpore suo contentum, in quo est anima & diuinitas. Et *mei*, inquit, terreni Reges exugunt sanguinem subditorum, vnde postea sunt liberales: Christus suum præbet, indeque nos ditat.

Christus totum porrigit sanguinem.

PVNCTVM II.

SANGVIS *Noui Testamenti.* Præstat Nouum Testamentum Veteri, quòd Vetus sanguine pecudum confirmatum est; Nouum autem sanguine Christi, quia nimirum in veteri promittebantur solùm bona temporalia, in nouo autem spiritualia, & æterna, ac in primis ipsa remissio peccatorum, & dona gratiæ & virtutum, & tandem hæreditas æternæ beatitudinis. Nec fuit satis Christo, quòd vt ista nobis promereretur bona, sanguinẽ suum

Cur Noui Testamẽti.

Pignus futuræ gloriæ datur.

in passione fudit; sed etiam voluit ipsum sanguinem nobis relinquere, tanquam pignus, seu tabulas authenticas, quibus testatam reliquit suam vltimam voluntatem de remissione peccatorum, & adoptione per gratiam, vitaque æterna nobis tribuenda. Vnde hic sanguis dicitur *Christi testamentum*, seu sanguis *Noui Testamenti*.

PVNCTVM III.

Pro multi, quia non omnibus efficax.

QVI *pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. *Pro vobis*, speciatim pro ipsis dicit effusum, vt ad compatiendum magis moueat. Et ita, si vnus tantùm adfuisset dixisset, pro te quæ applicatio vim habet emolliendi cor, & consolationem adfert singularem. Ergo mihi dictum cogitabo, *effundetur pro te*, & pro multis, & pro omnibus omnino, quantum est ex parte Christi. Et omnes verè dicuntur *multi*. quòd si *multi* intelligantur, quasi non omnes, sed quàm plurimi, tamen id est verum, quantùm ad fructûs cõsecutionem, cuius non omnes se faciunt participes.

Nullum Christus excludit.

Alioqui nemo omnino ab huius sanguinis participatione excluditur, quantumuis vilis, & contemptus, imò quod ad Diuinum attinet iudicium, tituli omnes mundi, denique naturæ & fortunæ, pro nihilo planè habentur, respectu participandæ gratiæ diuinæ, seu fructus passionis Dominicæ hominibus applicandi. *In remissionem peccatorum*, sine limita-

tione (non tam multa & grauia esse possunt, quin sufficiat hic sanguis ad expiandum:) *effundetur*, copiam significat, non guttatim sed, quasi riui fluent.

MEDITATIO XIIII.

De Sacramentalibus speciebus Panis & Vini.

PVNCTVM I.

CVR instituerit sub duplici specie? 1. ratio, vt quia conuiuium erat, in quo solet cibus potioque exhiberi, id etiam in hoc reperiretur. Etsi alioqui in singulis speciebus totum est, quod cibat, & sitim animæ sedat. 2. præcipuè, vt repræsentaret nobis, quòd per passionem fuerit totus sanguis à corpore seiunctus: atque hoc cogitare debemus, quando consecratus calix adorandus attollitur. Et quia quinque fuerunt effusiones sanguinis præcipuè in agonia, in flagellatione, in coronatione, in cruci affixione, in lateris perfossione, licet eas sub Missa commemorare, & offerre Patri æterno cum gratiarum actione.

1. Quia conuiuiū erat.

2. Vt repræsentaut sanguinis effusionē.

PVNCTVM II.

CVR voluerit sub speciebus ita latere, vt nullum tantæ rei indicium foris appareret? 1. ad humilitatis & patientiæ exemplum: sicut per Incarnationem sub humana specie

Christus latens hi, humilitat & patientiam docet

ſpecie latuit, vt pro quouis de vulgo h
tur,maleque etiam acciperetur:id quo
hîc contingit, vt pro communi pane
tur,ac etiam conculcetur aliquando.
2. Ad Fidem allicit. lim ego latere,& contemni. 2. ad exer
fidei, quando ſenſus omnes contradic
ratio non aſſequitur. Vnde per excell
dicitur *myſterium fidei* in ipſa conſecr
nec ſine magno miraculo mentes Apo
ſic illuſtratæ in illa cœna fuerunt, v
rei ſine dubitatione fidem adhiberēt. I
ram per ſingulos ſenſus expendens,qu
ſinguli tanquam de communi pane iu
Et ego nihilominus diuinis potius
quàm meis ſenſibus firmiſsimè credar
ampliùs eſſe panem triticeū, ſed ipſum
ſtum Dominum,panem cœleſtem,qui
3. Fiduciam præbet accedendi. lo deſcendit,& dat vitam mundo. 3. vt
tatus fiduciam daret accedendi ad ſe,
ſpicuus, quaſi auerteret nos à ſe, & ve
daretur amor,minuſque liberè in illius
amplexus.

PVNCTVM III.

CVR in ſpeciebus cibi & potus?1.qu
luit quàm intimè nobis vniri, &
1. Intimè vult nobis coniungi. nos eſſe, non tantùm foris in re aliqu
ſens. Itáne,Ieſu,non refugis hoc pectus
ſcera ingredi?2. vt ſignificaret,ſe effect
2. Quòd corpori cibus, hoc animæ Euchariſtia nes per hoc Sacramentum in anima noſ
ficere, quos cibus & potus in vita corp
nutrire,conſeruare, augere, roborare,

Digitized by Google

care , & innatum concupiſcentiæ calorem compeſcere, ne viſcera depaſcat. *Qui manducat me, viuet propter me.* & quomodo non appetam cibum iſtum ? 3. ad commendandam charitatem mutuam, ſiquidem panis ex multis granis, nec non vinum ex vuis coaleſcit: ſic per hoc Sacramentum efficimur vnus ſpiritus cum Chriſto, & inter nos. Vnde & appellatur Communio : & quia panis non fit niſi granis commixtis, & vinum niſi preſsis vuis & calcatis ; ita oportet mortificare in ſe inordinatos affectus, vt illam ſpiritûs vnitatem, & Sacramenti huius virtutem, & fructum participemus, & *guſtare* poſsimus, *quàm ſuauis eſt Dominus.*

Ioan.6.58. 3. Hinc dicitur communio. *Pſal.33.9.*

MEDITATIO XIV.

Ritus à Chriſto vſurpati in conſecratione, & exhibitione Corporis, & Sanguinis ſui.

PVNCTVM I.

PANEM *in manus accepit*. poterat poſitum in menſa tranſmutare, ſed in manus accepit, vt ſignificaret, opus id eſſe diuinæ potentiæ, & diuinæ manus; deinde opus eſſe maximæ liberalitatis. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Denique quod ſuo labore, & meritis nobis illum panem acquiſiuiſſet, ita vt nos labores manuum eius manducemus.

Cur in manus accipit. *Pſa.144.16*

PVNCTVM II.

LEVAVIT *oculos in cœlum*: ostendens hûc esse panem de cœlo verum, & corda illuc, pura cum fiducia & desiderio huius cibi, erigenda esse, sicut in Missa admonemur: *Sursum corda.*

Gratias egit Patri pro tanto dono, per ipsum hominibus collato, easque tantò ardentiores, quàm pro panibus egerat multiplicandis, quantò istud præstabat beneficium. Quas me agere côuenit, cùm de illo pane participo?

Benedictio Christi efficax.

Et *Benedixit.* Benedicere Dei, est benefacere. Benedicendo igitur panem, eum transmutauit in corpus suum. O benedicte Domine: Benedic etiam mihi, & muta in virum alterum.

Verba benedictionis fuerunt, cùm dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus* nam dicendo, fecit, vt essent, quod dicebantur.

Fractionis mysteria.

Et *fregit*: integrum in manus accepit & benedictum fregit. 1. ad commendandam charitatem inter nos, qui de vno pane edimus. 2. causâ mysterij, vt intelligatur, quòd diuiso Sacramento, *tantùm manet sub fragmento, quantùm toto tegitur.* 3 docemur, hunc panem antequam edatur, accurata consideratione frangendum esse, meditando magno affectu singula, quæ in hoc Sacramento continentur: Corpus, sanguinem, animam, Diuinitatem Christi, nec non & meritorum eius, & satisfactionum infinitos thesauros.

PVNCTVM III.

DISTRIBVTIO Sacramenti. *Deditq́; discipulis suis,* (ô beatum donum, & maximum!) dicens: *Accipite & comedite.* Non exhibetur nobis adorandum tantùm, sed edendum, atque in viscera recondendum. Non fuissent alioqui ausi tam diuinum panem edere. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum:* sed, quia iubes, edam, & *sanabitur anima mea.* Ecce, dedit. *Matth* 8, 8.

MEDITATIO XV.

De potestate conficiendi Eucharistiam data tunc Apostolis.

PVNCTVM I.

DATA est potestas Apostolis conficiendi corpus & sanguinem Christi per ea verba, *hoc facite in meam commemorationem.* In quo elucet: 1. *Charitas* eximia erga hominem, cui soli, non Angelis dedit potestatem supra corpus suum, vt homo non iam diminutus sit *paulò minùs ab Angelis*; sed supra illos exaltatus. 2. *liberalitas* qua sine vlla restrictione contulit hanc potestatem, non limitatam ad certum numerum personarum, neque ad qualitatem; puta ad sanctos tantùm; neque ad locum, aut tempus, sed vbique & semper confici possit. 3. Dignatio, ac velut obedientia, & humilitas incredibilis, vt ad sacerdotis ritè

Sacerdotalis potestas quanta. 1. 2. 3. Sacerdoti Christus obedit.

ordinati vocem præsens infallibiliter adsit; is quamuis sit impius, & Sacramento abuti velit, & indignissima quæque exercenda essent in ipsum Sacramentum, & adeò in Christum ipsum. quantò istud maius, quàm quod voci Iosue obediuit Dominus, solem sistens, vt Iosue victoriam prosequeretur? *Iosue 10.12.*

PVNCTVM II.

QVòD per eadem verba instituti sint Sacerdotes, ad offerendum Deo Patri sacrificium corporis & sanguinis Christi. Aliud enim est, sacrum conficere, aliud autem sacrificare; vtrumque autem coniungitur in hoc mysterio, ita vt dum conficit Sacerdos Sacramentum, simul offerat Deo contenta in Sacramento ipso, tanquam hostiam sanctam, Deo placentem.

Sacrificiū.

I. Quid sit?

I. Expende, quòd sacrificiū est oblatio Deo facta rei ipsi gratæ: nulla porrò est vel pretiosior, vel gratior Deo, quàm ipsius Vnigenitus, homo factus quare est sacrificium: omnium posibilium excellentissimum.

II. Sacrificij effectus.

II. Quòd vnicum hoc habet omnes sacrificiorum differentias multò eminentiùs. nam est *Eucharisticum*, (quod nomen tanquam proprium obtinuit) quia nullæ gratiæ Deo acceptiores esse possunt, quàm quòd in recognitionem beneficiorum offeratur ipsi Christus, per quem nobis omnia donauit. Est *propitiatorium* ad remissionem peccatorum, & quorumuis suppliciorum condonationem:

quia

quia fructus Dominicæ Paſsionis per hoc ſacrificium efficaciter nobis applicatur, quando ipſemet Dominus Patri offertur, immolatus in memoriam eiuſdem Paſsionis. Denique eſt *Impetratorium* quorumuis beneficiorum, quia per hoc ſacrificium modo ſingulari & excellenti in nomine Chriſti petitur. promiſit autem ipſe, *daturum nobis Patrem, quicquid in nomine filij eius peteretur.* Ioan. 16. 23.

PVNCTVM III.

Chriſti duplex ſacrificium.

QVÒD Chriſtus iuſsit hoc ſacrificium *in ſui memoriam* peragi, nimirum in memoriam ſuæ paſsionis, in qua ſe obtulit cruentè pro Redemptione noſtra. Duplex enim oblatio facta eſt à Chriſto ſui ipſius; vna cruenta, per effuſionem ſanguinis, & realem mortem; altera incruenta in Euchariſtia. vbi mors Chriſti repræſentatur per Sacramentales ſpecies, dum in altera corpus, in altera ſanguis conſecratur, tametſi vtrumque ſub qualibet ſpecie contineatur, ideoque incruenta dicitur ſacrificatio, quia verè ſanguis nō eſt extra corpus, neque hoc ſine ſanguine. ſed ex ipſis ſpeciebus vna primò ſignificat corpus, altera primò ſanguinem, atque vi conſecrationis in vna corpus tantùm, in altera ſanguis ſeparetur, cætera autem omnia concomitanter ſub vtraque ſpecie continentur.

Porrò non potuit aptius memoriale paſſionis Dominicæ, neque monumentum gratiarum pro tanto beneficio efficacius inueniri,

quàm ipsiusmet passi Domini viua exhibitio, & præsens oblatio. Nec modò in memoriam Passionis suæ, verùm etiam reliquorum ipsius gestorum, & excellentissimarum virtutum (quarum se præbuit viuum exemplar) exstare voluit istud sacrificium: vnde ad eas imitandas prouocemur, alioqui parum grati futuri erga nostrum Redemptorem & Magistrum.

MEDITATIO XVI.

De insinuatione proditoris super cœnam.

PVNCTVM I.

Iudas Christum turbat.

Ioan. 13. 21.

QVOD *Iesus turbatus est spiritu.* Tanta erat indignitas rei, quòd à discipulo, & amico traderetur, & sic dolebat illius vicem, & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis, qui manducat mecum, & intingit mecum manum in paropside, tradet me.* Voluit autem indicare proditorem ob plures causas.

Cur insinuat proditorem.

1. vt intelligerent, patêre sibi occulta cordium: vnde non parum Christo aggerebatur doloris.

2. vt sic Iudam ad sanitatem reuocaret; quod efficere studuit, dum se conscium cogitationum, ac proinde Deum, & vindicem malefactorum significauit. Deinde, quia Iudas non videbatur magni facere, quòd Christum traderet, quando ipse professus fuerat, se neci dandum. monet autem Christus, inde ipsum non excu-

ſari, cùm ait: *Filius quidem hominis vadit; verùm tamen væ homini illi, per quem tradetur.* Et tandem minando ſupplicium: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Nec tot hiſce modis potuit flectere proditorem. 3. Minatur.

PVNCTVM II.

QVOMODO affecti fuerint Diſcipuli ex hac inſinuatione proditoris! *Contriſtati ſunt valdè, & cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine?* Bonæ mentis eſt timere, quando etiam ſibi conſcia non eſt. 1. Mat. 26.22.

2. Noluit Chriſtus palàm facere nominatim proditorem, quamuis mox ipſo facto patefaciendus eſſet, ne Apoſtolorum in eum animi exacerbarentur, & vt parceret famæ. quod nobis imitandum, ne per nos fiat, quod etiam alioqui futurum eſt. 2. Peccata proximi occultat.

3. Patefecit tamen tum ipſi Iudæ, cui interroganti: *Nunquid ego ſum Rabbi? Reſpondit: Tu dixiſti*: tum Ioanni recumbenti ſupra pectus, cui indicium dedit: *cui ego intinctũ panẽ porrexero.* porrexit autem Iudæ, cum amoris ſignificatione, vt eum emolliret: adeo nõ ſunt etiam inimicis neganda beneuolentiæ ſigna, vt *ſic prunæ congerantur ſuper caput eorum.* 3. Patefecit duobus. Prou. 25.22.

PVNCTVM III.

OBSTINATIO Iudæ, & pœna eum ſecuta. Non flectitur tot indicijs charitatis, ſed inſtitit cupiditati ſuæ pretium recipiendi pro vendito Magiſtro. Pœna fuit duplex. 1. Quòd vbi buccellã panis ex manu Chriſti ac- 1. Bis diabolus in Iu-

 cepiſ-

dam ingressus. cepisset, *ingressus est in eum diabolus*, in
ad executioné designati facinoris, sicu
fuerat ingressus, quando *immisit in co*
traderet Iesum, & cum sacerdotibus p
retur. Ita qui cœlestẽ panem mala co
tia sumit, dat locum diabolo in corde s
possessione illius accepta, præcipitat
2. Deserit Iudam Christus. in peiora semper. 2. Pœna, quòd dese
à Christo, quando ait: *quod facis, fac ci*
bui te hactenus in meo comitatu, totq
seruare studui, nunc vade à me. *Cu*
Ierem. 51.9. *Babylonem, & non est sanata, derelin*
eam. Nec ideo te retrahere volui à fa
quòd fugiam mortẽ, imò properari ea
cupio *fac citò, quod facis*. Plus ego appe
ri pro te, & mũdo, quã tu me tradere in

PVNCTVM IV.

Exitus Iudæ paßionis initiũ. QVòD, egresso Iuda, Christus ait
clarificatus est Filius hominis, eò
quòd ex cœtu suorum excesſit impius
à me, vt Deus sic clarificetur à me. sec
puè id dicit, quia, abeunte Iuda, incho
Paßio, quam Christus gloriam suam d
quòd per eam glorificandus esset Pa
sint mihi paßiones propter Deum gl
co. Sic gloriabatur Paulus in *tribulat*
2. Cor. 12. 10. *& angustijs*: sed & clarificatus est Ch
paßione, dum in eius morte tot sun
prodigia, & quia per paßionem est
resurrectionis consecutus, & vt *in nom*
Phil. 2. 10. *omne genu flectatur*.

Digitized by Google

MEDITATIO XVII.

Contentio Apostolorum, & prædictio scandali.

PVNCTVM I.

FACTA est contentio inter eos, *quis eorum videretur esse maior.* Obliti prioris tristitiæ, cùm ex ipsis aliquem proditurum esse Magistrum diceretur, primatū iam contentiosè ambiunt. Sic est impotens ambitio, & omnia postponit. Sanat Dominus humilitate ambitionem, aliter apud se agi oportere, quàm in mundo, aliasq; sui Regni leges esse, quàm terreni. *Qui maior est in vobis, fieri debet sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Idq; suo exemplo sancit. Nam & *ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Ita præsum, vt seruiam. Videlicet in humilitate præesse oportet, & lucra amare subditorum, non ipsum prælationis honorem. *Luc. 22. 24.* Ambitionē sanat humilitas.

Ne tamen despondeant, laudat ipsos: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Vel in testes adducit ipsos tribulationum, quas passus sit, quodque nihil minus, quā commoditates suas, aut gloriam quæsierit in omni vita. quod cùm ita sit, nec ipsos debere talia spectare. Nam *ego*, inquit, *dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater.* Pater autem, vt videtis, per multas tribulationes voluit me ad regnū peruenire. ita & vobis continget. Quare est simile cum illo, quod Zebe-

Mat.20.22. dæis respondit, affectantibus prima loca: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quasi dicat, de calice cogitate in hac vita, non de honore.

PVNCTVM II.

Cur lapsũ suorum prædicit.

CHRISTVS denuntiat scandalum, quod Apostoli passuri erant in ipsius comprehensione: nempe, vt eum desererent, & fortè dubitarent, nũ esset Christus, qui sic haberetur; scriptum est enim: *percutiam pastorem, & dispergentur oues* gregis. Hac prædictione auertere ipsos voluit ab illis ambitiosis cogitationibus, sed præcipuè præmunire, vt saltem nõ planè conciderent animis, & resipiscerent, animaduerso euentu prædictionis. Promittit quippe solatium suæ præsentiæ. *Postquam autem resurrexero, pracedam vos in Galilaam.* salubris timor, ne deseram aliquando Christum. quod si contingat, confidam tamen, quia lapso opem pollicetur.

Matt.26.31 *Zach.13.7.*

Petri triplex error.

Petrus respondet: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam.* feruor quidem, sed absque debita humilitate; vnde errores tres. 1. Quòd non visus sit habere fidem Christo asserenti de omnibus, quòd scandalizandi essent. 2. Quòd alijs se prætulerit. 3. Quòd de suis viribus nimiùm præsumpserit. Petri exemplo *cæteri*, ne inferiores viderentur, *similiter dixerunt.* Etiamsi nos oportuerit mori tecum, non te negabimus. Oportebat potiùs cũ humilitate deprecari Christum, vt auerteret à se tantum malum, quàm præfidere de se.

PVNCTVM III.

PRIORI reprehensioni addit solatium: ex quo tria eliciuntur. 1. Quòd tentatio non veniat absque permissu Dei: *Simon, Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*, vt agitaret, & perderet: ita & Iob. quin nec in porcos licuit diabolo ingredi, nisi Christo sinente. 2. Quòd tentatio nō vincatur, nisi Deo adiuuante, & auxiliante. *Ego autē rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Licèt vacillet, non deficiat tamen, quin saltem mox resipisces, ex lapsu humilior, & cautior. 3. Quòd conuersus à peccato debet alios, suo malo doctus, instruere. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: vt & illi resipiscant, & reddantur in fide constantiores. Hæ sunt grates, quas Dominus requirit à iustificato, vt & alijs ipse fiat causa salutis.

1. Dæmon sine Deo nihil tentat.

2. Deo iuuante superamus tentationes.

Luc. 22. 32.

3. Conuersus alios conuerte.

MEDITATIO XVIII.

Sermo Christi ad Discipulos post Cœnam. Ioan. 14. 15. & 16.

Domin. 3. 4. 5. post Pascha.

TRIA Dominus munia sua in hoc sermone præstantissimè obit. *Magistri*, alta de virtutibus præcipiens; *Consolatoris*, magna promittens; *Aduocati*, interpellans ardentissimè pro eis Patrem.

PVNCTVM I.

AMOR in Christum commendatur. 1. Hortatur, vt diligant ipsum adhibita efficaci ratione: *Sicut dilexit me Pater, & ego*

1. Amor Dei

dile-

dilexi vos: manete in dilectione mea. Nihil magis amorem prouocat, quàm amor; & eò magis, si fuerit singularis. Atqui meus est talis: nam *dilexi vos, sicut Pater me*, quo amore non alius maior. Ergò manete in dilectione mea, me diligite constanter, vt meo in vos amori respondeatis. 2. probatio amoris: *Si diligitis me, mandata mea seruate: qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me.* fructus huius dilectionis triplex 1. *qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. 2. ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus. 3. & manifestabo ei meipsum*; nunc per fidem, & contemplationem, postea à facie ad faciem. 3 proponit seipsum exemplar amandi: *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Manere in dilectione Christi, aut Patris, potest dupliciter exponi, vel quòd nos ipsum tunc verè diligimus, si præcepta eius seruauerimus, vel, quòd ipse diliget nos. Vtrumque est verum, & se mutuò includunt: nam *qui diligit, diligetur*; & qui à Deo diligitur, vicissim diligit, *ego* enim *diligentes me diligo*, ait Dominus.

[Margin: *Ioan.* 15.9. — 2. Amorem probat obedientia. — 3. Christus exemplum amoris. *Ioan.* 15.10. — *Prou.* 8.17.]

PVNCTVM II.

AMOR proximi commendatur. 1. præceptũ dilectionis proximi vocat nouum, quia penè collapsum restituit. Et quia est fundamentum nouæ legis, quæ est Amoris; & quia per illud renouamur Spiritu in adopti-

[Margin: Festo Simonis & I . de — 1. Quare mãdatum nouum?]

onem

onem filiorum Dei: singulariter autem, quia noua amandi regula traditur. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* cùm antiqua norma foret, *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* denique quia est nota discipulorum Christi. *In hoc cognoscent, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* 2. vocat suum: *Hoc est præceptum meū, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* penè ob causas illis similes, propter quas vocauit nouum, præsertim, quod seipsum proponit exemplar amandi, *sicut dilexi vos:* & quoniam ipse impleuit maximè illam perfectionem amoris, de qua ait: *Maiorem hac dilectionē nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* 3. Inculcat iam tertiò hoc præceptum. *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem.* Innuit hoc sufficere, & in illo reliqua contineri, *plenitudo enim legis est dilectio.*

Matt. 19. 19

2. Quare suum dicit.

3.

Cùm commendabat, vt se diligerent, non est vsus præcepti nomine, quòd vltrò videbantur id facturi, tot prouocati beneficijs: vt autem inter se amarent, futurum erat difficilius. Voluit etiam exprimere, quàm sibi id esset cordi, quando tam grauibus verbis illud commendaret.

PVNCTVM III.

Ad orationem quæ necessaria.

COMMENDATVR vis orationis. 1. quia valet ad impetranda omnia, etiam miracula, modò in fide oretur, & in nomine Christi

1.

petatur,

petatur,& pro gloria Patris: *Amen dico vobis,*
Ioan. 14. 12. *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater*
2. *in Filio.* 2. orationis efficacitas pendet ex vnione cum Christo per charitatem, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Qui sic vnitus est cum Deo nihil petit, nisi quod ex Dei voluntate sit, atque ita semper impetrat, quod petit. *Voluntatem timentium se faciet, &*
Psal 144. 19 *deprecationem eorum exaudiet.* 3. inculcat e-
3. andem promissionem de impetrandis, quæ petuntur: & hortatur ad petendum, fore enim, vt cōpotes facti gaudeant. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: vsque modò non petistis quidquam, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Circa hanc toties, & tam asseueratam
Circumstantiæ orationis 6. promissionem considerandæ sunt aliquot circumstantiæ. 1. Quis promittit? qui vocatur
1. fidelis, & verax, qui nolit decipere, & possit
2. præstare. 2 Quibus promittit? Discipulis, iam dimisso Iuda, non pertinet promissio ad rebelles, & peccatores, nisi cùm volunt resipiscere. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, ora-*
Prou. 28. 9 *tio eius erit execrabilis.* Et suprà dixit, *Si man-*
3. *seritis in me, quodcunque petetis fiet.* 3. Quem oportet petere? Patrem, qui verè & simpliciter Pater est: nam *si vos cùm sitis mali*
Luca 11. 13. *sitis bona data dare filijs vestris, quantò magis*

Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus? Sed & Filius & Spiritus sanctus promptissimi sunt ad largiendum. 4. per quē petendum? in nomine Christi, per illius merita, & vt ipse glorificetur. 5. quæ petenda? quę decet Patrem cælestem largiri, & in Christi nomine peti, & petenti expediunt. 6. quomodo petendum? cum fide & fiducia de liberalitate Dei promittentis, & de Christi meritis, per quem petitur, nec non perseueranter. 4. 5. 6.

PVNCTVM IV.

Dominica infra Ascensionem

CONSOLATVR Apostolos, & animat ad patiendum, idque facit pluribus rationibus. 1. ab exemplo sui: *Mementote sermonis mei: non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis, qui interfecit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo: Et hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Hîc innuitur alia ratio libenter ferendi, quia propter Christi nomen. 2. quia est signum Diuinæ electionis: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* 3. quia vertetur in gaudium: *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* declarat exemplo mulieris parturientis. 4. Ab spe æternæ mansionis, & societatis gloriæ cū

1. Ab exemplo Christi

2. Est signum electionis

3. Successio gaudij.

4. Præmium æternum

Christo: *in domo Patris mei mansiones multæ sunt, & ego vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* 5. à præsenti ipsius Christi ope: *Non relinquam vos orphanos. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi, Vado & venio ad vos. Modicum & non videbitis me, & iterum, modicum & videbitis me, & ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Possunt hæc exponi de visitatione diuina inter tribulationes; etsi fortè magis pertinent ad finem vitæ præsentis, cùm veniet, vt suos hinc abducat ad æternum gaudium. 6. A testimonio diuini Amoris erga ipsos. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.* 7. A spe vincendi, *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum.*

5. Christi auxilium.

6. Amor patris.

7. Victoriæ spes.

MEDITATIO XIX.

Sabbatho ante Dominicam Palmarum.

Oratio Christi ad Patrem in fine sermonis. Ioan. 17. 1.

ORAT pro se, pro Apostolis, pro omnibus fidelibus & electis. est exemplar perfectæ precationis, in qua attendendum, pro quibus petat, quid petat, quo titulo, & ordo petitionis.

PVNCTVM I.

ORAT pro se. 1. Attendi debet interna & externa reuerentia orantis, verborumq; affectus, *subleuatis oculis in cœlũ dixit: Pater.* 2. quid petat: *Venit hora: clarifica filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Petit clarificari in nocte passionis; & fecit Pater, tot editis prodigijs in morte eius. item per gloriosam Resurrectionem, & ascensionem suam in cœlũ. Denique per exaltationem nominis ipsius toto mundo, dum creditur Deus, & Saluator. Petit autem hæc, non suam quærens gloriam, sed Patris, *vt filius tuus clarificet te.* nam clarificatio illius in tuam cedit gloriam, qui illum mundo dedisti. Licet mihi vsurpare eandem orationem sine temeritate, vt petam clarificari donis gratiæ, vt inde ipsum Deum clarificare valeam. 3. quo titulo petat: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem, & nunc clarifica tu me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Licet obtendere apud Deum fidelia obsequia, cum debita submissione. Vtinam ego haberem, quæ repręsentarem! at contrà, non nisi demerita habeo. Discitur etiam, quòd quæ Deus ab æterno destinauit, nihilominus petenda nobis sunt, quia per tale medium dare constituit. Claritatem ergo quam ante mundi constitutionem decreuit Deus electis, instanter ipsi ab illo petent. Sicut Christus hoc loco petit claritatem, quæ ab

Orat pro s[e]
1. Reuerenter.
2. Vt clarificetur.
3. Petit titul[o] obedienti[æ] suæ.

intet voluntati tuæ? Dic obsecro pro me, *volo*, & fiet.

Tituli sunt. Tituli seu motiua petitionis sunt illa, *qui credituri sunt in me.* Et, *Pater, quos dedisti mihi.* Vterque enim respectus debet apud Patrem valere plurimum, vt largiatur illis primò vnitatem illam in hac vita, cum DEO, & inter se per charitatem; deinde verò, vt assumat illos ad se, vbi videant claritatem, quam Filius à Patre accepit generatione æterna, *faciem Domini speculantes* Fiat, fiat. *2. Cor. 3. 18.*

MEDITATIO XX.

Christus pergit ad hortum, & tristatur. Matt. 26. 30. Ioan. 18. 1.

PVNCTVM I.

1. Consuetudo bona seruanda. CVR à cœnaculo ad hortum perrexerit? 1. caussa, vt morem seruaret suum à concionibus, & consuetudine hominum recipiendi se ad orationem. Sic ego consueta exercitia non omittam facilè, quamuis impedimenta obijciantur: præsertim instante necessitate, vt hîc. 2. Ne crearetur aliquod incommodum Domino cœnaculi, ac ne fugere videretur periculum, eò se contulit, quò Iudas sciebat, solitum se recipere Dominum. Vnde abiturus ait, *vt cognoscat* *Ioan. 14. 31.*

cat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. surgite eamus. 3. vt quia in horto mala libertas peccandi cœperat, in horto etiam comprehenderetur veræ vindex libertatis, & initium saluti daretur. Erat hortus ad montem Oliuarum, id est, misericordiarum, & per torrentem Cedron ad eum transiuit CHRISTVS. Quia misericordia nobis à Christo exhibita multis ei constitit doloribus. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

3. In horto Adam peccauit, Christus pati cœpit.

Psal. 109. 7.

PVNCTVM II.

QVòD Christus voluit omne sensitiuum solatium sibi adimere, quo leniri solent valdè cruciatus, quò plus pateretur. & ita propositis malis omnibus sibi inferendis, quàm efficacissimè, & cohibito omni solatio, quod à superiore parte animæ dimanare in sensus solebat, ita vt pati gestiret, laxauit habenas naturali appetitui, vt, quantum valeret auersatus mala impendentia, immensâ tristitiâ absorberetur.

Omnem lætitiam sibi ademit.

Internus hic Christi affectus ab Euangelistis variè nominatur, *timor, pauor, tædium, tristitia, agonia.* TIMOR est mali impendentis, qui sæpè magis cruciat, quàm ipsa mors. Et proponebat sibi Dominus singula disertè. vnde ait: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor &*

Assumit Timorem.

Psal. 54. 5.

Mat.20.22. dæis respondit, affectantibus prima loca: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quasi dicat, de calice cogitate in hac vita, non de honore.

PVNCTVM II.

Cur lapsũ suorum prædicit.

CHRISTVS denuntiat scandalum, quod Apostoli passuri erant in ipsius comprehensione: nempe, vt eum desererent, & fortè dubitarent, nũ esset Christus, qui sic haberetur; scriptum est enim: *percutiam pastorem, & dispergentur oues* gregis. Hac prædictione auertere ipsos voluit ab illis ambitiosis cogitationibus, sed præcipuè præmunire, vt saltem nó planè conciderent animis, & resipiscerent, animaduerso euentu prædictionis. Promittit quippe solatium suæ præsentiæ. *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* salubris timor, ne deseram aliquando Christum. quod si contingat, confidam tamen, quia lapso opem pollicetur.

Matt.26.31 Zach.13.7.

Petri triplex error.

Petrus respondet: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam.* feruor quidem, sed absque debita humilitate; vnde errores tres.
1. 1. Quòd non visus sit habere fidem Christo asserenti de omnibus, quòd scandalizandi essent.
2. 2. Quòd alijs se prætulerit.
3. 3. Quòd de suis viribus nimiùm præsumpserit. Petri exemplo *cæteri*, ne inferiores viderentur, *similiter dixerunt.* Etiamsi nos oportuerit mori tecum, non te negabimus. Oportebat potiùs cũ humilitate deprecari Christum, vt auerteret à se tantum malum, quàm præfidere de se.

PVNCTVM III.

PRIORI reprehensioni addit solatium: ex quo tria eliciuntur. 1. Quòd tentatio non veniat absque permissu Dei: *Simon, Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum,* vt agitaret, & perderet: ita & Iob. quin nec in porcos licuit diabolo ingredi, nisi Christo sinente 2. Quòd tentatio nō vincatur, nisi Deo adiuuante, & auxiliante. *Ego autē rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Licèt vacillet, non deficiat tamen, quin saltem mox resipisces, ex lapsu humilior, & cautior. 3. Quòd conuersus à peccato debet alios, suo malo doctus, instruere. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: vt & illi resipiscant, & reddantur in fide constantiores. Hæ sunt grates, quas Dominus requirit à iustificato, vt & alijs ipse fiat causa salutis.

1. Dæmon sine Deo nihil tentat.

2. Deo iuuante superamus tentationes. *Luc. 22. 32.*

3. Conuersus alios conuerte.

MEDITATIO XVIII.

Sermo Christi ad Discipulos post Cœnam. Ioan. 14. 15. & 16.

Domin. 3. 4. 5. post Pascha.

TRIA Dominus munia sua in hoc sermone præstantissimè obit. *Magistri*, alta de virtutibus præcipiens; *Consolatoris*, magna promittens: *Aduocati*, interpellans ardentissimè pro eis Patrem.

PVNCTVM I.

AMOR in Christum commendatur. 1. Hortatur, vt diligant ipsum adhibita efficaci ratione: *Sicut dilexit me Pater, & ego*

1. Amor Dei.

dile-

dilexi vos: manete in dilectione mea. Nihil magis amorem prouocat, quàm amor; & eò magis, si fuerit singularis. Atqui meus est talis: nam *dilexi vos, sicut Pater me*, quo amore non alius maior. Ergò manete in dilectione mea: me diligite constanter, vt meo in vos amori respondeatis. 2. probatio amoris: *Si diligitis me, mandata mea seruate: qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me.* fructus huius dilectionis triplex 1. *qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. 2. ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus 3. & manifestabo ei meipsum*; nunc per fidem & contemplationem, postea à facie ad faciem 3 proponit seipsum exemplar amandi: *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Manere in dilectione Christi, aut Patris, potest dupliciter exponi vel quòd nos ipsum tunc verè diligimus, si præcepta eius seruauerimus vel, quòd ipse diliget nos. Vtrumque est verum, & se mutuò includunt: nam *qui diligit, diligetur*; & qui à Deo diligitur, vicissim diligit, *ego enim diligentes me diligo*, ait Dominus.

Ioan. 15. 9.

2. Amorem probat obedientia.

3. Christus exemplum amoris. *Ioan. 15. 10.*

Prou. 8. 17.

PVNCTVM II.

AMOR proximi commendatur. 1. præceptũ dilectionis proximi vocat nouum, quia penè collapsum restituit. Et quia est fundamentum nouæ legis, quæ est Amoris; & quia per illud renouamur Spiritu in adopti-

Festo Simonis & Iudæ

1. Quare mãdatum nouum?

onem

onem filiorum Dei: singulariter autem, quia noua amandi regula traditur. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* cùm antiqua norma foret, *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* denique quia est nota discipulorum Christi. *In hoc cognoscent, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem.* 2. vocat suum: *Hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* penè ob causas illis similes, propter quas vocauit nouum, præsertim, quod seipsum proponit exemplar amandi, *sicut dilexi vos:* & quoniam ipse impleuit maximè illam perfectionem amoris, de qua ait: *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* 3. Inculcat iam tertiò hoc præceptum. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Innuit hoc sufficere, & in illo reliqua contineri, *plenitudo enim legis est dilectio.*

Matt. 19. 19

2. Quare suum dicit

3.

Cùm commendabat, vt se diligerent, non est vsus præcepti nomine, quòd vltrò videbantur id facturi, tot prouocati beneficijs: vt autem inter se amarent, futurum erat difficilius. Voluit etiam exprimere, quàm sibi id esset cordi, quando tam grauibus verbis illud commendaret.

PVNCTVM III.

Ad orationem quæ necessaria.

COMMENDATVR vis orationis. 1. quia valet ad impetranda omnia, etiam miracula, modò in fide oretur, & in nomine Christi

1.

petatur,& pro gloria Patris: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio.* 2. orationis efficacitas pendet ex vnione cum Christo per charitatem, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Qui sic vnitus est cum Deo nihil petit, nisi quod ex Dei voluntate sit, atque ita semper impetrat, quod petit. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* 3. inculcat eandem promissionem de impetrandis, quae petuntur: & hortatur ad petendum, fore enim, vt cōpotes facti gaudeant. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: vsque modò non petistis quidquam, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Circa hanc toties, & tam asseueratam promissionem considerandę sunt aliquot circumstantiae. 1. Quis promittit? qui vocatur fidelis, & verax, qui nolit decipere, & possit praestare. 2 Quibus promittit? Discipulis, iam dimisso Iuda, non pertinet promissio ad rebelles, & peccatores, nisi cùm volunt resipiscere. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit exetrabilis.* Et suprà dixit, *Si manseritis in me, quodcunque petetis fiet.* 3. Quem oportet petere? Patrem, qui verè & simpliciter Pater est: nam, *si vos cùm sitis mali scitis bona data dare filijs vestris, quantò mag*

Ioan. 14. 12. — 2. — *Psal 144. 19* — 3. — Circumstantiae orationis 6. — 1. — 2. — *Prou. 28. 9* — 3. — *Luca 11. 13.*

Patri

Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus? Sed & Filius & Spiritus sanctus promptissimi sunt ad largiendum. 4. per quẽ petendum? in nomine Christi, per illius merita, & vt ipse glorificetur. 5. quæ petenda? quę decet Patrem cælestem largiri, & in Christi nomine peti, & petenti expediunt. 6. quomodo petendum? cum fide & fiducia de liberalitate Dei promittentis, & de Christi meritis, per quem petitur, nec non perseueranter.

4.
5.
6.

PVNCTVM IV.

Dominica infra Ascensionem

CONSOLATVR Apostolos, & animat ad patiendum, idque facit pluribus rationibus. 1. ab exemplo sui: *Mementote sermonis mei: non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interfecit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo: Et hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Hîc innuitur alia ratio libenter ferendi, quia propter Christi nomen. 2. quia est signum Diuinæ electionis: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* 3. quia vertetur in gaudium: *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* declarat exemplo mulieris parturientis. 4. Ab spe æternæ mansionis, & societatis gloriæ cũ

1. Ab exemplo Christi
2. Est signum electionis
3. Successio gaudij.
4. Præmium æternum

Christo:

Christo: *in domo Patris mei mansiones multæ sunt, & ego vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* 5. à præsenti ipsius Christi ope: *Non relinquam vos orphanos. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi, Vado & venio ad vos. Modicum & non videbitis me, & iterum, modicum & videbitis me, & ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Possunt hæc exponi de visitatione diuina inter tribulationes; etsi fortè magis pertinent ad finem vitæ præsentis, cùm veniet, vt suos hinc abducat ad æternum gaudium. 6. A testimonio diuini Amoris erga ipsos. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.* 7. A spe vincendi, *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum.*

5. Christi auxilium.

6. Amor patris.

7. Victoriæ spes.

MEDITATIO XIX.

Sabbatho ante Dominicam Palmarum.

Oratio Christi ad Patrem in fine sermonis. Ioan. 17. 1.

ORAT pro se, pro Apostolis, pro omnibus fidelibus & electis. est exemplar perfectæ precationis, in qua attendendum, pro quibus petat, quid petat, quo titulo, & ordo petitionis.

PVNCTVM I.

ORAT pro se. 1. Attendi debet interna & externa reuerentia orantis, verborumq; affectus, *subleuatis oculis in cœlũ dixit: Pater.* 2. quid petat: *Venit hora: clarifica filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Petit clarificari in nocte passionis; & fecit Pater, tot editis prodigijs in morte eius. item per gloriosam Resurrectionem, & ascensionem suam in cœlũ. Denique per exaltationem nominis ipsius toto mundo, dum creditur Deus, & Saluator. Petit autem hæc, non suam quærens gloriam, sed Patris, *vt filius tuus clarificet te.* nam clarificatio illius in tuam cedit gloriam, qui illum mundo dedisti. Licet mihi vsurpare eandem orationem sine temeritate, vt petam clarificari donis gratiæ, vt inde ipsum Deum clarificare valeam. 3. quo titulo petat: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem, & nunc clarifica tu me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Licet obtendere apud Deum fidelia obsequia, cum debita submissione. Vtinam ego haberem, quæ repræsentarem! at contrà, non nisi demerita habeo. Discitur etiam, quòd quæ Deus ab æterno destinauit, nihilominus petenda nobis sunt, quia per talem medium dare constituit. Claritatem ergo quam ante mundi constitutionem decreuit Deus electis, instanter ipsi ab illo petent. Sicut Christus hoc loco petit claritatem, quæ ab

Orat pro se. 1. Reuerenter.

2. Vt clarificetur.

3. Petit titul obedientiæ suæ.

æterno ipsi fuerat decreta. Etsi, quoad Christum, potest aliter accipi claritas: nempè quòd sit verus Filius Dei, quam habuit ab æterno: petit autem eâdem clarificari, hoc est, innotescere pro tali, & glorificari, sicut factum scribit Ioannes; *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

PVNCTVM II.

ORAT pro Apostolis. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Vbi simul continetur titulus, sub quo eos commendat Patri: *Quia tui sunt*, qui est efficax *Tuus sum ego: saluum me fac.*

Pro Apostolis petit tria.

Non orat pro mundo, & filijs tenebrarum, quia indignos se faciunt, resistendo diuinæ legi, & inspirationibus. Deinde petit pro illis

1. Tria. 1. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Petit, vt sint sub peculiari cura DEI, ac proinde inter se vniti, imò vnum sint, sicut Pater, & Filius vnum sunt, videlicet Naturâ, & consequenter, vnius sensus, & voluntatis, quod

2. optat Apostolis. 2. *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed, vt serues eos à malo.* Nimirum inter malos esse, & ab eis pati, sæpè expedit: illud modò detur, vt sub protectione Dei cœli commoremur, & ipse inter tenta-

3. tiones mundi liberet nos à malo. 3. *Sanctifica eos in veritate. Ego pro eis sanctifico me*

ipsum

ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate: Precatur discipulis veram sanctitatem, atque perfectam, non tantùm declinationem à malo. Alio autem sensu de se dicit: *Ego sanctifico me ipsum*, id est, deuoueo & immolo, *vt ipsi sancti sint*: nam ex Christi morte nobis prouenit sanctitas.

Tres titulos ad impetrandum Apostolis adhibuit. 1. *quia tui sunt*. 2. *serua eos in nomine tuo*, pro gloria tui nominis. 3. *quia ego pro eis sanctifico me ipsum*, morti offero. *Quo titulo petit.*

PVNCTVM III.

ORAT pro reliquis fidelibus *Non pro eis tantùm rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Itaque pro me tunc orauit, habuit enim tunc omnes cognitos, & in oculis singulos. Quid pro eis petit? *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*. Vnum inter se, & cum Deo. ô beata vnitas! Ex quo sequitur, *vt credat mundus, quia tu me misisti*. Tanti est vera vnio charitatis, vt plurimum momenti adferat ad fidei propagationem, quia ibi verè digitus Dei est, vbi charitas. *Pro omnibus fidelibus petit, 1. Charitatem.*

Præterea petit: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Hæc summa petitionum omnium, ac desideriorum finis. *Volo*, *inquit*, & quis re- *2. Vitam æternam.*

latet voluntati tuæ? Dic obſecro pro me, *volo*, & fiet.

Tituli ſunt. Tituli ſeu motiua petitionis ſunt illa, *qui credituri ſunt in me*. Et, *Pater, quos dediſti mihi*. Vterque enim reſpectus debet apud Patrem valere plurimum, vt largiatur illis primò vnitatem illam in hac vita, cum DEO, & inter ſe per charitatem; deinde verò, vt aſſumat illos ad ſe; vbi videant claritatem, quam Filius à Patre accepit generatione æterna, *faciem Domini ſpeculantes* (2. Cor. 3. 18.) Fiat, fiat.

MEDITATIO XX.

Chriſtus pergit ad hortum, & triſtatur. Matt. 26. 30. Ioan. 18. 1.

PVNCTVM I.

1. Conſuetudo bona ſeruanda. CVR à cœnaculo ad hortum perrexerit? 1. cauſſa, vt morem ſeruaret ſuum à concionibus, & conſuetudine hominum recipiendi ſe ad orationem. Sic ego conſueta exercitia non omittam facilè, quamuis impedimenta obijciantur: præſertim inſtante neceſsitate, vt hîc. 2. Ne crearetur ali-
2. quod incommodum Domino cœnaculi, ac ne fugere videretur periculum, eò ſe contulit, quò Iudas ſciebat, ſolitum ſe recipere Dominum. Vnde abiturus ait, *vt cognoſ-* (Ioan. 14. 31.)

cat

cat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. surgite eamus. 3. vt quia in horto mala libertas peccandi cœperat, in horto etiam comprehenderetur veræ vindex libertatis, & initium saluti daretur. Erat hortus ad montem Oliuarum, id est, misericordiarum, & per torrentem Cedron ad eum transiuit CHRISTVS. Quia misericordia nobis à Christo exhibita multis ei constitit doloribus. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

3. In horto Adam peccauit, Christus pati cœpit.

Psal. 109. 7.

PVNCTVM II.

QVÒD Christus voluit omne sensitiuum solatium sibi adimere, quo leniri solent valdè cruciatus, quò plus pateretur. & ita propositis malis omnibus sibi inferendis, quàm efficacissimè, & cohibito omni solatio, quod à superiore parte animæ dimanare insensus solebat, ita vt pati gestiret, laxauit habenas naturali appetitui, vt, quantum valeret auersatus mala impendentia, immensâ tristitiâ absorberetur.

Omnem lætitiam sibi ademit.

Internus hic Christi affectus ab Euangelistis variè nominatur, *timor, pauor, tædium, tristitia, agonia.* TIMOR est mali impendentis, qui sæpè magis cruciat, quàm ipsa mors. Et proponebat sibi Dominus singula disertè. vnde ait: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor*

Assumit Timorem.

Psal. 54. 5.

tremor venerunt supra me, & contexerunt me tenebræ. TAEDIVM est quoddam rerum omnium fastidium, vt omnes accidant ingratæ & molestæ. Sic luebat Christus tædium, quo ego soleo laborare rerum spiritualium, bonarumque actionum. TRISTITIA est afflictio interna, tanquam de pręsentibus iam malis, quòd ea apprehenderet ex diuina dispositione, tanquam ineuitabilia, & adeò vt præsentia.

Tædium.

Tristitia.

Porrò sicut charitatis eximiæ fuit, quòd Christus *desiderio desiderauerit* mori pro nobis, indeque gauderet, ita iam paris est charitatis, quòd timet, tædet, tristatur, quò ita plus patiatur pro nobis.

PVNCTVM III.

PRAETER passiones ipsas fuerunt quoque aliæ causæ, Christi animam affligentes 1. multitudo innumerabilis peccatorum, grauitas maxima, ob offensam Dei infiniti, & damna æterna. Itaque Dominus hic tristabatur, vt suppleret defectum in nobis, qui vix vllo tangimur doloris sensu ob nostra peccata, & vt illa eius pœna auerteret à nobis æternas. 2. quòd videret plerosque hominum non percepturos fructum ex tot ipsius laboribus & medijs, quæ offerebat: alios autem tepidè vsuros. 3. repræsentabat sibi passiones & afflictiones, quas plurimi passuri erant ipsius CHRISTI causa;

1. Peccata Christum contristarunt.

2. Ignauia nostra.

3. Passiones electorum sensit.

causa; & eas ipsas, vt proprias sentiebat. 4. speciatim perditio populi sui, ex quo erat secundum carnem, & variorum regnorum, quæ erant abiectura Christi fidem, & nominatim Iudæ, vt cùm membrum ex corpore abscinditur. 5. scandalum discipulorum, & Matris mœstissimæ afflictio. 4. 5.

PVNCTVM IV.

APERIT suam tristitiam Petro, Iacobo, & Ioanni. *Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hîc, & vigilate mecum.* 1. vsque ad mortem, qualis est in ipsa morte: vel, quæ afferre posset mortem, nisi ad plura patiendum seruarem meipsum. 2. Manifestauit ideò, vt constaret nobis interna eius afflictio, quam propter nos subibat, ac, vt se probaret hominem, talium capacem, & quoddam solatium, ex communicatione doloris, more humano perciperet 3. illis tribus Apostolis communicauit, quia iisdem gloriam glorificati corporis ostenderat. Vnde intelligerent, quanti hominem amaret, cuius causa illam gloriam cum hac humilitate commutaret. Item monerentur, cùm Deus singulari beneficio suos afficit, præparari sic eos ad plura ferenda, & denique fauorem esse singularem, non tantùm assumi ad speculandam gloriam in monte Thabor, sed etiam adhiberi ad communicationem passionum in monte Oliuarum.

Mat. 26. 38.
1.
2. Tristitiam suā aperit.
3. Tribus Apostolis solùm.

MEDITATIO XXI.

Oratio in horto. Matth. 26. 41.

PVNCTVM I.

IN EA tanta tristitia ad orandum se Dominus conuertit, relictis tribus illis Apostolis *Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis.* 1. docemur hinc in desolationibus recurrendum ad Deum per orationem, non per inania colloquia dissipandum animum. *Tristatur aliquis in vobis, oret.* Et, *in die tribulationis Deum exquisiui, renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.* 2. Hortatur etiam Apostolos, vt idem faciant: *Vigilate mecum.* Diuulsus ab illis orat, quia secretum amat oratio, & remouenda sunt impedimenta, & solatia postponenda.

Luc. 22. 41. Tristitiæ tempore orandum. *Iacob.* 5. 13. *Psal* 76. 3. *Mat.* 26. 38.

PVNCTVM II.

ORAT Patrem. 1. summâ reuerentiâ, & humilitate. *Positis genibus, procidit in faciem suam super terram.* 2. fiduciali Amore: *Pater mi.* 3. Resignatione plena, non obstante immensâ tristitiâ: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* 4. Prolixè, ad horam continuauit, vt colligi potest ex illo: *Non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* Summa orationis fuit breuis, & varijs affectibus producta. 5. Orauit: *si possibile est, transeat à me calix iste*, auertatur à me: potest

Luc. 22. 41. *Mat.* 26. 39. Oratio qualis?

& ita, vt citò expediatur, sit passionis tempus breue; sed non ad literam.

PVNCTVM III.

VISITAT discipulos, reperitque dormientes, ita sollicitus erat de illis, vt interrumperet orationem suam. Corripit dormientes, sed in spiritu lenitatis. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* præcauet deincep, monens: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*; quæ videlicet imminebat ex comprehensione Magistri. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, quæ proinde per orationem iuuari debeat. vel est excusantis discipulos, quòd voluntatem promptam habeant, sed fragilitate carnis vincantur.

Corrigit discipulos.

Hanc socordiam in tanto periculo dormientium imitor ego incurius salutis, & profectus mei. Vrgente tristitiâ, imperfecti contrahunt tædium, & soporem; perfecti autem inde vrgentur, ad instantiùs orandum, vt Christus facit.

PVNCTVM IV.

SECVNDÒ orat: *Pater mi omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* Transferri seu transire calicem à se in homines cupit, hoc est, fructum passionis. quòd si illum participare aliter nequeant, nisi Christus ipse bibat illum, & passionem subeat, fiat

Mar. 14. 39. Ostendit magnum amoris affectum.

voluntas Dei. quasi petat salutem conferri hominibus absque passione sua: si autem fieri secùs non valet, paratum se offert ad exhauriendum.

PVNCTVM V.

Mar. 14. 40. SECVNDÒ visitat discipulos, & *inuenit*, vt priùs, *dormientes* : *nam oculi eorum erant grauati* prę tristitia, *& ignorabant quid responderent ei.* Sciebat illos dormire, visitat tamen, curam exhibens circa illos. Vndique bonus Iesus solatio destituitur, intempesta nocte, in loco solitario, consopitis discipulis, nec à Patre exauditus est post longam repetitam orationem, nec ideò frangitur aut queritur, sed vrgetur ad impensiùs prolixiusque iam tertiò orandum. Et ego velim statim exaudiri? nequaquam, nisi perseuerauero pulsans.

Christi desolatio.

Cur Pater differt responsum.

Sed cur tam diu differt Pater responsum? vt necessitas passionis eius magis commendaretur, & Dei erga nos charitas, quandoquidem tam instanti diuturnaque obsecratione Filij non est flexus Pater æternus, vt ipsi condonaret calicem, aut remitteret. nisi enim summa esset passionis, mortisque Christi necessitas, non se permitteret tam diu rogari; & nisi hominem infinitè amaret, non abnueret, etiam cum dispendio hominis, quàm primùm Filio gratificari.

MEDITATIO XXII.

Confortatio, & sudor sanguineus.

PVNCTVM I.

TERTIA vice oranti *apparuit Angelus de cœlo confortans eum.* haud dubiè missus à Deo Patre; & fuisse Gabrielem credibile est, qui ad obsequium humanitatis Christi peculiariter fuit destinatus. Sic Deus perseueranti in oratione impertit in tempore solatium, & auxilium. *Luc. 22. 43.* Ab Angelo confortatur.

Confortauit Christum, proponendo necessitatem passionis eius, & gloriam inde Patris secuturam, & ipsius Christi, similesque rationes. Quas licèt ipse Dominus perspectas haberet, submissè tamen ex Angelo accepit, inde seipsum animans, & confortans pro conditione humana. Discam, non dedignari, ab inferiori dirigi, & solatium admittere, quando etiam nihil noui, aut ignoti profertur; fit enim, vt illuminemur magis à Deo, propter humilitatis obsequium.

PVNCTVM II.

OB dicta Angeli, *factus in agonia prolixiùs orabat.* Agonia fuit conflictus internus, dum ex vna parte timorem & tristitiam vehementem afficerent obuersantes cogitationi cruciatus; ex altera autem respectus Dei, & salutis nostræ, ad amplectendam mortem incitaret. *Luc. 22. 43.*

Pugna tristitiæ cum zelo gloriæ Dei.

Inter hęc *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*: adeo fuit vehemens vtrinque conflictatio. Erat in potestate Christi timorem, & tristitiam cohibere, sed specimen exhibere voluit pugnæ mox ineundæ cum ipsis tortoribus & tormentis: deinde exemplum dare repugnandi nostris passionibus vsque ad sanguinem. Denique docet, difficultates omnes, quæ in Dei seruitio occurrere possunt, præmeditari, atque aduersus illas obfirmare animum, vt præsentes minùs feriant, quippe iam antea deuictæ.

Christi liberalitas in fusione sanguinis.

Hæc spontanea sanguinis effusio, est instar myrrhæ primæ ac probatissimæ, quæ spontè fluit ex arbusta, priusquam vel pungatur, vel cortex detrahatur. ita nunc Christus fudit sanguinem toto corpore, effusurus postea totum, flagris concisus, clauis, ferroque perfossus, & spinis punctus. Quare cogitandum est in hac agonia per vehementissimam singulorum cruciatuum apprehensionem passum fuisse Dominum omnes simul dolores, quos postea tortores intulerunt excruciatione corporis. Vide charitatem.

Dolor de peccatis nostris.

Voluit etiam repræsentare nobis immensum dolorem, quem concipiebat, ob peccata nostra, & Dei offensas, vt satis ei non esset, lachrymis eas deflere, sed ad eluendas, sanguine opus fore.

Sensit passiones electorum.

Repræsentauit etiam in se ipso passiones, quas corpus eius mysticum subire debebat, & ita quodammodo cum singulis martyribus,

& con-

& confessoribus patiebatur. quantò decet magis, vt ego ipsius Christi tormenta pro me obita intimè sentiam, & meo sanguine demerear?

Tandem considera, quàm ex isto sudore & agonia manserit debilitatus, nullo interim adhibito leuamento, vel abstersione sudoris.

PVNCTVM III.

TERTIÒ surgit ab oratione, & *inuenit discipulos* etiam *dormientes præ tristitia.* Alacer surgit, ad confligendum cum morte. hæc fortitudo est fructus orationis. Non coarguit discipulos, sed indulget, dormite iam, & requiescite; vel indicat rem iam peractam, propter quam eos vigilare iusserat. Monet nihilominus euigilare ob præsens periculum, quando, vt orarent cum ipso, non fecerunt. *Sufficit, surgite, eamus, ecce appropinquat qui me tradet.* Non ille dormit sicut vos. pudefiam de oscitantia mea in Dei seruitio præ inimicis Christi ad eum offendendum.

MEDITATIO XXIII.

Applicatio sensuum internorum circa effusionem sanguinis Christi.

MEDITATIO XXIV.

Osculum Iudæ & præcedentia comprehensionem Christi.

PVNCTVM I.

IVDAS vnus ex duodecim, Dux compre-

Iudæ proditoris nequitia. hendentium Christum factus est: venit ad locum, quem sciebat Iesum orationis causa frequentare; pro tessera dat comprehensoribus osculum, alioqui pacis signum, atque audacter accedens, *osculatus est Iesum dicens: Aue Rabbi*. atque hoc fecit totum, vt vile pretium venditionis reportet. In quale profundum præcipitat hominem cupiditas! & quale Dei iudicium, permittentis in suo discipulo talem lapsum! salutari ego timore concutiar, & deprecabor à Deo similem cæcitatem: *Nequando dicat inimicus, praualui aduersus eum.* (*Mar. 14. 44.*; *Psal. 12. 5.*)

Christi charitas erga Iudam. 1. Deinde consideretur, quemadmodũ Christus excipiat Iudam summa charitate, & mansuetudine. Non abnuit osculum. quidni confidam quamuis peccator, ad eum accedere indulgentiæ causâ, quando non reijcit proditorem?

2. Imò compellat Amicum: *Amice ad quid venisti?* quærit, dissimulans prauam illius intentionem. Appellatione autem *amici* reuocat ipsi in mentem, quòd pro tali habitus fuerit à se. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*, quodque habere etiam in posterum paratus sit, modò perfidus ipse velit. O mansuetudo! (*Ioan. 15. 14.*)

Iudam corripit. Obiectat nihilominus proditori crimen, sed beneuolentissimè: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* tradis, & osculo tradis? venenũ melle admiscens? O Iuda, blanda appellatio! Filium hominis cõtemptim se nominat, quòd si tantum crimen, prodere Filium hominis:

quan-

quantum erit, quòd Filium Dei tradis? neque sic emollitur.

PVNCTVM II.

CHRISTVS verbo prosternit comprehensores. Voluit documentum dare suę potentiæ, & quòd nihil contra eum possent, nisi quantum ille ipsis permitteret. *Ego*, inquit, *sum*. Aliter hæc vox sonat in auribus pij, & iusti hominis, aliter impiorum. Illi est plena solatij, ac si dicat, *salus tua ego sum*; Dilectus tuus & omnia. peccatoribus autem est terribilis. quòd si nunc, quantò terribilior in magno die iudicij?

Ostendit potentiam suam.

Ioan. 18. 5.

Et abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Retrorsum, qui lapsus est periculosissimus, & in quo non videt cadens, quò ruat: ita peccatores non aduertunt, in quæ mala peccando reuoluantur. Non sic cadam ego, sed in faciem meam per humilitatem & agnitionem propriæ culpæ, veramque pœnitentiam, vt emendatus resurgam.

Retrorsum qui cadunt.

PVNCTVM III.

CVM è terra surrexissent, qui fuerant prostrati, Christo permittente, secundò interrogauit, *quem quæritis? illi etiam dixerunt: Iesum Nazarenum*. Vide cæcitatem, tanto miraculo conspecto, insistunt adhuc malè cœptis. Iesum Nazarenum quærunt, profitentur illum (quamuis nescientes, & nolentes) quod verè est, Saluatorem & sanctum. Interest, quomodo quæratur Iesus. quęrā ego,

Obstinatio Iudæ & militum.

non vt necem inferam, sed vt vitam referam ex illo. *Respondit Iesus: Dixi vobis: quia ego sum, si ergò me quæritis, sinite hos abire*; sic bone Iesu tuis consulis, tibi non consulis? & fuit verbum potens, ne attingerentur discipuli eius, sed in ipsum solùm rabies ministrorum Sathanæ versaretur.

Sinite verbū efficax.

PVNCTVM IV.

Luc. 22. 49.

Matt. 26. 52

Reprimitur Petri feruor tribus modis.

PETRVS amputat auriculam Malchi. Petita prius venia: *Domine, si percutimus in gladio*? sed non expectato responso, quod tale fuit: *sinite vsque huc*, abstinete. factum autem redarguit pluribus modis. 1. *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Hæc erat tunc lex talionis. quomodo mansuetus Agnus pateretur, se defendi per effusionem sanguinis alieni, qui suum dare venerat? 2. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* non ego mortem aspicio, vt intentatam ab inimicis, sed vt imperatam à Patre meo, ac ita vt optatissimam. ægrè fert, impedimentum obiici implendæ voluntati Patris. Sic ego oblatos labores amplectar, & pro Dei munere ducam. 3. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergò implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Possem quidem petere, & impetrare; [illegible] volo, vt Patris voluntas fiat. [illegible] hoc dicens, sicut in horto orans dixerat:

1.

2.

3.

Om

Omnia tibi poſſibilia ſunt, poterat abſolutè id fieri, vt transferretur calix, & legiones Angelorum in auxilium venirent, ſed, ex ſuppoſitione Diuini decreti, non poterat, quòd ita Chriſtus ſeruatum volebat, vt etiamſi poſſet illud effringere, nequaquam vellet.

Commendatur hinc efficacitas orationis, ad impetrandum auxilium à Deo, etiam multorum Angelorum. Vnde Eliſæus dicebat: *plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis*. deinde conformatio cum Diuina voluntate: quæ debet eſſe in orante. *4. Reg. 6. 16.*

PVNCTVM V.

SANAT auriculam Malchi, volens reddere bonum pro malo, & non ferens propter ſe alicui damnũ illatum, &, ne exacerbati miniſtri læderent diſcipulos. Credibile Malcho redditum ſimul fuiſſe auditum fidei, & obedientiæ, quia Chriſtus ſolitus erat cum corporali ſanitate conferre ſpiritualem, & miraculum in ſe patratum potuit ipſum permouere, tametſi alios nihil mouerit. O, ſanetur in me auditus ad excipiendas inſpirationes diuinas! *audiam quid loquatur in me Dominus.*

Malchus conuerſus hoc miraculo.

MEDITATIO XXV.

Comprehenſio Chriſti.

PVNCTVM I.

CHRISTVS facit poteſtatem ſuis aduerſa-

1. uersarijs. 1. Improperat, quòd tanquam ad latronem capiendum venirent armati. Habet ille nomen prædatoris apud Isaiam: *velociter spolia detrahe, citò prædare*: sed prædas agit animarum, ex potestate diaboli in libertatem vindicando. Velim, vt sic deprædetur cor meum, & sibi illud afferat. 2. Exprobrat, quòd, cùm quotidie cùm ipsis fuerit, docens in templo, non eum tenuerint: quasi pro doctrinæ labore rependant hanc mercedem: vel notat imbecillitatem, quòd, cùm in manibus eum habuerint, & pridem capere exoptauerint, non tamen sint ausi; nempe, non fuisse eis à Deo concessum. 3. Nunc autem, *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum* Permitto me vobis, & ipsis dæmonibus, qui vos instigant ad me perdendum. virtute huius concessionis potuerunt in Christum, quicquid ipsi fecerunt. Et sine exceptione se eis tradit, non sicut Iob traditus est, exceptâ vitâ. Magna charitas & dignatio, quòd etiam Dæmoni super suum corpus tradit potestatem, vt ego eripiar. O Domine, possideita corpus meum & animam, totumque me, nec sit alteri potestas super me.

Isa. 8. 1.

2. Ingratitudo Iudæorum.

3. Dat sui potestatem.

PVNCTVM II.

IRRVVNT in Dominum, trudunt, prosternunt, calcant, ligant, collo, manibusque iniecto fune; & *exultant*; *sicut victores captâ prædâ*. 1. Perpende, *humilitatem*: qui sedet super Cherubim, substernitur pedibus

Isa. 9. 3. Christi virtutes. 1.

impio-

impiorum, quantò id maius, quàm, quòd in cœna ad pedes discipulorum accidens, eos lauit. huc pertinet illud Psalmi: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, conculcauerunt me inimici mei.* Faciunt hoc ipsum peccatores omnes, qui *Filium Dei conculcant, & sanguinem illius polluunt*, teste Paulo: Iusti autem glorificant & portant Deum in corporibus suis. 2. *Patientiam* admirabilem, nullo edito signo indignationis, aut querimoniæ, & tamen *circumdederunt te vituli multi, tauri pingues obsederunt te, aperuerunt super te os suum, sicut Leo rapiens & rugiens.* Et poteras nutu omnes perdere O, discam ex te patienter iniurias sustinere. 3. *Charitatem*, qua manus offert ligandas, cùm meliùs quàm Samson vti fila disrumpere funes, catenasque potuisset. At non funes, sed charitas ipsius erga nos vinciebat manus, manus operatrices mirabilium: & impletum est illud: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, ego autem legem tuam non sum oblitus:* legem scilicet charitatis, qua iussisti, vt ponerem dilectam animam meam pro peccatoribus.

Psal. 55.2. Heb. 10.29. 2. Psal. 21.13. 3. Psal. 118.61.

PVNCTVM III.

TVNC *discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* 1. Ex parte discipulorum æstimanda est eorum infirmitas, quos tot visa miracula, & credita de Christo mysteria, sermo ille postremus, & iactata ab ipsis prom-

1. Inconstantia discipulorum.

ptitudo moriendi, & Eucharistici Sacramenti in hoc sumpti firmamentum; hæc totque alia nequiuerunt à turpi desertione dilecti Magistri cohibere. sic pedes illi paulò antè loti tam eximio charitatis atque humilitatis exemplo turpi fuga fœdati sunt. Nec deseruerunt tantùm, sed fide quoque nutarunt. Vtinam non ego etiam sim amicus mensæ & prosperitatis; in arduis autem & tentationibus desertor Christi!

2. Dolor Christi. *Psal. 87. 9.*

2. Ex parte Christi consideretur intimus sensus, quo tulit hanc sui gregis dispersionem, vsurpans illud: ***Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.*** quasi abominabilem me deuitarunt.

MEDITATIO XXVI.

Ducitur Christus ad Annam.

PVNCTVM I.

Ioan. 18.13.

Christi sudor & defatigatio.

ADDVXERVNT ***eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.*** Quàm crudeliter trahitur, & impellitur! &, quia properabant, & confertim Christum cingebant, opus fuit aliquando impingere Dominum, & cadere. Et erat alioqui à sudore sanguineo debilitatus, & laxatis inde poris, debuit in hac agitatione iterum sudare, licèt non cruentè. in transitu etiam torrentis Cedron impingebat in saxa, lædebatque sacratos pedes, pro meorum

cul-

culpis, qui veloces sunt ad malum. O, *dirige gressus meos in semitis tuis*! In ipso etiam ingressu Ciuitatis insolentius egisse ministros, militesque, credibile est, ipso tumultu clamoribusque veluti triumphantes de præda. Quàm iste ingressus ab illo diuersus ante paucos dies! confer illius obsequia, & acclamationes cum vi & petulantia istius. Et inter hæc, quâ humilitate & patientiâ bonus Iesus sustinebat omnia, & quâ offerebat Deo charitate! *Psal. 16. 5.*

PVNCTVM II.

PONTIFEX Annas interrogat Iesum de discipulis suis, & doctrina. Aderant legis doctores, scientiâ suâ inflati, qui irrisoriè Christum exceperunt, vt solent tales, subsannantes, quòd iam in potestate eum haberent. Absit à me scientia inflans.

Interrogant Iesum, quid docuerit, & quales habeat discipulos, studio calumniandi. Audit patienter, & mansuetè, is qui vnus est Magister, & Sapientia ipsa, stans constrictis manibus coram arrogantibus legis doctoribus. Aliter hîc, quàm cùm annorum duodecim *stabat in medio Doctorum, audiens illos & interrogans, stupentibus omnibus super illius responsis*: nunc autem cauillantibus. *Christi examen.* *Luc. 2. 46.*

(§)

PVNCTVM III.

Ioan. 18. 20.

Responsio libera & prudens.

RESPONDIT IESVS de doctrina sua: *Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Ac si dicat, non clanculum docui, occultare volens; sed ita palàm, vt omnibus constare queat. Pergit: *quid me interrogas? interroga eos qui audierunt.* Impauidum & liberum responsum pro veritate doctrinæ suæ: quod imitari oportet in profitenda veritate. Nascitur ea fiducia ex conscientia bona, & indubitata, notitia veritatis.

Non respondet in particulari quidquam, sed ipsos generatim ad suosmet hostes ablegat. sanè prudenter: quo factum, vt omnes conticescerent, à conscientia propria redarguti.

De discipulis tacuit; quòd parùm sibi honori essent, cùm fugissent, nec pro sua modestia arguere illos vellet. Et aderat Iudas, qui etiam dedecori sibi erat. Quare sentit omnino animi dolorem, contuens seipsum planè sine discipulis vllis.

* *
*

MEDITATIO XXVII.

Alapam accipit, & amandatur ad Caipham Pontificem.

PVNCTVM I.

VNVS *aßiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, ſic reſpondes Pontifici?* 1. Fuit crudelis alapa, quippe à furente, & aſſentante domino ſuo. 2. Valde ignominioſa in tali conſeſſu, & ei homini, qui hactenus fuerat venerationi omnibus, quam & inſita vultui maieſtas conciliabat. 3. Calumnioſa, pro iuſtiſsimo, ac prudentiſsimo reſponſo. 4. inde etiam acerba, quòd aliorum plauſu excepta; cauſamque præbuit, vt alij in Chriſtum talia auderent. ô facies decora, in quam deſiderant Angeli proſpicere! en vt rubeſcis tum à plaga, tum ab innato pudore ob maximam confuſionem!

Alapæ crudelitas. 1. 2. 3. 4.

PVNCTVM II.

RESPONDIT *Ieſus: ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis?* ſatisfacere voluit, ne videretur iniuriâ affeciſſe Pontificem. Reſpōdit autem manſuetè & modeſtè, abſque vllo ſigno turbationis; ſic autem efficaciter, vt nihil replicarent; nec tamen eius defenſio locum inuenit. Vt ego non turber; quando mihi ſimile continget, vt rationes, vel excuſationes non recipiantur.

Ioan. 18.23.

PVNCTVM III.

MISIT *Annas Iesum ligatum ad Caipham*; ad quem, vt Pontificem, res propriè pertinebat. Ligatum misit, vt antea vel etiam magis, pro maiori cautela: sed quò stringebatur arctiùs, eò charitas illius dilatabatur ampliùs, ad plura ferenda propter nos.

Ductus est, vt priùs tumultuosè prodeuntibus etiam ex domibus spectatoribus, seque turbæ adiungentibus & colludentibus. Interea Iesus solita pace, & patientia ferebat omnia & offerebat pro salute ipsorummet.

MEDITATIO XXIIX.

Triplex Negatio Petri.

PVNCTVM I.

Matt. 26. 58. PETRVS *sequebatur Iesum à longè, & ingressus cum alio discipulo atrium Pontificis* accedens ad alios ministros, *calefaciebat se, quia frigus erat.*

Lapsus Petri causæ. Lapsûs Petri hic quasi progressus fuit. 1. sequebatur à longè: refrixerat in anima eius amor, vnde notauit Euangelista, *quia frigus erat.* 2. ingessit se in occasionem, præfidens sibi 3. obliuioni tradidit prædictionem Christi. caueho diligenter ista. Ille alius discipulus (qui putatur Ioannes) non negauit, præcipuè Deo protegente, sed &, quòd non ita præsu-

meret de se, nec in occasionem se inferret, immiscens se ministris.

PVNCTVM II.

PRIMA negatio occasione ancillæ: nam ancilla ostiaria, cùm vidisset Petrum sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit ad circumstantes, *& hic cum illo erat*; & ad Petrum: *Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Imò *tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negauit dicens: Non sum; non noui illum, nescio quid dicas.*

NOTA 1. quòd per mulierem primò Diabolus Petrum aggreditur, vt in Paradiso Adamum, est enim mulier audacior, & mollior. 2. attende fragilitatem humanam. Ille filius columbæ, ille à Christo beatus pronuntiatus, tam leui flatu deijcitur! quid ego? 3. Timor ipse, vel mortis, vel damni prostrauit athletam. ô, quoties me respectus à recto auertit, aut sensualitatis illecebra, quasi ancillæ vox. 4. prô, quanta Christo iniuria irrogatur! Non sum, non noui, & quid sensit Magister bonus, dum sic à charo discipulo posthaberetur?

1. A muliere quanta mala. 2. 3. 4.

PVNCTVM III.

SECVNDA & tertia negatio Petri semel prostratus. foras egreditur, & Gallus primò cantauit, sed prę turbatione non aduertit. post pusillum reuersus ad ignem, secundò interpellatur: *Numquid & tu ex discipulis eius*

Petrus ter negat Christum.

es? certè & tu ex illis eras. *Iterum negat cum iuramento, quia non noui hominem.* Tertiò adhuc, interuallo facto quasi horæ vnius, qui astabant dicebant Petro, *Verè tu ex illis es*; & probabant, *nam & Galilæus es*, &, *nonne ego te vidi in horto? tunc cœpit detestari & anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.*

1. Astus Dæmonis. 1. aduerte, vt alias super alias machinas Diabolus adhibuit, ad deturbandum Petrum. Ita facit, quò fortiorem oppugnat, vt, nisi in magna solidatus humilitate non subsistat. ô Domine, *ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* (Psal. 35. 2.)

2. Occasio peccati fugienda. 2. Vide quàm pernitiosum sit, animaduerso periculo, non declinare illud. Non vitauit Petrus post primam negationem, quòd fuerat ei occasio, sed ad consortium malorum reuersus est. Vide etiam vti ex malo in peius dilabitur, à simplici negatione ad iusiurandum, & periurium, ab hoc ad execrationem. Diabolus extrema intendit, illud vrgens, *exinanite exinanite vsque ad fundamentum.* (Psal. 136. 7.)

3. Trina præsumptio causa trinæ negationis. 3. Vt Petrus post cœnam præsumens ter contestatus fuerat, se non negaturum, potiusque moriturum, ita in pœnam ter labi permittitur, vt suæ sit conscius imbecillitatis. à primo lapsu si se statim humiliasset, occurrisset secundo.

(?)

PVN-

PVNCTVM IV.

POENITENTIA Petri. vbi tertiò negauit, ſtatim gallus ſecundò cantauit, *& recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quia priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum; & egreſſus foras fleuit amarè.* Mar.14.72. Petri conuerſio.

1. Vide, vt Ieſus, inter ſuas vexationes, non obliuiſcitur Diſcipuli, quantumuis ingrati, ſed abſentem reſpexit miſericordiæ oculis. Reſpice me & omnes peccatores, vt ad te conuertantur. 2. lachrymæ Petri non iam ex timore, ſed ex amore fundebantur, dolens toto corde, quòd tam bonum Magiſtrum, & Benefactorem ſic ingratus offendiſſet. Et intelligebat probè illud: *Quia malum & amarum eſt, reliquiſſe Deum tuum:* vnde & amarè flebat; quæ ipſi lachrymæ iuges fuerunt tota vita. 3. obſerua progreſſum conuerſionis. 1. *Recordatus eſt verbi Ieſu.* vnde timorem, fiduciam, & amorem concepit. 2. egreſſus eſt foras, impedimenta relinquens, & occaſiones. 3. fleuit ex vera pœnitentia. Adde his, quòd prima omnium cauſa extitit, *quòd conuerſus Ieſus reſpexerit* Petrum.

1. Chriſti Charitas.
2. Petri lachrymæ.
Ierem.2.19.
3. Progreſſus. 1. 2. 3.

(?)

MEDITATIO XXIX

Accusatur apud Caipham, & c… demnatur.

PVNCTVM I.

1. Iudic. ipsi peruersitas. CONSIDERA 1. quàm fuerit pe… forma iudicij. Iudices erant inui… ambitione deprauati, & ipsimet *quæ…*
Mat. 26. 59. *falsum testimonium contra Iesum.* Accu… res & testes falsi, & corrupti. Inter ho… agebatur Filius Dei, ipsa innocentia: … quem cùm diligenter exquisiuissent f… testimoniũ, & multi falsi testes accessisse… tamen inuenerũt quod arguerent; iuxta…
Ioan. 14. 30. quod ipse dixerat: *Venit princeps mundi … & in me non habet quicquam.* 2. Diluit … nus accusationes silentio, vt ægrè ferre… phas, surgensq; diceret: *Nihil respondes … quæ isti aduersum te testificantur? Iesus …*
2. Silentium Christi. *tacebat:* sicut prædictum: *qui inquirebant … la mihi, locuti sunt vanitates, ego autem …*
Psal. 37. 13. *quam surdus non audiebam, & sicut mut… aperiens os suum.* Valet ad exemplum, v…
Vincet qui tacet. remittamus defensionem, præsertim in … festa veritate: & vincitur ita gloriosiùs, … do nihil respondendo diluitur calu… nam solet in talibus captari ex respon… occasio calumniandi aliquid, vt hîc statim factum.

PVNCTVM II.

ADIVRATIO Caiphæ. Cùm accuſationes non procederent, inſtituit Caiphas quæſtionem. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, Filius Dei benedicti.* 1. obſerua reuerentiam, quam Dei nomini Chriſtus detulit, vt contra propoſitum ſuum, per illud adiuratus, reſponderit. 2. reſpondit autem, fatendo ſe eſſe: *Tu dixiſti.* ac ne moueat vos mea hîc præſens conditio, quam à Filio Dei alienam ducitis, & ideò nihil minùs vobis perſuadetis, quàm me eſſe talem; *dico vobis: amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* 3. *amodò*, inquit, id eſt, poſtmodum. nam apud Deum *mille anni, ſicut dies heſterna, quæ præteriјt.* Ita ſolabimur nos ipſos in aduerſis, quia poſtmodum erit finis, & cuſtodiemus nos in proſperis metu imminentis iudicij.

1. Reuerentia nominis Dei.

2. Chriſti de ſe confeſſio.

3. *Pſal. 89. 4.*

PVNCTVM III.

SENTENTIA in Chriſtum à concilio: *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua* (ritus erat deteſtantis blaſphemiā in Deum,) *dicens: blaſphemauit.* pronuntiat eum blaſphemum: probat autem ex facti euidentia: *quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam.* Rogat ergò ſententias: *quid vobis videtur? at illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.* Sic bone Ieſu, pro blaſphemo haberis, & condemnaris? & quæ maior blaſphemia

Caiphæ hypocriſis.

Chriſti humiliatio.

esse potest, quàm hæc illorum in te? Quid ibi sensit Christus? detestabatur iniustissimam sententiam, & sacrilegorum hominum impietatem. nam se esse Christum, per omne prædicationis suæ tempus sufficienter comprobauerat; suscepit tamen libenter, & pro salute omnium acceptauit istam contumeliam.

MEDITATIO XXX.

Illuditur, & exagitatur apud Caipham.

PVNCTVM I.

Mat. 26. 66. VBI blasphemus & reus mortis proclamatus est à concilio, *tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius, dederunt, dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.* quinque insignes contume-

1. Cõtumelia expuitio in faciem.

liæ Christo factæ. 1. quòd consputus est ab illis, qui sputo suo dederat lumen cæcis, mutis vocem, surdis auditum: ea facies, quam Angeli venerantur, iusti desiderant: *ostende faciem*

Psal. 74. 4.

tuam & salui erimus. Et consputus est à vilissimis & improbissimis hominibus, per summam contentionem, ita vt oppleretur totus. Porrò Agnus mansuetus faciem suam non auertebat ab increpantibus, & conspuentibus; sed singulari modestia, & vultus serenitate excipiebat omnia. Fuit vsitata Iudæis contu-

melia,

melia: quin ex lege *spuebatur in faciem illius qui non vellet suscitare nomen & familiam fratris* defuncti absque liberis. Et de sorore Moysis, quòd murmurasset, scribitur: *spuisti in faciem eius, & illa apparuit candens leprâ quasi nix*. Poteras, Domine, in illos spuere, vt efficerentur leprosi; at maluisti ipse fieri, vt nos à peccati lepra mundares, sicut leprosus & percussus à Deo. Nec ius fuit spuendi in te, quasi nolles suscitare semen fratris, venisti enim reparaturus genus Adæ. Sed, an non spuunt in faciem tuam passim peccatores? an non peccata sunt tibi detestabiliora?

Deut. 25. 9.

Num. 12. 10.

II. Velatio faciei Christi.

II. Quod faciem eius velarunt, aliter quàm Moyses suam: is enim, vt audire illum possent Filij Israël loquentem; isti autem, vt illudant Christo proteruiùs, & quantò quàm Moysis facies CHRISTI lucentior? *qui est splendor Patris æterni, & figura substantiæ illius*. & quali putas operimento velarunt? vili haud dubiè, & fœdo Velant Dei faciem, qui, vt liberiùs peccent, sibi persuadent illud: *nubes latibulum eius, nec nostra considerat*. Sed hoc non est velare oculos Dei, *qui vbique contemplatur bonos & malos*: sed est seipsos cæcos facere, dum ita æstimant Velabo ego faciem Dei sicut Seraphim, submissè profitens, *habitare eum lucem inaccessibilem*.

Heb. 1. 3.

Iob 22. 14.

Prou. 15. 3.

1. Tim. 6. 16

III. Percussio Christi & alapæ.

III. Quòd *colaphis & alapis eum ceciderunt, & palmas in faciem eius dederunt*. pugnis contuderunt caput os, ceruices, dorsum: vt liuore, & tumore deformaretur; palmis autem,

hoc

hoc eſt, plana manu, ſacras genas per
runt, quod eſt etiam dedecoroſius. Ipſe
Luc.6.29. implens conſilium ſuum, *percutienti*
ram præbebat & ſiniſtram. Nec iam di
Ioan.18.23. *cur me cædis?* ſed cæde ſanè, cupiens *ſa*
Thren.3.30. *opprobrijs.* Porrò cædebatur à multis, &
tatim, impetuque maximo, quòd, quaſi
lo, contra blaſphemum agerent; atque v
tificarentur ſuis dominis, quiſque volel
minere.

Pugno cædunt Chriſtum, qui cont
manu per auaritiam de ſuo non iuuant
ſti pauperes, aut etiam affligunt: palm
tem, qui effundunt omnia, vt ambition
luptati, & vitijs ſeruiant.

IV. Capillorũ euulſio. Iſai.50.6.

IV. Quòd barbam & capillos euulſ
quod, etſi Euangeliſtæ non exprimunt, ſi
cat tamẽ Iſaias: *dedi genas meas vellẽtibus*
bã Aaron vnguẽto defluẽte ex capite del
eſt; & tua, ſacerdos magne, diſcerpitur? Sa
Iud.16.4.16 Nazaræus, Deoque conſecratus, amore
læ capillos perdidit; tu meliore amore in
ſus ſinis te ignominioſè decaluari?

V. Irriſio Chriſti.

V. Quòd verbis inſultauerint, & pr
derint Chriſtum. *Prophetiza nobis Ch*
quis eſt, qui te percuſſit? irriſoriè, Chri
appellant, & ſignum petunt, quo ſe pr
Chriſtum, prodendo percuſſorem. At pr
dit antea ſæpe internas etiam cogitati
noſtras.

Conuitia innumera in Chriſtum.

Et alia multa blaſphemantes dicebar
eum: tot, & qualia furor infernalis mini

bat. Ibi vetera in eum conuitia renouata sunt, cùm Samaritanum, Dæmoniacum, voracem, potatorem, amicum peccatorum violatorem Sabbathi, seductorem, blasphemum vocitabant. Vt verum esset, quod in persona Christi Iob dixit: *aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis.* Et hæc omnia enarrant Euangelistæ tanquam ad ipsius Christi gloriam spectantia: nam verè in gloriam verterunt. Ita & nobis continget, si in hac vita socij fuerimus Christi passionum. *Iob 16.11.*

PVNCTVM II.

Tota nocte vinctus illuditur.

QVID nocte reliqua passus sit. Nam recedentibus ad quietem primoribus, mansit Christus arctissimè vinctus, & custoditus à ministris Pontificis, & militibus, qui vices mutantes, absque cessatione vlla Christum exagitarunt vsque manè. Ille interea pernoctans erat in oratione Dei, palantes suos discipulos Patri commendans, & nostram omnium causam.

PVNCTVM III.

B. Virginis compassio.

QVòD Ioannes (vt credi potest) nuntiauerit B. Mariæ, quomodo ageretur cum Filio, & doloris gladius pertransiuerit animam eius. *Magna est sicut mare contritio tua, & quis medebitur tui?* illa tamen ad orationem confugiens, orabat, vt Filius: *si possibile est, verumtamen fiat voluntas tua.* & creden- *Thren. 2. 13.*

dum. fuisse illam diuinitùs confortatam confirmasseque socias Magdalenam,& alias Dein legendis Prophetijs,quę de Christo erãt dedisse se: quarum consideratione *plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, nec erat qui consolaretur eam ex omnibus charis eius.* Thren. 1,2.

MEDITATIO XXXI.

Trabitur ad Pilatum; Iudas desperat.

PVNCTVM I.

ITERVM manè sistitur in Concilio Caiphæ. expetiuerat Christus illud manè, illam diem,qua compleret opus Redemptionis nostræ; Iudæi autem, vt explerent cupiditatem, suamque crudelitatem exsaturarent. Iterum quærunt: *si tu es Christus, dic nobis* fraudulenter: vt, si negaret, sibi esset cõtrarius; si confirmaret, damnaretur. alioqui ea interrogatio veritatis indagandæ studio, non fuisset improbanda.

Fraudulenter interrogant Christum.

Detexit Christus malignitatem respondendo sic: *si dixero, non credetis mihi; si interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis:* Hoc tamen vobis affirmo: *ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.*

Sed voluerunt expressam confessionem elicere: vnde aiunt: *Tu ergò es Filius Dei? qui ait:*

Vos dicitis, quia ego ſum. At ego alia mente quæram ex illo: Tu ergò es Filius Dei? qui ſic tractaris? qui ab impijs iudicaris?

Itaque concluſerunt: *quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus.*

PVNCTVM II.

DEDVCITVR ad Præſidem Pilatum. videlicet, tradunt eum iudicio ſeculari, vt atrociùs puniatur. diſpoſuit autem id Deus: vt, qui pro Iudæis & gentibus moriebatur, ab vtriſque pateretur. Trahitur ad Pilatũ.

Ducebatur, vti aliàs, cum tumultu, & properanter: ſed iam tantò ignominioſiùs, quòd clara luce, & maximo concurſu hominum, qui tunc ob Paſcha aderant plurimi, comitantibus ipſis Sacerdotibus & ſenioribus, quorum authoritate vulgus mouebatur, vt inſultarent liberiùs CHRISTO, tanquam inſigni malefactori, qui in tanto feſto, Sacerdotibus agentibus, ad tribunal raperetur.

PVNCTVM III.

DESPERATIO Iudæ. 1. tunc videns Iudas, quòd Ieſus damnatus eſſet in concilio Iudæorum, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Seniorum dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Ita fit, excæcat Diabolus homi- Excæcatio Iudæ.

nem, vt peccet: vbi fecit, ponit ob oculos, vt desperet. Ita & Cain dicens: *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Sed ego non
Ezec.18. 23. sic, mi Deus, sciens: *quia voluntatis tuæ non est mors impij, sed vt conuertatur à vijs suis.* 2.
2. Imperfecta pœnitentia. pœnitentia Iudæ constitit suis partibus. Doluit, confessus est peccatum, restituit sacrilegum pretium; sed defuit spes diuinæ misericordiæ. Nec videtur ritè confessus, vt Dauid,
2. Reg.12.13 cùm dixit: *peccaui Domino.* vnde statim audijt: *Dominus transtulit peccatum tuum.* 3. Re-
3. Dura responsio, quid ad nos? sponsio sacerdotum: *quid ad nos? tu videris.* Sic obstinati erant, & profligatâ conscientiâ. Dura responsio Iudam in desperationem impulit. vnde, *proiectis argenteis in templo, abiens*
Matt.27. 5. Act.1.18. *laqueo se suspendit, & crepuit medius & diffusa sunt viscera eius.* quippe expertia misericordiæ erga Magistrum. Excipiendus infirmus in spiritu lenitatis: quomodo excepisset Christus, si ad ipsum confugisset, vti filium prodigum. Quò te, Iudas, tua cupiditas præcipitauit? illa ipsa pecunia, pro qua prodideras Magistrum, possessa excruciabat animam tuam, vt potius abijcienda tibi fuisset. sic expleta cupiditas, est ipsa tortor peccantis.

PVNCTVM IV.

QVID de pretio factum? *Sacerdotes dixerunt non licet eos mittere in corbonam* (arcam templi;) *quia pretium sanguinis est.* Valdè videlicet Religiosi! sed Deus ita signi-

ficauit, pretium sui sanguinis non fore vsui sacerdotibus illius templi, & sequacibus eorum impietatis. *emerunt autem ex illo agrum in sepulturam peregrinorum*: in signum, quòd æterna requies pretio Christi paratur peregrinis, qui *non habent hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirunt.* Heb. 13. 14.

Notari etiam potest Christi amor peculiaris erga pauperes, in quorum voluit vtilitatem cedere pretium sui sanguinis.

MEDITATIO XXXII.

Accusatur apud Pilatum.

PVNCTVM I.

PRAESENTATVR Christus Pilato, & acerbè ab illo excipitur, quòd valdè scelestum esse oporteret, qui tali die, & tanto primorum, plebisque concursu sisteretur tribunali. ait ergo: *Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* sic tu traduceris, bone Iesu, sic contemptui haberis.

Matth. 27. Acerbè excipitur à Pilato Christus.

Respondent superbè: *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* sufficere volunt, quòd vt reum tradant, absque alia criminis discussione. Malefactor diceris, Christe, qui benè omnibus facis, & fers humiliter: feram & ego, cùm reddetur malum pro bono.

Superbia accusatorũ.

nando omnes oppressos à Diabolo pertransierat Galilæam & Iudæam, pro seditiosissimo mortalium habetur. Et ecce, iam tertiò per plateas Ierusalem rapitur ad tribunalia, & nunc quidem ad Regis incestuosi, qui fratris viuentis vxorem duxerat, & *Beatum Ioannem Baptistam decollauerat.* Marc. 6. 17. 27.

PVNCTVM II.

EXCIPITVR Christus ab Herode humaniter, spe videndi aliquod miraculum ab eo fieri: sed Christus detestatus est illius scelera: nec curiositati seruire voluit, & optatam sibi mortem noluit impedire. Imò *tacuit nihil respondens*, quamuis starent *Sacerdotes, & Scribæ constanter accusantes eum.*

PVNCTVM III.

SPERNIT Christum Herodes cum exercitu suo, & *illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum; & facti sunt amici.* 1. Quòd non responderet quidquam, habitus est pro stolido, quodque ex stultitia faceret se Regem, quare *illusus veste alba*, qua Cæsares vtebantur. Exagitatus etiam est dicterijs & pulsatus. Et erat is æterna Sapientia. sic medebatur meæ superbiæ. Contingat mihi pro Christo ornari ijsdem insignibus. 2. Qua irrisione per vias sit reductus. *Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* Iob 12. 5.
3. Auita & renouata confusio apud Pilatum, 3.

Luc. 23. 11. 1. 2.

Digitized by Google

cùm in ea veste comparuit; ministris quoque illius fabulam promouentibus. Ego autem
1. Cor. 3. 18. affecto videri sapiens: *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens: sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.*
4. 4. Alba vestis innocentiam Christi designat, cui à mundo illuditur. Optem illam consequi, licèt foris humilier & vexer, sicut sponsa, quæ ait:
Cant. 1. 5. *Nigra sum, sed formosa*: gloria eius ab intus, foris autem obscura & afflicta.
5. 5. *Facti sunt amici* per hanc Christi vexationem: scilicet eius passio vnire debebat vtrumque populum in vnam Ecclesiam, Iudæos, & gentiles. Nota etiam, quomodo valet ad conciliandos animos deferre alteri. nam eò quòd remisit quasi subditum ad Herodem, conciliati sunt. sed & in illis verificatur:
Psal. 2. 2. *Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius.* sed *qui habitat in cœlis, irridebit eos.*

MEDITATIO XXXIV.

Christus Barrabæ postponitur.

PVNCTVM I.

Componitur cum Barraba.

CVM propter solennitatem Paschatis soleret populo donari vnus ex vinctis, ob aliquod maleficium, excogitauit Pilatus, hac ratione se posse liberare Christum. quem innocentem iudicabat. quod vt certiùs obtineret,

ret, elegit perditissimum latronem, homicidij,& seditionis reum,quem cum Christo proponeret; fore euidens, vt potiùs Christum, quàm tam sceleratum hominem populus liberari peteret. Sed in primis hæc ipsa comparatio Christi,& latronis, ad insignem Christi ignominiam cedebat. Deinde, cùm populus procliuis esset ad id,quod erat rationabilius, principes Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, vt *peterent Barrabam, Iesum verò perderent.* videlicet calumniosè contendendo, quòd peior, & pernitiosior esset ipso latrone. quod intuens Christus dolebar, sic decipi populum simplicem. Tandem detestabilissimum est,quòd cùm latro tot haberet patronos, Christus neminem. Qui proinde dicere Patri æterno potuit, *Tibi derelictus est pauper,orphano tu eris adiutor.*

Barrabæ postponitur à Sacerdotibus.

Psal. 9. 14

PVNCTVM II.

ACCLAMATIO populi pro latrone: *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabam.* Si proponi simul maximus fuit contemptus, quantus erit,fuisse ei prælatum facinorosum? verè Iesu bone dixeris: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.*

Populus petit Barrabam.

Psal. 21.7.

En,qualia sunt hominum iudicia, & quis velit ab eis pendere,siue laudent, siue vituperent? bene est quod ab eis non pendet bonum nostrum,& salus. quare spernam illa, in vtramuis partem sint,illud vnum curans, qualis sim apud Deum.

Iudicij peruersitas.

Huic

Peccator Deo præfert Barrabam.

Huic peruerso iudicio simile est, quod peccator facit, cùm præfert creaturam Deo in quouis lethali peccato, nam in tentatione ei proponitur, vtrũ malit? ac ratio quidem suggerit pro Deo, sed mali instigatores, Diabolus & caro euincunt, vt præeligat breuem gustum infinito bono, cùm ipse est alioqui infinitis obstrictus debitis.

PVNCTVM III.

Pilatus pusillanimis.

PILATI replica, *quid igitur faciam de Iesu?* obstupuit Pilatus, quòd optassent latronem, posthabito homine innocente. Malè autem interrogat ipsos, sed debuit pro officio Christum innocentem absoluere, quod non est ausus homo pusillanimis. quid autem Iudæi respondent? *dicunt omnes: crucifige, crucifige*, rabie acti ingeminant, & poscunt mortis genus crudelissimum. Peccata nostra clamant, ipsa te crucifigunt, sed bene est, quòd ipsamet crucifigantur tecum, sicut dicit Apostolus tuus, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* O destruatur in me, ne *vltrà seruiam peccato rursum crucifigens mihimet ipsi Filium Dei.*

Peccata clamant Crucifige. *Rom. 6. 6. Heb. 6. 6.*

(?)

MEDI-

MEDITATIO XXXV.

Christus flagellatur.

PVNCTVM I.

PILATVS addixit Christum flagellationi, quamuis innocentem agnosceret: vt sic satisfaceret furori Iudæorum, eumq; à morte liberaret: nam ait: *Nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergò illum, & emendatum dimittam* Quòd si id non succederet, flagellatio illa esset pro ea, quæ ex more Romanorum infligebatur crucifigendis. quamuis sunt, qui colligant, secundò fuisse flagellatum cùm damnatus iam esset mortis.

Flagellatio Christi.

Luc. 23. 16. 22.

Iniqua hæc fuit sententia, cùm sciret esse innocentem; Ignominiosa, quòd supplicium seruorum; Crudelis, eò magis, quòd credibile est, Pilatum iussisse ita Christum tractari, vt miseratione illius immania corda Iudæorum flecterentur. Acceptauit Iesus patienter, nihil pro se allegans, aitque; *Ego autem in flagella paratus sum, & quæ non rapui, exoluam.*

Psal. 37. 18. Psal. 68. 5.

PVNCTVM II.

CHRISTVS nudatur ad flagella, &, vt aliqui putant, brachijs in altum porrectis ligatur ad columnam. quanta illa confusio? vt mihi stolam gloriæ promereatur, qua ipsa ego me sponte exspoliaui sæpè, & abieci, sine pudore.

Vestibus nudatur.

PVN-

PVNCTVM III.

1\. Instrumenta triplicia. FLAGELLATVR crudeliter, id æstimandum 1. ab instrumentis, quæ feruntur fuisse triplicia, virgæ spinosæ, nerui durati, & catenæ ferreæ 2. à complexione corporis delicata; & ex priore sudore sanguineo, totiusque noctis exagitatione, valdè afflictis viribus. 3. ab immanitate tortorum, vrgente etiam iussione præsidis, & diaboli suggestione, quò ad impatientiam induceretur, & succedentibus sibi percussoribus. 4. à multitudine plagarum quæ fuerunt innumeræ, haud seruata lege Moysis, quæ infra quadraginta esse iubebat. *Deut. 25. 3.*

Itaque *à planta pedis vsque ad verticem non erat in eo sanitas*, non species, neque decor. *Vidimus eum, & non erat aspectus, & nos putabamus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum.* Excipiebat autem ictus summa patientia, & absque vllo turbati animi signo, adeò vt quidam Ethnicus scriptor de eo sic locutus fuerit, ô virum infractum animo, qui nec precem, nec lachrymam fudit: & S Petrus *qui cùm pateretur, non comminabatur.* & ego corpori meo indulgebo?

Isai. 1. 6. *c. 53. 2.* Patientia Christi summa. *1. Petr. 2. 23.*

MEDITATIO XXXVI.

Christus coronatur spinis.

PVNCTVM I.

Coronatio Christi. QVOD milites nouum excogitauerint inuentum probrosè & crudeliter excruci-

Digitized by Google

andi Christum. Non erat amori eius satis, communia pati, & studium, quo mortales excogitant semper alios modos indulgendi cupiditatibus suis, debuit extraordinarijs Christi supplicijs coargui, & reprimi. Ad hæc milites illi, qui Christum flagellauerant, ad spectaculum conuocant reliquam cohortem, vt ludibrium fiat insignius.

PVNCTVM II.

EXVVNT proprijs vestibus, & induunt clamydem coccineam. Iterum igitur nudatus exhibetur in tanta militum corona, & quia plagis adhæserat tunica interior; reuulsa est cum ingenti dolore, præsertim cùm violentè detraheretur: Inijciunt Christo vestem purpuream, vti regiam, vt qupd honori summo alijs esse solet, idipsum Christo esset despectui. En, vt sponsus tuus, ô anima, candidus est, & rubicundus? ab Herode priùs alba nunc à Pilato rubicunda veste circumdatus Peccata nostra sunt hæc purpura Christi humeris imposita.

Nudatur denuo.

Purpura induitur.

PVNCTVM III.

PLECTENTES coronam de spinis, imposuerunt super caput eius. coronari solebant Reges, triumphantes Dij. Illuditur ergò Christo vt vano Regi, qui paulò antè more triumphantis intrauerat Ierosolymam, & qui se filium Dei faceret. Egredere anima, & vide Regem Salomonem in diademate, qua corona-

Impressio Coronæ.

Cant. 3. 11.

coronauit eum mater sua synagoga, ex qua e
secundùm carnem. siccine tamen ille *gloria* &
honore coronatus? Nec ad contumeliam tan
Psal. 8; 6. tùm coronatur sic, sed etiam ad immanen
cruciatum, spinis fodicantibus sacrum capu
& cruoris riuos elicientibus, qui largiter flu
entes, venerandum vultum, os, oculos opple
uerunt. Apage superbia, apage voluptas, dum
ita Rex meus luditur; & configitur spi-
nis.

PVNCTVM IV.

Arundinis gestamen.

ARVNDINEM *in manus* dederun pro sceptro; notantes eius regnum esse inane & ludicrum. Accipit, tenetque fortiter irrisionis insigne. Terreni Reges ex auro solido conficiunt sceptra, cùm contrà illorum regnum sit inane & fluxum, & tanquam baculus arundineus, qui frangitur, si innitaris, & manum perforat. Addunt ad insignia regia ludicram adorationem, nam genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes, *Aue Rex Iudæorum.* Per lusum vos adoratis, at Angeli seriò, salutatis irrisoriè, quem laudant Angeli, atque Archangeli. Salutauit & Iudas Christum, sed corde ficto, cùm mortem ei moliretur, quem salutabat: isti autem palàm irrident salutando. Sic inter peccatores sunt alij simulati, alij aperti. Adorant vno genu, vt plerique mortalium, ex parte tantùm Deo seruientes, non toto corde, mente, & viribus.

Illusoria adoratio.

PVNCTVM V.

QVEM vt Regem irriserant, tanquam vile mancipium atrociter tractant: nam *accipiunt arundinem, & percutiunt caput eius, & alapas dant, & expuunt in eum.* Similia in domo Cayphę perpessus fuerat, omnia iniuriosissima. sed quòd arũdine tũdebatur caput, etiam fuit acerbissimum, sentibus coronæ sic altiùs infixis; & fœda flegmatum colluuies horrorem, & nauseam creabat. Ferebat autem omnia humiliter, & patienter, nemine ex tot circumstantibus compatiente, sed omnibus ex spectaculo miserabili voluptatem capientibus, risumque captantibus. Percussio alapæ.

MEDITATIO XXXVII.

Producitur ad populum coronatus Rex.

PVNCTVM I.

PRODVCITVR ad populum. sic fuerat deformatus, vt putaret Pilatus, mitigari illius aspectu posse rabiem Iudæorum: quare ex editiore loco eum ostentat. *Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum.* Qualis confusio, sic inimicis ostentari! quâ id demissione tulit mitis Iesus! ô quàm alius in monte Tabor apparuisti! Ioan. 19. 5.

Ait ergo illis: *Ecce homo* qui sic est defor- Ecce homo varia con

matus, vt figuram hominis non habeat, & c
tamen homo, & homo ille, quem vos ambiti
accusastis. ô speciose præ filijs hominum, vl
species, vbi decor? ô velim sic exterius defo
mari, vt reformer interius?

Deinde cogitabo, quòd Pater æternus pe
Pilatum sic nobis exhibeat Filium suum, di
catque: *Ecce homo*. Homo quidem, sed & De
us; & Angelorum Dominus, & Redempto
tuus, qui huc se abiecit propter te. Vicissir
quæram: An iste est cui testimonium in mon
te dedisti, quod sit Filius tuus? vbi ergo nube
lucida? vbi testes Moyses, & Elias? vbi reliqu
*Protector noster aspice, Deus, & respice in fac
em Christi tui.*

sideratio huius dicti.

Psal. 38. 10.

PVNCTVM II.

IVDAEI adeò non moti sunt illa Chris
specie, vt exarserint magis Pontifices, &
ministri clamantes: *Crucifige, Crucifige eum*
Perge, comple quod cœpisti. Quid ibi sen
Christus, visa pertinacia ingrati populi,
quem tot contulerat beneficia? & quòd idci
co deserendi essent à Deo. Tu contrà, acue st
dium, & feruorem placendi ipsi, in quanda
pro ea iniuria compensationem. Pilatus ip
commotus tanta pertinacia, à se remouet i
dicium dicens: *Accipite eum vos & crucifigit
Ego enim non inuenio in eo caussam.*

Crudelitas Iudæorum maior in Christum.

Responderunt Iudæi, *nos legem habemu
& secundùm legem nostram debet mori, qu
Filium Dei se fecit.* Ex prætextu legis accusa

tur blaſphemiæ, & reus mortis agitur. *Qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo* ſic filij ſæculi, alioqui diuinæ legis contemptores, prætexere zelum legis ſolent, quando ad ſuas cupiditates abuti illa volunt. Philip. 2, 6

PVNCTVM III.

EX accuſatione Iudæorum, quòd filium Dei ſe faceret, timere cœpit Pilatus tantò magis, nam mores Chriſti, & inſita maieſtas ſuffragabantur tali exiſtimationi Quare ſine arbitris eum interrogat, *vnde es tu*? Cui cum Ieſus nihil reſponderet, faſtu tumidus obiectat, *mihi non loqueris*? & poteſtatem ſuam iactat, qua poſsit Chriſtum vel crucifigere, vel dimittere pro libitu. Tunc Ieſus, non iam pro ſe dicturus, ſed pro Patris æterni gloria reſpondit: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Cordi fuit CHRISTO, vt conſtaret, voluntarium eſſe ſacrificium, ex ordinatione Diuina.

Pilati ſuperbia.

PVNCTVM IV.

QVAEREBAT adhuc Pilatus dimittere Ieſum. Iudæi autem *clamabant*, *ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*. quibus conterritus *adduxit foras Ieſum, & ſedens pro tribunali dixit Iudæis, Ecce Rex veſter*. en, qualis Ioan. 19. 12

Rex, a quo scilicet metuere Romani debeant
vel si instinctu diuino dictum accipiatur; En
ille Rex vobis expectatus, Redemptor Israël
inspiciam ego ipsum. illis repellentibus; nam
clamabant denuò, tolle, tolle, crucifige eum

PVNCTVM V.

Rabies Iudæorum.

INSTAT adhuc Pilatus: *Regem vestrum crucifigam*? responderunt Pontifices, *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Quid ita? an non Christum expectatis? & quomodo solùm Cæsarem, qui vos seruitute premit, & quem peiùs angue odistis? sic, vt odium suum expleant in Christum, quiduis cæci agunt. Veniet in vos Cæsar, ac Deo ordinante, pœnas à vobis exiget abnegati Christi Regis. ô, quoties ego posthabeo Christum mundo, varijsque respectibus à vero abducor! Et en, vt est cæca passio animi, cæca inuidia, & odium in aliquem semel conceptum.

MEDITATIO XXXVIII.

Damnatur ad Crucem.

PVNCTVM I.

Matt. 27. 19
Visio vxoris Pilati a quo causata?

VXOR Pilati nunciat marito sedenti pro tribunali, *Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum per visum propter eum.* id potuit accidere à malo genio, qui, visa Christi virtute, & patientia inter tot acerbitates, ve-
ritu

ritus sit, ne regno suo malè cederet illius mors. Tantùm valet eximia virtus, etiam apud hostem & improbum. Vel etiam à bono Angelo suggerente, iudicium illud fore marito eius exitiale. Nempe voluit Deus sic etiam testatam reddere innocentiam in ipso damnationis articulo.

PVNCTVM II.

PILATVS videns, se nihil proficere suadēdo, lauit manus, dicens: innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Præambulum sententiæ in Christum fuit, profiteri ipsum iustum. Frustrà autem in alios crimen reijcit.

Respondit vniuersus populus, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* ô dira in seipsos imprecatiō, quæ & apprehendit illos Ego aliter mihi imprecabor illum sanguinem, vt lauet, & sanctificet me. Lauit Pilatus foris manus, non intus conscientiam, idque fit, cùm prætexitur malè factis excusatio apud homines. Ego in primis cor habere mundum velim.

Sanguis Christi aliter super malos quā bonos.

PVNCTVM III.

PILATVS *adiudicauit fieri petitionem eorum.* quanta iniustitia! reclamante conscientia. *Et Iesum tradidit voluntati illorum, vt crucifigeretur.* nam hoc petiuerant. quanta crudelitas! qui plausus furentium consecuti? Christus autem libens sententiam acceptauit,

Mortis sententia iniustissima.

vti decretam in tribunali diuino pro homi[n]
salute. Vbi Matri renunciata est, obriguit, [s]
& acquieuit Diuinæ dispositioni.

MEDITATIO XXXIX.

Baiulatio Crucis, & iter ad Caluariam.

PVNCTVM I.

Exuitur chlamyde.

EXVITVR chlamyde, & proprijs induit[ur] vestimentis, cruxque portanda ei por[ri]gitur.

Delusus fuerat Rex, iam vt latro detra[hi]tur purpura sed non corona, ne cruciatu [pri]uaretur: & significatur eius regnum perm[a]nens. sceptro autē arundine pro trabs ei tra[di]tur. Ad portandam crucem debeo exui in[or]dinatis affectibus, & Christi moribus ind[ui,] quibus agnoscar discipulus eius. Cùm por[ri]geretur Christo crux, haud dubiè intimo co[r]de salutauit veriùs, quàm Andreas, tale qu[id] dicens: Salue crux pretiosa, diu desidera[ta] sollicitè amata, & aliquando concupiscen[ti] animo præparata. Amplexum, & osculu[m] dat, sacrisque imponit humeris. ô, sic ego o[b]latam crucem amplectar?

Crux portanda cum Christo.

Ad cumulum ignominiæ duo simul latr[o]nes educuntur, qui oblatas cruces auers[i] sunt, cùm eas meriti fuissent. Christus aute[m] innocens suam pro alienis peccatis lube[ns] tulit.

Illuditur vt latro.

PV[NCTVM]

PVNCTVM II.

PRODIT inter duos latrones, *baiulans sibi crucem* per plateas Ierusalem, præcone proclamante supplicij merita. Sustinetis hoc Angeli? & tu Pater æterne? videlicet, vt præfigurauit Abraham, ligna filio tuo Isaac imponis: tu fers ignem, & gladium, ignem charitatis: qua *sic dilexisti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares*: gladium autem iustitiæ qua pœnas exigis nostrorum scelerum ab immaculato Agno. Adure, ò Domine, isto igne cor meum.

Baiulatio Crucis.

Figura in Isaac.

Ioan. 3.16.

Succumbebāt graui ponderi delicata membra exhaustaque tormentis: cespitabat Iesus, impingebat, cadebat; &, recrudescentibus plagis, rigabat cruore vias. O Angeli, cur non subleuatis? ò si potuissem ego! Et an non pretiosum sanguinem colligitis? imò, non peribat ex eo quidquam.

Succumbi crucis & peccatorū ponderi.

Porrò grauabant Iesum multò magis peccata nostra: *Omnes* enim *quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm principatus eius super humerum eius.*

Isai. 53.6.

PVNCTVM III.

CRVX transfertur in Simonem Cyrenensem. Crucem ferenti Christo petulanter insultabant, at quòd deficeret sub pondere, veriti Sacerdotes, ne vita destitueretur, aut nimis serò ad locum supplicij veniret pro

desiderio, quo tenebantur ipsum crucifigendi, substituerũt alium. Confidam ego de diuina bonitate, quòd oportunè me subleuabit in cruce ferenda. Potuit Christus sibimet addere vires ad ferendum, sed noluit vti miraculo, vt ita etiam significaret, quòd crux eius foret etiam alijs communicanda: nam & inuitauerat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Suam, inquit: nam propria est, quod viribus cuiusque accommodata; & Christi est, quia ab illo, & ad illius imitationem, & ex ipsius amore.

Cur crucē alteri permittit imponi? — Luc 9, 23.

Cogi debuit Simeon ad portandum, nam Iudæi pro maledicto habebant, vel tangere quia in lege vocatur *maledictus homo, qui pendet in ligno.* Milites gentiles probro ducebãt discipuli & amici non aderant, vel non audebant se ingerere.

Cogitur Simeon. — Deut. 21, 23

Sic crucem detrectant. 1. Infideles, qui eius virtutem non agnoscunt. 2. mundani, & ambitiosi, qui dedecori habent. 3. sensuales, quòd carni aduersetur. Flebat Paulus *multos esse inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum.*

Qui crucē detrectant. 1. 2. 3. — Philip. 3. 18.

Coactè omnes portant, quatenus natura abhorret: quoad voluntatem autem, quidam coactè, quia planè refugiunt, & impositam impatienter ferunt; alij quia non spontè suscipiunt; sed visa tamen necessitate, tolerant pacatè, vt Simeon iste; alij denique obuijs manibus occurrunt illi, & gaudent

Nō coactè, sed spontè amplexanda crux.

Ex quibusnam tu es? stude, vt sis ex postremis.

PVNCTVM IV.

CIRCA substitutum in ferenda cruce Christi considerandum, quòd vocatur *Simeon*, id est, obediens: quæ virtus vincit repugnantiam voluntatis, ad tollerandam crucem. Et eadem subleuat Christum, &, qui eius loco sunt superiores, vt cum gaudio, & non gementes præsint. Christi obedientia vsque ad mortem crucis cõmendatur. 2. Simeon iste peregrinus erat, & ex villa veniens Ierosolymam. Sic oportet esse peregrinos, & tendere in cœlestem Ierusalem, quibus occurret Christus, vt ab eo crucem accipiant. 3. labor Simeonis fuit breuis, memoria hucusque gloriosa, eritque. ita continget nobis.

Portans crucem sit Simeon.
1. Obediens.
2. Peregrinus.
3.

PVNCTVM V.

ALLOQVITVR mulieres: *sequebatur turba multa*; alij, vt affigerent cruci; alij, vt fruerentur spectaculo, vt sacerdotes; alij curiositatis causa; alij commiseratione quadam; nullus, vt iuuaret, aut cum eo moreretur. Alloquitur mulieres flentes ipsum: ***Nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.*** non prohibet lachrymas commiserationis, sed præfert compunctionis, quibus delentur peccata, tùm propria, tùm

Diuersitas sequentiũ Christum.

aliena. indicat etiam luctuosissimas
quæ, ob crucifixum Dominum, conse
erant gentem Iudæorum. Rationem
reddit: *nam si in viridi ligno hæc fiunt,*
quid fiet: si tam speciosa & fructuosa a
alienam culpam sic exscinditur, quid
cij manet peccatores, quasi inutilia l
solùm igni apta?

PVNCTVM VI.

B. VIRGO admonita de condemn
Filij, occurrit eunti, visaque à
mutuò aspectu conuulnerarunt. Igitu
cta ciuitate, ad Caluariæ montem pe
Vtique relictâ, quæ ob infidelitatem
enda erat, fructuque mortis Christi pri

MEDITATIO XL.

De loco & tempore crucifixioni oblato felle, ac denudatione

PVNCTVM I.

I. Eligit locū apertum.

DE loco, & tempore mortis Dom
Locus fuit mons Caluariæ. In a
voluit mori, vt pateret omnibus, qui pr
nibus moriebatur: & in infami supplici
ad maiorem ignominiam. Et in caluari
ad horrorem, quòd ibi reorum cal
congestæ essent, atque vt significaret, su
te se viuificaturum defunctorum ossa.

Digitized by Google

Tempus elegit meridianum, vt confusio esset maior, in clara luce; &, vt intelligeretur summus ardor charitatis qua se offerebat holocaustum; & in die Paschatis, quando conueniebat Ierosolymam innumerabilis multitudo. Natiuitati autem elegit noctem mediam, & locum ignobilem, vt gloriam suam occultaret. 2. Tempus meridianũ

PVNCTVM II.

POTATVR vino felle mixto, cùm alijs ad solatium præberi potus soleret, & sic inuentus modus cruciandi ipsum, etiam intus. Discam ferre ingrata palato; & quod, pro leuamine, inferatur mihi molestia. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* *Nos comedimus vuam acerbam; & dentes tui, ô Domine, obstupuerunt.* Opera ex se bona, at mala intentione, alijsve circumstantijs infecta, verè sunt vinum felle mixtum. quàm rarò nostræ actiones puræ sunt absque imperfectionibus? contrà, nobis propinat Christus vinum meracissimum, corpus, & sanguinem suum, & liquidissimas consolationes.

Felle potatur & cur.

Psal. 60. 2[illegible]

Iere. 31. 29.
Ezech. 18.

PVNCTVM III.

DENVò exuitur vestibus, vsque ad nudum, in oculis tàntæ multitudinis, & petulantium militum, atque irrisorum. fert patienter ignominiam hanc, peccatis nostris debitam; præbet exemplum nuditatis

Vltimò vestibus nudatur & quare?

Euan-

Euangelicæ; docet ferre defectus re
sua nuditate tegit nuditatem primi
parans illi stolam gloriæ. Tanquam a
meliore vino inebriatus, vino charit
populo, quasi Filio, ludibrio habetu
tio hæc fuit etiam acerbissima, quòd
tunica carni adhæresceret concisæ
bus, quæ refricari necesse fuit, & ali
lem etiam à carne detrahi.

MEDITATIO XL

Christus Cruci affigitur

PVNCTVM I.

Christus extendit se obedienter super crucem.

EXTENDITVR super lignum C
mandatum tortorum. obediente
super crucē, extenditq; sacras manus
quòd Adam extendit manus ad pomu
ris vetitæ. Extendo ego manus meas
data tua, Domine, & configi cruci ma
ab eis recedere.

Gratias agit Patri.

Sic extensus, leuatisque in cœlu
gratias agit Patri, quòd tempus a
perficiendi sacrificium, tum offert
lute mundi in odorem suauitatis.
colligatus super struem lignorum, ex
ictum paternæ manus, vt modò Chri
piorum carnificum. Ast ibi Abraha
bitus est ab Angelo; hîc æternus P
cohibet tortores: ibi satis fuit Deo p
tudo voluntatis, hîc autem consumm
dientia postulatur.

PVNCTVM II.

CLAVIS configitur. dolor acerrimus in corpore delicato, & partibus tenerrimis, & neruosis. Dein verò, quòd, manu vna confixa, nerui contracti sunt, oportuit vi maxima corpus distendere, quò ad foramen in cruce factam manus altera pertingeret. quo facto luxata sunt membra cum incredibili cruciatu. quò spectat: *foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.* nam in exhausto corpore per distensionem illam ossa singula discerni poterant. O verè *virum dolorum*, ô *manus, in quibus abscondita est fortitudo Dei.* ô IESV, *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum!* quis ausus tantum facinus? ego: peruersa mea opera foderunt manus tuas, & inordinati affectus tuos pedes perforant. Conuulsio ossium in mystico Christi corpore efficitur per animorum dissensionem. absit à nobis. O, si dinumerare mihi liceat omnia ossa tua Domine! si internas tuas virtutes illuminatis oculis aspicere, ad imitandum! quid retribuam Domino vicissim? *omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis est tibi?* Vires impendam omnes, vt laudem te, & vni tibi seruiam, quia tu solus es. Noli, ô homo, obliuisci Matris, cuius cor, auditi malleorum crudeles ictus penitus transuerberarunt.

Transfixio manuum & pedum.

Psal. 21. 17

Isa. 53. 3.

Habac. 3. 4.

Zach. 13. 6

Psal. 34. 10.

PVNCTVM III.

Eleuatio Christi.

1. Dolorosa.

ELEVATVR Crux in altum, & impetu paratam fossam demittitur. res dolo plena; dum sic manus pedesque lacerantu vnde quatuor riui sanguinis, tanquam to dem ex paradiso flumina dimanant, ad ir gandam vniuersam faciem terræ, nec hal vbi caput suum reclinet. nam, si ad lignun spinæ altiùs infigebantur.

2. Ignominiosa.

In eleuatione Crucis factus est omnib conspicuus, cum confusione maxima, & pla sum dederunt inimici cùm ingenti clamo & irrisione, gratulantes sibi. At pias mul res, & si qui aderant ex amicis, ac impri Matrem, quantò aliter affecit miserabile s ctaculum! Si amici Iobi, viso illo, ita obs puerunt, quantò maior hic, & quantò habi indigniùs! & hæc patitur tui causa.

MEDITATIO XLII.

Mysteria in Christo crucifixo.

PVNCTVM I.

Quis crucifixus?

1. Deus.

Isa. 66. 1.

Psal. 17. 11.

Isa. 4.. 12.

CHRISTVM pendentem considerabo DEVM. quare sub Cruce positus, ab in cœlum oculos mentis attollam, & eund illum, in cœlo Empyreo tanquam in thro sedentem, conspiciam: *cuius cœlum sedes e terra autem scabellum pedum eius* Et hic, *q ascendit super Cherubim, & ambulat super p nas ventorum, quiq; appendit tribus digitis m*

Digitized by Google

lem terræ: hic tribus clauis trabi affixus ipse pendet, etsi non tam ferreis illis, quàm incorporeis alijs, amore in nos, obedientia erga Patrem, & zelo gloriæ illius. O his configar ego etiam cruci! & Trisagion illud in actionem gratiarum pro tribus clauis canam, *sanctus, sanctus, sanctus*, velans interim alis meis, vt Seraphim, faciem, & pedes Christi, ac profitens incomprehensibilem eius esse tum maiestatem gloriæ, tum humilitatem crucis.

PVNCTVM II.

CONSIDERABO in cruce Christum tanquam *Sacerdotem magnum, principem pastorum, & episcopum animarum nostrarum*: offerentem non sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed proprium, eumque totum, in holocaustum suauissimum. Cuius tanta est virtus, vt rigore iustitiæ valeat ad satisfaciendum pro omnibus, quamuis infimorum hominum, vel grauissimis peccatis, & quòd offerens sit ipse Filius Dei, vnde illius passiones vim accipiunt infinitam, tam merendi, quàm satisfaciendi.

II. Sacerdos. Hebr. 6 20. 1. Petr. 5. 4. c 2. 25.

Sacrificij virtus.

Habet Sacerdos iste insignia sua. pro tyara coronam spineam; pro virga pastorali crucem (quanquam hæc etiam altaris vices subit) pro annulis clauos: pro veste sacerdotali carnem variè concisam, & sanguine purpuratam. Offeram ego vicissim aliquid, *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: offeram & sacrificium laudis. Psal. 50 19

PVNCTVM III.

III. Doctor.

CONSIDERABO, vt doctorem
nobis à Deo datum, qui, cùm pe
vitam verbo & exemplo docuiſſet, ſ
ex cruce quaſi ex cathedra, veluti co
expoſuit totius doctrinæ ſummam.
rat antea pluribus, qui ſint beati ve
di, earumque beatitudinum parad
pſum in cruce exhibuit. Vt maxim
Exod. 25. 40 illud: *Inſpice; & fac ſecundùm e*
quod tibi in monte monſtratum eſt.
1. Cor. 2. 2. *non iudicaui me ſcire aliquid inter vo*
ſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

PVNCTVM IV.

Bellator fortiſſimus.

CONSIDERABO, vt ducem, ac
rem fortiſsimum, qui in mont
riæ, tanquam deſtinato pugnæ loco, t
poteſtates deuicit, eaſque in ſuo cor
Gen. 3. 15. umphauit. Ipſius inprimis ſerpen
contriuit: qui, primis hominibus in
inductis, originale peccatum intro
mundum, & per peccatum, mortem
peccato ſeptem alia tanquam capita
Apoc. 12. 3. 9 runt. quod monſtrum eſt; ſicut *Drac*
fus in Apocalypſi *habens capita ſepten*
hunc etiam per crucem proſtrauit, in
Exod. 7. 12. ſtificamur à peccatis. *Virga* crucis *d*
virgas Pharaonis, id eſt, omnes Diabo
Iud. 7. 20. tus eludendo; vt homines tandem à ſe
illius vindicaret.

Confracta eſt teſta in manibus Gede

Digitized by Google

inclusa *lux* emicans perstringeret ac *sterneret Madianitas.* Ita passo Christo in carne, Diuinitatis in ea habitantis infinita vis foras exeruit sese, omnesque inuisibiles aduersarios, peccatum, mundumque debellauit.

MEDITATIO XLIII.

De Titulo Crucis.

PVNCTVM I.

VERBA tituli, in quo, vt ait Marcus, continebatur caussa eius, id est, Christi, ob quam crucifixus fuit. Marc. 15. 26.

IESVS. Hæc prima caussa mortis, vt, iuxta nomen suum, saluaret nos in sanguine suo. Vnde & hoc *nomen* ipsi est *impositum,* cũ effusione sanguinis in circumcisione. Nunc autem superponitur cruci, supra caput eius, tanquam iã consummatâ saluatione per totius sanguinis effusionem, qui largiter fluebat ex perforatis membris. *Oleum effusum nomen tuum.* sanas enim vulnera nostra sanguine tuo effuso, tanquam oleo saluberrimo. Esto *mihi* IESVS, ô Domine, & salua me; esto oleũ & medicamentum. Luc. 2. 21. Cant. 1. 2.

NAZARENVS, Id est, floridus. Secunda caussa, vt in arbore crucis positus produceret flores pulcherrimos, & suauissimos excellentium virtutum. Verè, IESV, dicere potes: Lectulus noster floridus. is est crux

Significat etiam sanctum. quo significatur, hunc, qui crucifixus est, non ob sua pecca-

ta pati, sed propter aliena: sicut ait Isaias:
Isa. 53. 11. *Iustificabit ipse seruus meus iustus multos, & iniquitates eorum portabit.*

Cant. 2. 3. c. 7. 8. Ergò: *sub vmbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Ascendã in palmam & apprehendã fructus eius*, fructus salutis, ex floribus crucis prouenientes.

REX. Hæc tertia caussa ex parte Iudæorum, cur sit crucifixus, quòd se Regem faceret, vt illi interpretabantur, temporalem. at, verè Rex erat, sed cœlestis, cuius regnũ in cruce fundatum est. Quia *Dominus regnauit à ligno.* si conregnare volo, crucifigi simul debeo. (Psal. 95. 10.)

IVDAEORVM. quantumuis illi nolint: nam *sui eum non receperunt.* est autem constitutus à Patre *Rex super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Porrò regnat si minùs super Iudæos carnales, certè super spirituales, qui confitentur, & dant gloriam illi, quæ est notio vocabuli. (Ioan. 1. 11. Psal. 2. 6.)

Scriptus erat titulus literis Hebraicis, Græcis, & Latinis: quo significabatur amplitudo regni illius super omnes gentes, vt sicut ait Paulus: *omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster* IESVS *Christus in gloria est Dei Patris.* (Phil. 2. 11.)

PVNCTVM II.

IVDAEI contenderunt emendare titulum petieruntque à Pilato, vt nõ diceretur *Rex*: sed, quòd se *regem fecisset.* (Ioan. 19. 20.)

Titulum hunc legerunt triplices homines (Diuersitas legentium.)

1. Inimici Iudæi; qui, non intelligentes, voluerunt corrigere. Tales sunt hæretici, sacras Scripturas prauis glossis corrúpentes. 2. Curiosi, & obiter legentes: qui nec satis capiebant, nec curabant de sensu. Tales sunt fideles, qui Scripturam legunt per transænam; vnde non referunt fructum. 3. Amici, vt B. Virgo inprimis, & discipuli, cum pio affectu & studio. Tales fiunt participes latentium mysteriorum. 1. 2. 3.

PVNCTVM III.

PILATVS recusat mutare titulum, dicens: *quod scripsi, scripsi.* inspiratum hoc responsum à Deo, quo sancitur, verum esse titulum, quem nulla delebit potestas; Regnumque Christi esse æternum. Imitabor hanc constantiam in bonis propositis; & similiter respondebo Mundo, Carni, & Diabolo, aliud suadentibus. Tituli veritas & firmitas:

MEDITATIO XLIV.

Partitio vestium, & blaphemiæ in Cruci affixum.

PVNCTVM I.

PARTIVNTVR vestes in oculis ipsius Christi, & cum irrisione; & eas vestes, vnde *virtus exibat & sanabat omnes, qui illas tangerent.* Abdicauit se Christus ipsis vestibus, & ius in miseros crucifixores transtulit, ad exemplum perfectæ paupertatis Liberalitas Luc. 6. 19. Paupertatis verę exemplum.

etiam fuit, quòd se totum, & sua dedit, vsque ad vestes, quæ in quatuor diuiduntur partes, quòd ex omni mundi plaga ad Christum venientes stolam gratiæ accipere valent.

PVNCTVM II.

Ioan. 19. 23.
DE tunica sortiuntur, ne diuidatur, erat enim *inconsutilis desuper contexta per totum*, & quidem à Christi Matre. quæ, vt tinctam sanguine Filij in manus talium cedere conspexit, indoluit vehementer. Hæc, inquit, tunica Filij mei est, *fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.*

Gen. 37. 33.

Tunicæ integritas quid notat.

Ea vestis significauit sacram Christi humanitatem, in vtero virginis, operante Spiritu sancto, indissolubiliter contextam. nefas enim, Christum soluere, humanitatem à Deitate seiungere, cùm sit verus Deus, & homo.

Significat etiam vnitatem Ecclesiæ indissolubilem, quæ est vestis Christi. & quia vestis fuit duplex, exterior, & interior: illa est rituum externorum communicatio, hæc autem charitatis, atque internorum donorum communio. Væ qui hanc vestem diuidit.

PVNCTVM III.

Mat. 27. 36.
SEDENTES *milites seruabant eum* id petierunt Iudæi, quoad vsque extinctum viderent, ne fortè ab aliquo deponeretur, aut solatio aliquo leuaretur. interea etiam subsannabant illum, & contumelijs appetebant.

(§)

PVN-

PVNCTVM IV.

VARIE blaſphematur Chriſtus in cruce. *Prætereuntes mouebant capita ſua dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, ſalua temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.* Imò idcirco manebit, vt ſaluet multos. Diabolus qui aliàs ſuggeſsit, mitte te deorſum: nunc per iſtos, *deſcende de cruce. omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs & mouerunt caput, aperuerunt ſuper me os ſuum. Et plauſerunt ſuper me manibus omnes tranſeuntes per viam, ſibilauerunt ore ſuo.*

Luc. 23. 37. Mat. 27. 41. Prætereuntium inſultationes. Pſal. 21. 8. Thren. 2. 15.

Item Principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant: *alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Cõfidit in Deo: liberet nunc, ſi vult, eum: dixit enim, quia Filius Dei ſum.* 1. Exprobrabant impotentiam ſaluandi ſeipſum. 2. Præſumptam regis dignitatem. 3. Fiduciam vanam, quam in Deo ponebat. 4. Filiationem Dei inanem.

II. Sacerdotũ exprobrationes. 1. 2. 3. 4.

Præterea etiam milites illudebant ei: *Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac;* nec non *latrones improperabant & conuitiabantur.* & vniuerſè Lucas ait: *ſtabat populus ſpectans,* quod inter opprobrium ponit. *Ipſi verò conſiderauerunt me & inſpexerunt me.* Erat aſpectus illuſorius. O, ſi aſpexiſſetis, vt oportebat! retuliſſetis vtique ſalutem inde meliùs, quàm olim ex aſpectu ſerpentis. quàm aliter

III. Militum ſubſannationes. Pſal. 21. 81.

aspiciebat Mater, & piæ mulieres! & illa quantum ex tot maledictis dolorem hausit!

MEDITATIO XLV.

Orat pro crucifixoribus.

PVNCTVM I.

Primum Christi verbum est amoris.

Matt. 5. 44.

Cant. 8. 7.

Isa. 53. 12.

HOc primum verbum locutus est in cruce. Non petit ignem de cœlo, vt Elias; nec maledicit, vt Noë & Elisæus irrisoribus suis: sed, inter conuitia & blasphemias, petit veniam inimicis, perfectè implens præceptū suum: *Diligite inimicos vestros & orate pro ijs, qui vos persequuntur. Aquæ multæ* persecutionum *non poterant extinguere charitatem.* & hoc singillatim prædixit Isaias: *Et pro transgressoribus rogauit.*

PVNCTVM II.

Patrem cur rogat.

Matt. 5. 45.

SINGVLA verba expendantur. *Pater*: Christ⁹ ipse, vt homo, ignoscebat, sed vult, vt Deus ignoscat. Patrem appellat pro fiducia orationis, & ad demerendum: monet etiam, quòd ipse sit Pater omnium, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Dimitte illis*: non exponit certum peccatum, quia vult omne eis dimitti. Nec dicit, crucifixoribus meis, ne ex indignitate rei prouocet irā Patris; sed ait: *illis*: & quia volebat omnes peccatores complecti, cùm omnes sint crucifixores Christi. *Quia nesciunt quid faciunt*. Etiam excusat, & extenuat. Ignorantia erat supina &

crassa, & ita inexcusabilis: tamen adducit pro qualicunque excusatione, sicut Paulus, cùm ait, *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Si cognouissent, vtique ita, vt æstimarent, quod erat. excusat nos ad fidendum de ipsius misericordia, siquidem sic excusat. monemur etiam, vt proximorum facta excusemus, quando planè defendere nequimus: tantùm abest, vt illatæ iniuriæ sint exaggerandæ, aut vindicta optanda. 1. Cor. 2. 8.

PVNCTVM III.

EXAVDITA est oratio, de qua S Paulus. *in diebus carnis suæ preces supplicationesq́; cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerẽtia*, id est, vel pro submissione sua, qua preces obtulit, vel pro merito suæ dignitatis, cùm esset Filius Dei. Efficacitate huius orationis. multi ex præsenti bus postea conuersi sunt vt die Pentecostes ad tria millia. ô Iesu, fac sim particeps huius tuæ precis. Audijt Maria orationem, & tanta charitate est ipsa quoque emollita, vt similiter oraret.

Effectus orationis Christi.

MEDITATIO XLVI.

Secundum verbum Christi in Cruce ad latronem.

PVNCTVM I.

MEDIVS inter duos latrones crucifixus est iuxta vaticinium, *Et cum scele-*

Humilitas Iesu in medio latronum.

[I]sai. 53. 12. *[reputatus est]*: & fuère haud dubiè ex infamioribus, qualis Barrabas. consentiunt extrema primis. Nascens in medio duorum animalium, locatus est moriens inter duos latrones sic studuit commendare nobis humilitatem. Et hic est, qui *in monte Thabor inter Mo-* [M]att. 17. 2. *ysem & Eliam gloriosus apparuit:* est *lapis an-* [E]phes. 2. 20. *gularis* vtrumque populum connectens in vnum: *est iudex viuorum & mortuorum*, resi- [A]ct. 10. 42. dens inter bonos à dextris, malos autem à sinistris; quodque maximum est, is est Diuina Persona inter Patrem, à quo procedit, & Spiritum sanctum, qui ex ipso quoque procedit, media constituta. Et hic tantus, quasi insignior latro, medius inter latrones trabi affigitur.

PVNCTVM II.

Latro à sinistris blasphemat.
Lucæ. 23. 39.

ALTER latronum blasphemat Christũ, *si tu es Christus, saluum fac temet ipsum, & nos.* id autem Pharisæi exprobrauerant. per summam contumeliam irridetur, quòd se mentiatur Christum.

Latro à dextris tuetur Christum.

At alter latro loquitur pro Christo, corripiens socium: *Nec tu times Deum, qui in eadem es damnatione?* quasi dicat, minùs mirum, quòd alij iniuriosi sint; at, quòd tu, qui animã agis, exprobres consorti pœnarum, improbissimum est. Atque hæc defensio fuit actus eximiæ charitatis. Exercuit etiam humilitatem, agnoscens suum reatum, *& nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.* Præterea confitetur

tur Christi innocentiam: *Hic verò nihil mali gessit.* Dignus profectò, cui retribuatur illud: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matt. 10. 32

Collige tres ordines patientium; alij dignè, sed impatienter, vt malus latro; alij dignè, sed patienter, vt bonus latro; alij immeritò, & patienter, vt Christus. Cupiam ex his vltimis esse: sim ex secundis saltem, dicens: Iram Domini portabo; quia peccaui ei & illud: *peccaui & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.*

Patientium ordines.

Mich. 7. 9.
Iob 33. 27.

PVNCTVM III.

Oratio deuota.

ORATIO latronis, ex agnitione proprij delicti, & charitate Christo exhibita, animatur ad petendum: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Inter tot opprobria confitetur Dominum, & Regem; non huius mundi, sed alterius sæculi, quò ibat: non petit à præsenti morte liberari, nec euectionem aliquam peculiarem, sed tantùm, vt meminerit sui. haud dubiè melius recordabitur, quàm Pincerna Pharaonis recordatus fuit Iosephi concaptiui sui.

Mouit latronem, præter singularem illustrationem diuinam, quòd voluerit Deus hoc testimonium Christo dari tunc à tali, ad confusionem Pharisæorum, & Sacerdotum; qui, visis tot mirabilibus, non crediderunt Christo: præter hoc inquam mouit latronem ad-

mirabilis patientia Christi, & charitas illa, qua pro inimicis orauit. tam hæ virtutes sunt potentes, vtique & apud Deum multò magis. Discam à latrone orare cum humili agnitione propria, & confessione strenua laudis diuinæ, & me ipsius bonitati committam.

PVNCTVM IV.

II. Verbum liberalitatis.

RESPONSIO Christi: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Vocatio & conuersio huius latronis extitit fructus precationis Christi in cruce, & fuit tanto mirabilior, si ille ipse priùs blasphemauerat Christum, vt aliqui colligunt, quia Matthæus dicit, *latrones improperabant ei.* Efficacia item sanguinis Christi enituit, dum peccata omnia, & pœnas etiam temporales perfectè remittit, & aptum cœlo statim facit. reddit autem securum sic asseuerando: *Amen dico tibi*: & sui cōsortium promittit, *mecum eris*, iuxta illud: *vbi sum ego, illic & minister meus erit*. Nec differt: *Hodie*, inquit. Te beatum, ô latro, qui vndecima venisti hora, atque ex nouissimo factus es primus.

Efficacitas sanguinis Christi.

Ioan. 12. 26.

PVNCTVM V.

Duo latrones signant Electos & reprobos.

Matt. 24. 40
Luc. 17. 34.

AD exemplum horum latronum inter homines cuiusque status, sunt alij, qui assumuntur efficaciter ad gratiam; alij autem qui relinquuntur, sicut de extremo tempore locusus est Christus: *Tunc duo erunt in agro, duo in lecto, duo in molendino, & vnus assume-*

tur,

tur, alter relinquetur. Valet hoc, vt nemo, quamuis maximus peccator, desperet, quin aliquando posſit conuerti; contrà verò, ne quis licentiosè viuens, præsumat. Gratulata eſt Virgo Mater, quòd Filius in eo articulo reperiſſet defenſionem, quodque reſerati cœli ianuas ea die tandem audiret.

MEDITATIO XLVII.

Tertium Christi verbum, commendat Matrem Ioanni.

PVNCTVM I.

STABAT *iuxta crucem Ieſu Mater eius* cũ mulieribus & Ioanne. Ita videlicet, quo quis Chriſtum magis amat, propior fit cruci, & illius particeps eſſe cupit. Acceſsit Virgo intrepida, non verita contumelias & vexationes, &, illâ duce, Ioannes, & aliæ mulieres ſunt auſæ. Non magis corpore acceſsit, quàm ſpiritu, quo fuit Chriſto confixa tribus item clauis, vehementi apprehenſione pœnarum illius, & amore ardentiſsimo, & compaſsione tali, vt ſpinæ, flagella, claui, & reliqui cruciatus Filij animum Matris perinde affligerent, ac ſi in corpore ſuo illos omnes excepiſſet. Vt verè Martyr Martyrum, ſicut virgo Virginum dici debeat nam & optauit omnia pati, & paſſa eſt per vehementem compaſsionẽ. ô, imiter ego, affligendo carnem meam, & animam, per abnegationem appetitionum, & deſiderium patiendi, caſtigando.

Ioan 19.25. Quis propior cruci.

B. Virg. Compaſſio

PVN-

PVNCTVM II.

III. Verbum est solicitudinis suorum.

CVRAM gerit Matris inter dolores & opprobria: sic nunquam officium deserendum. ait autem: *Mulier, ecce filius tuus* non vocat Matrem; vt nec aliàs solitus: tum, ne blando nomine magis eam percellat; tum, ne carni indulgere videretur, qui totus esset in Patris voluntate implenda. *Ecce filius tuus*: Ioannem ostendit. Is tibi pro filio erit loco mei; tuique curam geret: sed & tu pro filio eum habebis, vt & reliquos meos Apostolos, confirmando ipsos maternâ prouidentiâ. Quid Virgo Mater sensit, quando pro Iesu Ioannem suppleri audijt? prô, quàm dispar commutatio! sed & verba illa: *Ecce filius tuus*, aliter accepta, repræsentant Matri ipsum Iesum, vsque eò mutatum à suo decore. Ecce, is, quem à Spiritu sancto concepisti Virgo, ille Filius altissimi, ille regnaturus super solium Dauid, ille *speciosus forma*, & talia multa. Commendauit sub eodem verbo nos omnes Christi fratres per gratiam in tutelam Matri suæ.

Ioannes B. Virgini in filium.

PVNCTVM III.

B. Ioannes accipit B. Virginem in Matrem.

IOANNI autem dixit: *Ecce Mater tua*. Hanc ama, obserua, iuua, vt Matrem. Verba Christi sunt efficacia; perficiuntque, quod dicunt. ac ita Ioannes spiritum filij erga B. Mariam corde concepit & exhibuit. O mihi dari petam, vt benè mihi sit. Potissimum Ioanni commendauit Matrem, vt Virginem Virgini,

& quia

& quia Ioannes ad crucem vſque adhæſit Chriſto. ita caſtimonia & imitatio patientis Chriſti idoneos faciunt tali filiationi. *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*; lætus tali munere; tùm quia à Magiſtro veniebat; tùm quia ſeruire tali Matri glorioſiſsimum ducebat.

MEDITATIO XLVIII.

De tenebris, & quarto Verbo.

PVNCTVM I.

Cauſæ tenebrarum 1.

A SEXTA *hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam*. Factum id eſt à Deo, ad deteſtationem ſceleris, quo iuſtitiæ ſoli vitam impij adimebant, atque ad ſignificandum quantænam ſint interiores cordis tenebræ improbæ gentis; & exteriores, quibus erat addicenda, ob tantum nefas.

2. Deinde, vt tanto prodigio clarificaretur Chriſtus, cuius mortem ſol lugeret, luctuque terram operiret, vtique exterriti maleuoli, ceſſarent interea à ſubſannando, vexandoque Domino. Tandem voluit ipſe Chriſtus, per ſilentium tenebrarum, recipere ſeſe ad orandum, vt aliàs per noctem ſolitus erat, cauſamque noſtram, & extremum illum actum Patri inſtantiùs commendare, ad exemplum nobis. Quale quid etiam tunc feciſſe Dei Ma- 3.

trem

trem, & Ioannem, neutiquam dormientes, vt in horto discipuli, fas est credere.

PVNCTVM II.

IV. Verbum doloris.

CIRCA *horam nonam clamauit voce magna: Eloi Eloi, lamma sabethani, quod est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* clamor, & magna vox, sunt magni affectus signa! desertus erat in pœnis, quæ diu protrahebantur, cum dolore immenso. siquidem reclinare caput nequibat, quin compungeretur magis à spinis & corpus, è clauis pendens, laceraretur. Item desertus erat omni solatio in parte inferiore animæ, quod à diuinitate hauririre alioqui poterat, sicut in horto ipso destitutus fuit, vt ab Angelo fuerit confortandus Tandem videbat se à discipulis desertum, & à gente sua, & deserendum à plerisque mortalium, quibus incassum forent tot illæ, ac tantæ pœnæ. sic deseri voluit, vt non deserar ego à misericordia diuina; ac, vt in desolatione discam esse constans, exemplo Magistri: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Triplex desertio: 1. 2. 3.

Psal. 70. 9.

PVNCTVM III.

PRAETER verba illa, quæ magna voce dixit, credibile est, sequentia ex eodem Psalmo 21. vbi passio Christi ad viuum exprimitur, & quæ tunc agebantur, fuisse à Christo submissè recitata. Beatam verò Matrem, in Psalmis exercitatam, simul recoluisse, & contulisse vaticinium cùm re, eundem Psalmum

recitando. Potero etiam ego Psalmum illum cum attentione & mora recitare. Sed in ijs ipsis verbis irrisus est Christus à ridiculè interpretantibus illud: *Eli, Eli, Deus meus, Deus meus*: quasi Eliam in auxilium vocaret, quòd se ipsum saluare nequiret: sic vndique captatur occasio exagitandi te, Deus meus!

MEDITATIO XLIX.

V. Verbum desiderij.

De quinto Christi verbo, Sitio.

PVNCTVM I.

QVòD Christus verè magnam pertulerit sitim: nam à præcedente vespera non biberat; & interea tot circum loca pertractus fuerat cum impetu, & sanguine penè toto exhausto, *aruerat tanquam testa virtus eius, & lingua eius faucibus adhæserat*. In figuram huius *Samson*, interfectis inimicis ad mortem, *sitiuit*: sed prouidit ei Deus de *mandibula asini*, qua prostrauerat Philistæos, Christo meo non item. *Moyses percussit petram virga*, & hęc aquas largissimas dedit: *Petra autem erat Christus*: qui in ligno crucis percussus, non aquam reddit, qua refrigeretur ipse; sed sanguinem, quo nos lauemur, & potemur in vitam æternam. Discam tolerare sitim, & gulæ incommoda.

Psal. 21. 16.

Iud. 15. 15. 19.

Exod. 17. 6.

PVNCTVM II.

SCIENS *Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit: Sitio.*

Sitis.

tio. triplex sitis Christi. 1. obediendi Patri & ita, vt sciret hoc deesse ad implenda, quæ Pater voluerat eum pati, vt aceto potaretur, vltrò monet: *Sitio*. 2. patiendi plura adhuc, nec enim ad refrigerium quærendum aperuit sitim suam; sed vt hanc etiam acerbitatem sentiret, paratus vltrò plura pati, si Patri placuisset. 3. saluandi animas, qui erat illius cibus & potus. Nota, quòd non petit, sed indicat tantùm necessitatem. sic præsertim religiosus repræsentabit necessitates suas Deo, vel superiori, indicasse satis habens, non flagitans. siti etiam illa triplici debet ardere.

1. Obedientiæ.

2. Passionis.

3. Salutis animarum.

PVNCTVM III.

SPONGIAM aceto plenam, cum amara hysopo in arundine exhibent. Non fuit, qui refrigerium exhiberet: sed magis affligeret sitientem: vt ego liberer ab illa epulonis siti æterna, cui nec gutta datur. Ad hunc modum peccatores potant Christum, quando cor ei præbent inane, vt spongiam, & à peccatis acerbum, & amarulentum, in hastili vanitatis, & inconstantiæ quę res magis Christum contristat, quàm acetum & hysopus. At ille, quantò aliam nobis potionem præbet sanguinem suum? *& calix tuus inebrians quàm præclarus est!* optasset pia Mater filium refrigerare, at non licebat, & intellexit illa sitim filij esse præcipuè aliam, de qua suprà: sed & illam veniendi ad Patrem, & *intrandi in gloriam suam*.

MEDITATIO L.

De sexto verbo: Consummatum est.

PVNCTVM I.

VI. Verbum est triplicis Consummationis. I. Laborum.

AD tria Christus respexit, ac in primis ad labores, & pœnas, quas ordinauerat Deus, vt per omnem vitam pateretur, & gratulans, quòd expleßet omnes dixit: *Consummatum est.* nam & propterea dixerat, *Sitio* vt ea etiam impleretur, quæ restabat. sicut ait scriptura: *Sciens, quia consummata sunt omnia, vt impleretur Scriptura dixit: Sitio* Ergo bone Iesu, impletum iam est illud desiderium, quo *aiebas baptizari*: vt angustiæ tibi essent, donec perficeretur. & sicut *spes dilata affligit animam, ita lignum vitæ desiderium veniens* & impletum, ô beatum, qui in fine vitæ id dicere poterit.

Luc. 12. 50.

Prou. 13. 12.

PVNCTVM II.

II. Officij.

DEINDE respexit ad finem, ob quem missus fuerat: nempe vt *consummaretur præuaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas terræ, & adduceretur iustitia sempiterna*: quod per illius mortem completum est; attrito serpentis capite, destructa morte, spoliato inferno, cœlo reserato, noua lege condita, nouis Sacramentis & sacrificio nouo; vitæque perfectæ norma tradita, exemploque firmata. O consumma in me propter quod venisti, destrue penitus peccatum, perfice charitatem.

Dan. 9. 24.

PVNCTVM III.

3. Figurarum & Prophetiarum, *Matt. 5. 18.*

TANDEM respexit ad Prophetias & figuras veteris Teſtamenti, quæ erant de Chriſto, quæ, adueniente veritate, ceſſarunt. de quibus dixit: ***non veni ſoluere legem, ſed implere: Et iota vnum non præteribit, donec omnia fiant.*** Facta ſunt & conſummata.

In fine mũdi dicetur, Conſummatum eſt.

Veniet idem in fine mundi, diceturq; ***Conſummatum eſt.*** Tranſijt gloria mundi, expirauit tempus benè merendi, agendique pœnitentiam, deſijt regnum diaboli, completus eſt numerus electorum. idem vnicuique dicetur in morte: quia quoad ſingulos tunc omnia finem accipiunt. O dicere tunc valeam: ***Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*** : vt liceat etiam dicere, quod ſequitur: ***Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.***

2.*Tim*.4.7.

MEDITATIO LI.

De ſeptimo Verbo, commendat, & emittit ſpiritum.

VII. Verbum ummæ Pietatis. Clamat al- a voce.

PVNCTVM I.

COMMENDAT ſpiritum, clamans voce magna: Ideò voce magna, vt teſtaretur, ſibi vim eſſe ad producendam vitam, ſed animam ſpontè reddere, ſicut dixerat: ***Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.***

an.10,18.

ipso. Deinde vt exprimeret naturalem sensum animæ in separatione à corpore. Denique in signum triumphi de diabolo, peccato, & morte: sicut Gedeon, *confractu lagenis, clamorem edidit victoria de Madianitis*. Fuit autem ea vox miraculosa in corpore exangui. Gratias agam pro illa emissione spiritûs voluntaria, petam confortari in seiunctione animæ meæ per mortem; gratulabor de victoria per mortem reportata. *Iudic. 7. 19.*

Pvnctvm II.

Verba clamoris: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; sunt ex Psalmo 30. Credi potest, recitasse illum totum: cumque ad hæc verba venit, vocem extulisse. Mysteria septimi verbi. 1. *Psal. 30. 6.*

Patrem appellat, in fiduciæ, & affectus filialis signum, qualis in morte nobis necessarius est: & est idem, ac petere, vt adsit nobis, vt Pater, atque ad hæreditatem æternam inducat.

Commendat *in manus*, quæ plasmauerunt ipsum, in quibus sunt *sortes nostræ*, & vera securitas: nam quis est, qui nos de manu tua possit eruere? At ego meum etiam in tuas commendo, bone Iesu, qui expansas habes in amplexum ad te confugientium, & *nemo potest rapere de manu tua*. 2. *Psal. 30. 16.* *Ioan. 10. 28.*

Non honorem aut corpus suum commendat, sed spiritum, cui cùm benè est, per 3.

omnia benè eſt,dum ſuum commendat, ſimul noſtrum,quem pro ſuo habet. nam, *qui adhæret Deo, fit vnus ſpiritus cum illo.* Deponit in manus Patris,poſt triduum corpori redditurum.Diſcam mori.

1.Cor.6 17.

PVNCTVM III.

Cauſæ inclinationis capitis Christi.

ET *hæc dicens, inclinato capite, tradidit ſpiritum.* 1.Inclinat ſpontè,in ſignum obedientiæ,quam perficiebat, moriendo. 2.humilitatis, & paupertatis. 3. peccatorum noſtrorum, prægrauantium Chriſtum ipſum vſque ad mortem. 4. deſignans lymbum,quò ſpiritus pergebat.

Quomodo tradidit ſpiritum.

Pſal.18.6.

Pſalm.4.9.

8. Virg. dolor.

Tradidit autem ſpiritum ita ſponte ſua, & non coactus, vt tamen cruciatus ſufficerent ad naturalem mortem. Perfecit *gigas viam ſuam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* ab Oriente ad Occidentem, *in pace in idipſum, dormiit & requieuit.* Quid Mater ſenſit? quæ cum illo mori deſideraſſet, & pro illo. Fortè adſtitit Sathan: ſed & multitudo Angelorum ad reuerentiam. Adſit mihi morienti ad defenſionem, ne tunc inimicus meus præualeat aduerſum me.

MEDITATIO LII.

De prodigijs in Christi morte factis.

Edita sunt ad clarificandum Christum, ad sceleris detestationem, ad effectus indicandos ex morte Christi prouenturos.

PVNCTVM I.

VELVM *templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* 1. sicut Caiphas scidit vestes, quòd Christus se dixisset Filium Dei, ita Pater æternus scidit velut ad enorme facinus, quòd crucifixus & occisus fuerit Christus, quòd se talem diceret. O Deus, scinde cor meum, vt sentiat tantæ rei indignitatem. 2. quia per mortem Christi patebant arcana mysteria Regni Dei, discussis vmbris, & figuris, atque via ad cœlum aperiebatur. O accipiam ego lumen, ad illa intelligenda, & ad viuendum iuxta illa.

Veli scissio quid notet. 1. 2.

PVNCTVM II.

ET *terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt* 1. ad duritiem illius populi detestandam, quæ maior esset, quàm petrarum, & ad redarguendum me, qui non scindor, aut emollior à Christi passione, cùm videam illum in cruce tremiscentem; & qui verè est petra, diuisum per separa-

Terræ cōmotio, & scissio petrarum, &c.

tionem spiritûs à corpore, & denique apertum & hiantem vulneribus.

2. II. Significatur fore, vt per Christi mortem terrena corda concutiantur, & quasi sepulchra mortuorũ pateant ad synceram culparum confessionem, sicque resurgant ad vitam gratiæ.

PVNCTVM III.

CENTVRIO, & qui cum eo erant custodientes IESVM, *his visis timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat, & iustus*: & turba *percutientes pectora sua reuertebantur.*

En effectus prodigiorum, nec non orationis Christi, qui pro illis orauerat in cruce. percutiam ego pectus, qui Christo causa extiti mortis meis peccatis.

Feria sexta post Octauam Paschæ.

MEDITATIO LIII.

De lateris apertione.

PVNCTVM I.

IVDAEI rogauerunt Pilatum, vt frangerentur crucifixorum crura, ne remanerent in cruce Sabbatho. Non tam zelo Religionis, quàm quòd vellent, Christum citò extinctum, nouoque tormento affectum, sublatumque ex oculis plebis, quam videbant compunctam,

visis prodigijs. scilicet Pharisæi, & Sacerdotes inde indurabantur, vnde simplices compungebantur. O, absit à me tam peruersa obstinatio.

Iubebat quidem lex, vt cadauer suspensi eadem die sepeliretur: quia *maledictus esset Deo, qui pendebat in ligno*, & ne contaminaret terram. Atque hoc est, quod S. Paulus ait, *Christum pro nobis factum esse maledictum*. Mira dignatio: vt in ipso nos benediceremur. *Deut. 22.23* *Galat. 3. 13.*

Latronum crura fregerunt, Christi autem minimè, quòd inuenissent eum mortuum, sed præcipuè, quia prædictum fuerat: *Os non comminuetis ex eo*. quod ad literam de Agno Paschali, sed tanquam figura Christi mandatum fuerat. Videlicet charitas, fortitudo, patientia Christi frangi nequiuerunt in passione. ita etiam seruos suos Deus ex omnibus tribulationibus suis liberat, & *custodiet omnia ossa eorum, vnum ex eis non conteretur*. Contingat id mihi. Christi crura non fracta ob mysteriū. *Ioan. 19. 36.* *Exod. 12. 46* *Psal. 33. 21.*

Sed & Diuinitas per ossa significata est, quæ non est passa.

PVNCTVM II.

CVM *vidissent mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit*, vel insultandi gratia, vel explorandi, an esset mortuus? Non sensit dolorem exanime corpus, at sensit Mater illius, in hoc *implens, quod deerat passionum Christi*. sentiam & ego. Causæ apertionis. I. Crudelitas militum. *Coloss. 1. 24.*

Voluit ipse Christus ita suum cor transfigi, II. Peccata nostra.

figi, in remiſsionem peccatorum, quia ex corde exeunt, quæ coinquinant hominem; ex Christi autem corde vita procedit. tale ſit cor meum.

III. Christi charitas. Cant. 4. 9. Deinde, ad teſtandam charitatem, qua paſſus fuerat tanta, cor ipſum quaſi effundit, *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum* primò vulneraſti amore, quia te ſummè dilexi, ſecundò vulneraſti lancea, vnde pateret tibi cor meum, amor meus. Tu viciſsim vulnera cor meum, Deus, charitate, vt dignè amem te, & introduc me in cor tuum, tanquam in clibanum charitatis, vbi totus igneſcam.

Hæc vulnera ſunt *petra refugij herinaceis*, hoc eſt, peccatoribus, qui peccatis horrent tanquam ſpinis, ſunt iuſtis requies & quaſi nidus.
Psal. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicuti columbæ, &*
Cant. 2. 10. *volabo & requieſcam? Elongaui fugiens & manſi in ſolitudine. ſurge, propera amica mea, & veni, in foraminibus petræ, & in cauernæ maceriæ.* Figam mihi tria tabernacula, vnum in pedibus, conſiderans greſſus tuos, vt ſciam, quâ mihi tendendum ſit ad vitam ſempiternam; alterum in manibus, conſiderans opera tua propter me; tertium in latere, ibi æſtimans charitatem tuam.

Sed vbi alæ columbæ, vt iſtuc volare queam? eæ ſunt cogitationes ſanctæ, & affectus puri, gemitus autem columbæ, ſunt dolor offenſarum, & ſuſpiria ad Deum.

Oſtium Ar- Vulnus lateris, eſt oſtium in latere arcæ à

Noe

Noe positum, quo ingrederentur animantes diluuium euasuræ: Est ostium, quò *oues egrediuntur & ingrediuntur, & pascua inueniunt*. Vulnera hæc, sunt lapides quinque de torrente, quibus superbus Goliath prosternitur.

cæ Noe figura huius vulneris.

PVNCTVM III.

ET *continuò exiuit sanguis & aqua*. 1. Ad significandam vim Christi mortis per quē aquâ abluimur à peccatis, sanguinis eius virtute, nec non extinguitur in nobis ardor prauarum cupiditatum, & vt in deserto percussâ petrâ, fluxerunt aquæ largissimæ, quibus refocillati sunt filij Israel, ita hîc. vnde impletur illud: *haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*. 2. Ad significanda Sacramenta vim habentia ex Christi sanguine. aquâ enim regeneramur in nouam creaturam. Et in Eucharistia aqua vino miscetur. 3. Significatur, quòd sicut ex Adami latere dormientis formata est Eua, ita Ecclesia ex Christo per mortem consopito.

V. Causa trium sanguinis.

Isa. 12. 3.

VI. Sacramentorum vis.

Facta sunt hæc, vt impleretur Scriptura, videbunt, in quem transfixerunt. videbunt peccatores, qui ipsi caussa extiterunt. Vtinam videant ad compunctionem, ne serò videant ad confusionem. Absit à me Domine Iesu.

VII. Impletio Scripturæ.

* * *

MEDITATIO LIV.

Depositio Christi de Cruce. Mat. 27. 56.

PVNCTVM I.

Prouidentia Dei erga suos.

CONSIDERANDA & admiranda prouidentia Dei erga suos. nam, cùm Mater cum alijs sollicita esset de acquirendo corpore ad sepulturam, ac ne indignè mortuus etiam à militibus tractaretur, prouidit in tempore de viro diuite, & nobili Iosepho, qui auctoritate valeret, nec non bono & iusto, qui & ipse expectabat Regnum Dei, vti decebat sanctitatem illius funeris; quique *erat discipulus Christi, sed occultus, propter metum Iudæorum*: cui addidit animos ad petendum audacter corpus Christi à Pilato.

Christus obediens post mortem.

Itaque Deus solatus est afflictos, & consuluit gloriæ Christi tunc statim à morte. disposuit autẽ, vt sicut ex obedientia Patris Christus ascenderat crucem, ita non nisi ex obedientia Magistratûs, iuxta legem, deponeretur cruce.

PVNCTVM II.

Societatis vtilitas.

IOSEPHO ab Arimathia adiunxit se socium alter Discipulus item occultus, *Nicodemus*, vir etiam nobilis, & iustus; vt sic alter alterum animaret. *Ioseph emit Sindonem nouam*, ad inuoluendum, quia non decebat, vt vsui fuisset. Nicodemus autem contulit *mixturam Myrrhæ & aloes quasi libras centum ad*

vngen-

vngendum. Qui se addicit Christo, ostendat id operibus, ea autem sint pura, cum mortificationis studio, & deuotionis, quæ sunt aromata.

PVNCTVM III.

DEPONITVR è cruce manibus illorum duorum, & in demendis clauis ipsi sacrum corpus sustentant, deuotione ac reuerentia maxima, nec sine lachrymis. Depositum excipit Mater, & impletur illud: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* quantum illic dolorum, gemituum, lachrymarum? quid dictum factumque circa sacrosanctum spolium, tum à Matre, tum ab alijs mulieribus, & Ioanne? æstimetur ex amore.

Depositio pia.

Cant. 1. 13.

MEDITATIO LV.

De Christi Sepultura.

PVNCTVM I.

VBI satisfactum est amori, sacrum corpus vngitur per totum, & munda Sindone inuoluitur, caput sudario. coronam spineam, & clauos chara pignora Mater sibi seruat. Vnctio significat, Christum per omnem vitam multâ mortificatione & laboribus fuisse exercitum, vt corpus suum mysticum à corruptione seruaret. in quo imitandus nobis est, vt *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferamus, quò vita eius manifestetur in nobis.* Habuit Christus in sua sepultura omnia

Vnctio corporis Christi quid notat.

2. Cor. 4. 10.

aliena, sepulchrum, & alia: in hoc etiam paupertatis præferens exemplum.

PVNCTVM II.

Funeris diuini portatio.

EFFERTVR ad sepulchrum prosequente Matre cum pijs mulieribus, sicut Vidua apud Nain ciuitatem, quam solatus est Dominus, resuscitato filio. sed oportebat Mariæ filium manere in corde terræ tribus diebus ac noctibus. Comitabantur funus etiam Angeli pacis, amarè flentes, vt hinc etiam sepulchrum eius redderetur gloriosum.

Comitatus.

PVNCTVM III.

Sepulchri qualitates.

1. QVALE fuerit sepulchrum. 1. in horto, vt sicut primus Adam in horto peccauit, & mortem incurrit, ita secundus, qui morte sua sustulit peccatum, in horto mortuus locaretur.

2. 2. fuit nouum, quia nouus Adam, & sicut veniens, elegit vterum virginalem, ita decedens simile sepulchrum.

3. 3. excisum erat in petra inferni, quia sepeliebatur in illo vera Petra multis ictibus dolata.

4. 4. Infertur in specum splendor gloriæ, vt nos à tenebris eruamur.

Præparatio ad S. Communionē.

Applica ad sacram communionem. Nam illius consecratio exhibet Christum passum, & pro nobis mortuum: sindone specierum inuoluitur: conditur in nobis: qui ideo esse debemus instar horti amœni; & sepulchri noui, à fœteribus immunis, & excisi in petra, per tolerantiam mortificationum, & laborũ;

Et

Et iuxta montem Caluariæ positi per assiduam crucifixi memoriam. Tunc ad nos Christus libenter veniet per sacram communionem. Apponitur autem lapis ad ostium monumenti, per custodiam diligentem cordis & sensuũ.

MEDITATIO LVI.

Solitudo B. Virginis post sepulturam.

PVNCTVM I.

RECEDIT à sepulchro, comitantibus Iosepho, & Nicodemo, atque ex itinere reuisens crucem, supplex eam adorat, vt in qua peracta fuisset redemptio, olim in suo vtero inchoata, & quæ suis brachijs excepisset Christum iam virum, quem infantem ipsa gestauerat: cauit autem, ne vestigia cruoris sparsi ipsa aut alij calcarent. Reuersa domum, gratias egit viris illis, simile quid precata. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro, & sepeliuistis eum.*

B. Virgo crucem adorat.

2. Reg. 2. 2.

PVNCTVM II.

TRANSEGIT eam noctem, partim sola inter lymbũ & sepulchrum filij discurrens, partim cum Ioanne, & alijs commemorans acta eius diei, ac ex Ioanne audiens, quæ super cœnam acta dictaque fuissent. *Plorans plorauit in nocte, ac lachrymæ eius in maxillis eius; non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.* Age, solatium cape: nam granum hoc, terræ conditum reddet fructum vberrimum.

Thren 1. 1.

B. Virgo corrobarot Apostolos in fide.

Inspirauit Christus Apostolis suis, vt conuenirét, vbi erat Mater: ante alios Petrus, qui humi procidens defleuit; & veniam petijt suæ negationis, tum alij. Collegit illos, vt gallina pullos suos, quando ad conspectum milui fugiunt. Confirmauit in fide resurrectionis; quando quidem passus esset; vt prædixerat, fore, vt similiter rediuiuū cernerent, iuxta promissum ipsius. Indoluerunt omnes, cùm aduerterent, deesse ex ipsis vnum, qui Magistrum prodiderat.

PVNCTVM III.

Magdalenę & sociarū deuotio.

MAGDALENA, & aliæ sedentes contra sepulchrum, diligenter obseruarunt, quomodo poneretur corpus cogitantes, transacto sabbatho, venire ad vngendum. quare iuerunt, vt adhuc eo die emerent aromata, non contentę centūm libris, quæ fuerant insūptæ. Imperfectio quidem fidei, sed pia affectio. Ita oportet, recepta sacra communione, cum quiete expendere, quomodo ad nos Christus veniat; tum ad paranda vnguenta excurrere, ad opera boni odoris se accingere, pro vtilitate corporis Christi mystici, & gloria Dei.

MEDITATIO LVII.

De custodia sepulchri.

PVNCTVM I.

Inimicorū Christi feritas.

SACERDOTES, & Pharisæi ipso sabbatho manè conuenerunt apud Pilatum, petentes, vt iu-

vt iuberet custodiri sepulchrum: *quia seductor ille dixerat: post triduum resurgam.* Concitati odio, & inuidiã, non curant Sabbathi obseruantiam, *seductorem* vocant veritatis doctorem, vanè timent, ne à discipulis corpus auferatur, fingantque resurrexisse illum. Frustra conantur obfuscare gloriam Christi, quam magis sic illustrarunt.

Pvnctvm II.

Illi ergo *munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Nec istis crediderunt, ideoque sigillum apposuerunt suum, tam anxij erant. Signabo ego cor, postquam Christum in Eucharistia accepero, ne euanescat deuotio.

Pvnctvm III.

Mansit corpus in Sepulchro tribus diebus, & noctibus, sumpta parte pro toto. fuere duæ noctes integræ & vna dies: per illas significata est mors duplex, animæ, & corporis, à quibus nos Christus sua morte liberauit; per diem autem vita gratiæ, quã nobis acquisiuit. Non fuit corruptum corpus iuxta vaticinium: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quia si corruptum fuisset, vtiq; & à persona Verbi destitutum. nihil autem reliquit, quod semel assumpsit. Vtinam à corruptione peccati ego præseruer, ne à Deo vnquam deserar. Amen.

Corpus Christi cur mansit in sepulchro duabus noctibus & die vno.

Psal. 15. 10

PARS

PARS QVINTA MEDITATIONVM.

DE RESVRRECTIONE Christi, & consequentibus mysterijs.

INTRODVCTIO V. PARTIS.

De Scopo viæ Vnitiuæ.

MEDITATIONES *Viæ Vnitiuæ* finem seu scopum habent, *Vnitionem* cum Deo, de qua S. A-
1. Cor. 6. postolus: *qui adhæret Deo, vnus Spiritus est* cum eo. Et quamuis hæc propriè *perfectorum* sit, tamen ad eam etiam *incipientes* ac Tirones suo modo aspirare debent. Quod vti facilius intelligatur, sciendum est vnitionem tribus præcipuè modis fieri. 1. *intellectu* 2. *voluntate* 3. *Vita* ac moribus ipsis. Intellectu fit, cùm Deũ intra nos ipsos portamus, memoria nostra quasi hospitio illũ excipiendo, cumq; cognitione plena atque integra percipiendo, vt paulatim intellectus noster fiat viua quædam imago, atque exemplar viuum ipsius Dei, in quem, *reuelata fa-*
2. Cor. 3. *cie transformemur tanquam à Domini Spiritu.* & addit *speculantes*, vt intelligamus

hanc

Saule Saule quid me persequeris. A 9. Part. 5. fol. 588.

hanc transformationem per meditationem præcipuè fieri, conando, vt ea quotidie in nobis clarior, atque perfectior euadat. 2. *Voluntate* fit ista vnitio, cùm illa, à seipsa egrediens, bonitatem intellectu cognitam amplectitur, eam amando, in ea sibi complacendo, & quàm coniunctissimè fieri poterit, eadē perfruendo; prout in Magno illo mādato (*Diliges Dominum Deum, ex toto corde, anima, mente, viribus*) indicatur, omnes videlicet affectiones, desideria, atque intentiones in eum trahendo, atque transferendo. Ex quo varij affectus sequi solent, quales sunt isti. 1. *admiratio* tantæ maiestatis & perfectionum eius. 2. *gaudium*, eò quòd Deus tam excellens sit, & tanta faciat. 3. *laus & gratiarum actio* pro tot donis, cum desiderio eum videndi, possidendi, honorandi, eique obediendi, optando vt omnes illum agnoscant, ament, illiq; seruiant. 4. *Zelus* feruens diuinæ gloriæ & salutis animarum. 5. *Fiducia* de eius bonitate, prouidentia; vnà cum timore non illo seruili (quem *caritas foras mittit*) sed filiali, verendo, ne ab eo vnquam separetur, aut quid committat, vnde iustè tanta maiestas offendatur; dolendo etiam de peccatis omnibus, quibus iustam eius offensionē olim potuit incurrisse. 3. Vnitio est similitudo quædam *in vita & moribus*, fundata in perfecta conformitate volūtatis humanæ cum diuina, in omnibus, tam prosperis, quàm aduersis: Ex qua oritur exercitatio virtutum omnium ad Christianam

Luc. 10.

1. Ioan. 4.

perfectionem ſpectantium, quibus homo Deo aſsimilatur, dicente Domino: *eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Vnde etiam ſequitur illud S. Apoſtoli, vt *ſpeculantes gloriam Dei* per meditationẽ *transformemur in eandem imaginem tranſeuntes à claritate* cognitionis *ad claritatem* affectus, ac imitationem virtutum, donec ille *Deus Deorum* clarè tandem à nobis videatur *in Sion*.

Matt. 5. Cor. 3. Pſal. 83.

Et quoniam cognitionis Dei in hac vita modus (ſicut rerum ſpiritalium Magiſtri docent) duplex eſt: *vnus ſpeculatiuus*, procedens à naturali intellectus noſtri lumine, per fidem illuſtrato, meditando Dei ipſius perfectiones, adhibito duplici ſpeculo, creaturarum ſcilicet, ac S. Scripturæ, quibus in hac vita ad cognitionem iuuamur *alter practicus*, procedens à ſupremo dono Spiritus ſancti, quæ *Sapientia* dicitur, quaſi ſapida ſcientia. vt in introduct. partis 4. dictũ eſt) fundaturq; in experientijs admirandis, quas nos ipſi, in animabus noſtris quotidie ſentimus ex illuſtrationibus cœleſtibus & affectibus internis charitatis, & amoris Dei, quibus aliquando *guſtamus ac videmus* etiam in hac vita, quàm *ſuauis* ſit *Dominus*; *cõprehendẽdo* & experientia quaſi palpando *quæ ſit latitudo* caritatis, *longitudo æternitatis*, *ſublimitas* diuinæ eſſentiæ, ac *profundum* Sapientiæ Dei quem *noſſe*, *conſummata iuſtitia eſt*, & radix *immortalitatis*: quia vita immortalis ex æterni Dei cognitione & virtutũ illius imitatione procedit; quæ quidẽ

S. Tho. 21. S. Dionyſ. S. Bern. Bonau. Gerſon. Pſal. 33. Epheſ. 5. Sap. 10.

cog-

cognitio optimè eam experiendo addiſcitur, ſicut dulcedo mellis, aut vini efficacitas nunquã melius, certiuſq; cognoſcitur, quã ſi delibetur, atq; guſtetur. Ideoq; optare poſſumus (teſte D. Thoma) Dei *voluntatem bonam, beneplacentem ac perfectam* cognoſcere, ne ab ea vnquam reflectamus. S. Thom. 2. 2. q. 9. Rom. 12.

Hinc cognoſcitur, quis ſit finis principalis meditat. 5. & 6. part ſcilicet, prima Dei cognitio, vt ſecundam aſſequamur ac fruamur vnitione bonitatis & voluntatis eius. Et quamuis *Contemplationis* præcipuus *ſcopus* ſit ipſa Diuinitas, atq; infinitæ perfectiones Dei, cum quo homo vnus ſpiritus efficitur, ad eam tamen etiã ſpectant myſteria humanitatis, atq; incarnationis filij Dei, ipſomet teſtante, *hanc eſſe vitam æternam, vt cognoſcamus Deum verum*, & viuũ, *& quem* ille *miſit*, Ieſum Chriſtum, qui & delicias ſpiritales in ſacræ humanitatis ſuæ cognitione conſtituit dicens: Ioan 17. Ego quà homo *ſum oſtium*, per quod ingredi licet ad Deum: *per me ſi quis introierit*, vera fide credens in me & in patrem ſaluabitur, *& ingredietur, & egredietur* à myſterijs humanitatis ad altiſsima ſecreta ſupremę diuinitatis, & *paſcua inueniet* ſpiritalis deuotionis ad animæ refectionem, *&c.* Ioan. 10.

Et quoniam Chriſtus duplicem vitam traduxit, vnam mortalem & patibilem; alteram immortalem, & impatibilem; meditationes quintæ partis (quæ ſunt de vita eius glorioſa) propriè pertinent ad perfectos, qui *Chriſtum*

2. Cor. 5.

norunt non secundùm carnem patibilem, *sed secundùm spiritum* glorificatum.

MEDITATIO PRIMA.

Descensus Animæ Christi ad inferos.

PVNCTVM I.

Lymbus quid.

ERAT lymbus locus in inferioribus terræ partibus, vnde etiam vocatur infernus, in quo detinebantur animæ omnium Iustorum iam purgatæ, expectantes redemptionem per Christum: quarum erat occupatio, desideria illius ardentissima, qualia fuerunt Prophetarum in hac vita, imò & multò feruentiora. & ita dicebant: *Ostende, nobis, Domine, Misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis,* & similes voces: quos Ioannes Baptista ante Christum defunctus, spe solatus fuerat aduentantis Saluatoris, ad ipsos liberandos. In quo etiam præcursoris munus exhibuit. Cogitabo similiter me ipsum in hoc corpore, tanquam carcere detentum, cupiamque dissolui, & esse cum CHRISTO, ingemiscens cum D. Paulo: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & cum Dauide: *fuerunt mihi, lachrymæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi vbi est Deus tuus? & educ de custodia animam meam ad confitendum tibi.*

Suspiria. Psal 8. 48.

Documentum.

Rom 7. 24. Psal. 41 4. 141.8.

PVNCTVM II.

AD hunc lymbum descendit anima Christi, statim ac in cruce expirauit, vnita hypostaticè Verbo, sicut & corpus in cruce mansit vnitum. Poterat absque personali suo descensu liberare illas animas, vel solo verbo, vt Lazarum ex monumẽto, vel per Angelos; at quæ bonitas illius est, & charitas, voluit per se id præstare, sicut scriptum erat: *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Sic etiam poterat saluare nos, absque descensu de cœlo, sed non erat satis suæ charitati. Nec charitatis tantùm fuit, sed humilitatis, eò se dimittere, vt non ad terram solùm homo factus descenderet, sed etiã *ad inferiores partes terræ,* vt ait Paulus: vnde meruit ascẽdere super omnes cœlos, quia, *qui se humiliat, exaltabitur.*

Christi descendentis ad lymbum

I. Charitas.

Zach. 9. 11.

II. Humilitas.

Ephes. 4. 9.
Luc. 14. 11.

PVNCTVM III.

DESCENSVS iste fuit gloriosissimus cũ magno Angelorum comitatu, qui cogitari possũt præeuntes dixisse infernalibus potestatibus: *Attollite portas & introibit Rex gloriæ:* ac quærentibus, *quis est iste Rex gloriæ?* respondisse: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Dominus est virtutum, quia omnes eminentissimè habuit, & exercuit; sed & virtutum cœlestium, qui sunt Angeli. nam ei omnia parent, cùm sit omnipotens. Ergo, *confiteantur Domino misericordiæ*

Descensus qualis.
Psal. 23. 10.

Christus est Dominus virtutum.
Psal. 106. 15.

tia & mirabilia eius filijs hominum, quia contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit. ô, idem faciat in me, conterendo, & frangendo, quidquid obstat in animam meam ingressui, vt sunt peccata, prauæque affectiones, & consuetudines.

PVNCTVM IV.

Lymbum Christus illustrauit.

QVÒD ad ingressum suum illuminauerit loci illius tenebras, & multò mirabilius animas ipsas Iustorum, impertiens illis claram visionem diuinitatis, sicque illud implens de sapientia æterna dictum: *Penetrabo omnes*

Eccles. 24.

inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. quantum illic gaudium? quales gratiarum actiones? per choros distributi Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Reges, Martyres; & in his innocentes ab Herode interfecti, obstupefacti tanta circa se bonorum affluentia, laudabant auctorem vno ore dicentes: *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem*

Lætitia animarum.

Apoc. 5. 12.

& Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriam, & benedictionem Inter quos plausus sanctæ illius beatitudinis ipsa Christi anima mirificè exultauit, impletum videns promissum illud: *Pro eo, quòd laborauit, anima eius videbit & saturabitur: ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* ô, vtinam sim ego ex spolijs CHRISTI; exijs,

Lætitia animæ Christi.

Isai. 53. 11.

quos ille eximit à potestate diaboli. Discant etiam hinc longanimis esse, sperando, vt sancti illi, quia tandem venit laborum finis, & interminabilis succedit requies.

PVNCTVM V.

MANSIT Christus in lymbo vsque ad Resurrectionem suam per horas circiter quadraginta. Interea aduenit anima latronis boni, quam Christus beatificauit, iuxta promissum: *Hodie mecum eris in paradiso.* quin coram cœtu illo sanctorum eum collaudauit de cõfessione sibi exhibita inter contumelias crucis: & sancti ipsi valdè ei propterea gratulati sunt. Deinde fit credibile, animas ex purgatorio liberatas à Christo fuisse, applicato sui sanguinis pretio, atque ad reliquos sanctos, & beatos fuisse aggregatos.

Quamdiu in lymbo mansit.

Luc. 23. 43.

Purgatorij spoliatio.

Damnati sine solatio relicti sunt, imò confusione affecti, quòd medijs salutis vti noluissent, ac nominatim Iudas, qui tam proximus Christo fuerat; & malus latro, qui etiam Christo illuserat.

Damnatorum rabies.

Denique fremebant tartareæ potestates, cernentes se vinctas, & impotentes ad resistẽdum, & tot spolia per annos fere quinquies mille congregata vnico momento sibi detrahi à *fortiore superueniente*; qui *expolians principatus traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.*

Confusio.

Luc. 11. 22.
Colos. 2. 15.

MEDITATIO II.

De Resurrectione Christi.

PVNCTVM I.

In festo Resurrectionis.
Resurrectio Christi accelerata.

NON integris tribus diebus & noctibus distulit resurrectionem, sed secundùm partem, quia accelerauit lætificare suos mœstos de eius morte, & mundum totum gloriâ suâ illustrare. vitæ tempus fuit dies, mortis verò fuit nox. *exultauit vt gigas ad currendam viam* diei per triginta tres annos, noctis autem horis triginta sex. Festina, obsecro, animam meam tuâ gratiâ visitare.

Cur nocte mortuus manè resurgit? *Rom*. 4. 25. *Psal* 296.

Circa noctem voluit mori, circa manè surgere, quia moriebatur propter delicta nostra, quæ tenebræ sunt: *resurgebat* autem *propter iustificationem nostram*, quæ est lux, vtque luctum abstergeret, gaudium conciliaret *ad vesperum demorabitur fletus*, *& ad matutinum lætitia*.

Lætitia animæ Christi egredientis. *Gen*. 32. 10. *Exod*. 15. 1.

Egressa est ex lymbo anima Christi cum insigni & numeroso illo comitatu mirificè læta, vsurpans illud: *In baculo meo* (crucis) *transiui Iordanem* (passionem) *& nunc cum duabus turmis regredior*. Cui accinebant turmæ: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare, fortitudo mea, & laus mea Dominus.*

PVNCTVM II.

PERREXIT anima Christi cum suis comitibus ad sepulchrum, eisque ostendit corpus exangue, & lacerum; vt intelligerent, quanti ipsos fecisset: quo spectaculo obstupuerunt, & laudauerunt pariter suum Redemptorem. 1.

Collegit Christus ministerio Angelorum omnem sanguinem per loca varia sparsum, & suis venis reddidit: tùm etiam capillos euulsos, vt dictum eius in ipso quoque impleretur, *capillus de capite vestro non peribit.* 2. Sanguis Christi collectus. *Luc. 21. 18.*

Post hæc resumens Anima corpus, vnguenta, & pædorem omnem abstersit, & longè melius, quàm in monte Thabor, illud immutauit. nam primò animales imperfectiones deposit; mortalitatem, & patibilitatem, nec non ponderositatem, ad ima: dein claritate affecit præ quauis creata luce, etiam solis: & emicabant præcipuè illa quinque foramina fulgore mirifico. subtilitatem etiam contulit, qua factum, vt ex sepulchro clauso egrederetur, quemadmodum nascens ex vtero Virginis. nam & hæc fuit quædam natiuitas, testante ipso æterno Patre de hac die: *ego hodie genui te.* sicut in Actis exponitur. Nisi quòd in priore natus est ad labores, & humanis subiectus miserijs; in posteriore autem ad meram felicitatem & gloriam: quare iam gloria & honore coronatus gratias egit Patri, sic eum allocutus: *Conuertisti planctum meum in gaudium* Transfiguratio corporis resumpti. Subtilitas. *Act. 13. 33.* *Psal. 29. 12*

nibus; conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.

PVNCTVM III.

Angelorũ occursus.

AD huius actus celebritatem conuenerunt Angeli magna frequentia; gratulantes Christo, eiusque triumphum celebrantes. nam sic illud Pauli intelligi potest: *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terra, dicit; & adorent eum omnes Angeli eius*; primò enim introduxit Pater æternus Filium, quando in Bethlehem natus est. nunc secundò, quando resurrexit. Atque ita canticum illud Angeli iterarunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Gratulemur igitur & nos: quia *hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

Heb 1.6.

Luc.2.14.
Psal.127 24.

PVNCTVM IV.

SS. quorũdam anticipatur resurrectio.

VOLVIT Christus glorificationem corporis cum alijs communicare, quorum monumenta in ipsius morte fuerunt aperta. id fecit pro bonitate sua, quæ auebat se alijs quoque communicare. Deinde, vt in eo nos confirmemur, in spem similis gloriæ participandæ. Præterea, vt adumbraret resurrectionem spiritualem nostram: *Vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ac in primis, *vti Christus resurgens à mortuis, iam non moritur*: ita nos ad priora peccata nõ amplius reuertamur. vt ille impatibilis resurrexit: ita

Documenta.

1.

nos passionibus prauis non simus obnoxij. Pro claritate corporis illius, vt intus illustremur; pro agilitate, vt simus quàm promptissimi ad voluntatem Dei exequendam; pro subtilitate, vt nihil terrenum nos retardet, quin ad cœlum penetremus ibique sit conuersatio nostra: atque ita glorificati corporis dotes ad animam pro hac etiam vita transferemus.

2. Sed cõsiderandum, quòd illi tantùm resurrexerunt, quorum sepulchra aperta fuerant in Christi morte, hoc est, qui Christi passione operante, conscientias suas ritè aperiunt confitendo, & dolore cordis scinduntur. Neq; tunc omnes iusti resurrexerunt, sed qui in morte illius, corde scissi sunt, vt illæ petræ, nam *si compatimur & conglorificabimur.* Rom. 8.17.

3. Licet etiam obseruare, quòd, qui resurgunt, alij quidem ligati institis, vt Lazarus; alij, vt Christus, relicta sindone, & sudario: illi sunt, qui non deposuerunt prauas affectiones, & impedimenta: isti autem, *qui expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induunt* penitus *nouum, qui secundùm Deum creatus est.* Colos. 3.9.

MEDITATIO III.

Apparet Matri, & annuntiatur ab Angelis Resurrectio.

PVNCTVM I.

Resurrectio Christi manifestatur tripliciter. Mat. 27. 51.

TRES manifestationis modi. 1. per sanctos, qui tũc simul resurrexerunt, & *apparuerunt multis* in Ierusalem, vt habet Matth. te-

stifican-

ſtificantes Chriſti reſurrectionẽ, & gloriam.
2. 2. Per Angelos ad ſepulchrum. 3. Per ſeipsũ,
3. *præbens ſeipſum viuum in multis argumentis*
Cor. 1-3. *per dies quadraginta* pro maiore confirmatione & ſolatio ſuorum, atque ad teſtatiorem faciendam reſurrectionem ſuam.

Solet Deus ſe animæ manifeſtare ſimilibus modis, per viros ſanctos, per Angelos, & per ſeipſum. de quo ait: *qui diligit me, diligetur* Ioan. 14. 21. *à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.*

PVNCTVM II.

I. Apparet Matri.

APPARET primùm Matri, vt certiſsimè credenti, ita ardentiſsimè deſideranti, & expectanti conſpectum filij; illudque vſurpanti: Pſal. 56. 9. *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cythara*: hoc eſt, laus & gaudium meum, adeſt enim dies tertia, & dixeras: *exurgam diluculo.*

In hac expectatione defixæ Matri apparet Chriſtus in omni claritate, quam habebat, confortans illius ſenſus, vt ferre poſſent illius maieſtatem: impletumque in Virgine ex parte Pſal. 16. 15 illud eſt: *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ineffabile eſt, quod illa ſenſit; æſtimari autem Pſal. 93. 19. ex parte poteſt, eò quòd *ſecundùm multitudinem dolorum eius in corde ſuo conſolationes diuinæ lætificauerunt animam eius.* quæ mutuò tunc dicta, & acta, quis memoret? Haud dubiè ſacra vulnera, quæ cor Matris perfoderant, ſuauiſsimis oſculis demulſit, hauſitque 1. Cor. 2. 9. inde, quantum *in cor hominis non aſcendit.*

Adſu-

Adfuère cum Christo tres chori: Angelorum vnus, alter animarum sanctarum, tertius Sanctorum resuscitatorum, qui gratulati sunt Virgini, & dignitatem à tali Filio, & de Resurrectione eius gaudium, gratiasque egerunt pro obsequijs in vita mortali exhibitis, in quo fuisset cooperata redemptioni mundi. Excepit eos Virgo magno sensu lætitiæ, conspecto iam in ipsorum liberatione tam insigni fructu mortis Filij sui. Nec abs re credi potest, multitudinē cœlestis exercitus, qui aderant, sicut nascenti Domino occinuerunt laudes apud pastores, ita resurgenti in hac corona, & congressu Filij cum Matre, similiter fecisse, decātantes illud: *Regina cœli lætare alleluia, &c.* nam & hanc Antiphonam ab Angelis acceptā fuisse, traditum est.

Insigni comitatu.

PVNCTVM III.

SVB idem tempus Magdalena & reliquæ mulieres venerunt ad monumentum, vt vngerent Iesum. In quibus laudāda est. 1. Obedientia legis, quia Sabbatho quieuerunt, licèt maximè desiderarent quàm primùm hoc officium præstare. 2. Diligentia: quia, cùm adhuc tenebræ essent, dederunt se itineri, sexus alioqui timidus. sic vult quæri Deus: *qui mane vigilant ad me: inuenient me*, & ante solis ortum colligi debebat manna. 3. Perseuerantia in cœpto, licèt euntibus offerret se difficultas: *quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* & respondit Deus perseuerantiæ illarum, reuoluto lapide.

1. Obedientia.

2. Diligentia.

Prou. 8. 17.
Sap. 16.

3. Perseuerantia.

PVNCTVM IV.

Matt. 28. 2 Apparet Angelus.

CVM appellerent ad monumentum: *Angelus Domini descendit de cœlo, & reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Exterriti autem sunt custodes, & facti velut mortui.* Sed mulieres idem Angelus confortauit: *Nolite timere vos:* timeant illi, qui Christo aduersantur, non vos, qui ipsum quæritis. *Verumtamen non est hîc: surrexit enim, sicut dixit. Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.*

Cum Maiestate.

Sumpto animo, mulieres ingressæ sunt cryptam, & consternatæ, cùm hærerent, quòd in sepulchro, quod excauatum erat in petra, non inuenissent corpus IESV: *ecce duo viri steterunt iuxta illas, ad caput & pedes sepulchri in veste fulgenti. cùm timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hîc, sed surrexit;* atque ad excitandam eius rei fidem, subdunt: *Recordamini, qualiter est locutus vobis, quia oportet filium hominis tradi & crucifigi, & tertia die resurgere? & recordatæ sunt verborum eius.* Confirmarunt posteriores duo Angeli idem, quod prior affirmauerat, & vtrique allegarunt prædictionem à Christo factam.

Luc. 24. 4

Christi cognomen.

Obserua: quòd Angelus *vocat Iesum crucifixum Nazarenum:* quasi nouum cognomen sortitus sit, vt nominetur *Crucifixus.*

Quæ-

Quærunt Iesum crucifixum, qui profitentur cum D. Paulo: *se nihil scire, nisi Christum, & hunc crucifixum* Idem Christus est *Nazarenus*, siue floridus, cuius *floribus fulciri petit sponsa, cùm languet amore.* 1. Cor. 2. 2 Cant. 2. 5.

Angeli boni est reducere verba Christi in mentem, ad excitandos bonos motus, & ad docendum: item suauiter redarguere vacillantem, vt hic: *quid quæritis viuentem cum mortuis?*

Iubet renuntiari resurrectionem *discipulis & Petro.* huic præsertim, vt erigeretur eius animus; & intelligeret suam pœnitentiam fuisse acceptam Deo. *Regressæ* igitur *sunt mulieres à monumento, cum timore & magno gaudio currentes, vt nuntiarent Apostolis.* Marc. 16. 7 Matt. 28. 8.

MEDITATIO IV.

Feria 5. post Pascha.

Apparet Magdalenæ.

PVNCTVM I.

MAGDALENAE, ex qua septem Dæmonia Dominus eiecerat (hoc est, peccatorum multitudinem) primò apparet: quia præteritæ culpæ non obstant, quando nouis obsequijs & charitatis feruore compensatur. quod fecisse, præ reliquis, Magdalenam satis constat.

PVNCTVM II.

MAGDALENA cæteris abeuntibus, mansit apud sepulchrum. fuit quidem Magdalenæ feruor

ex im-

ex imperfectione fidei, quòd Angelis non crederet, Dominum ſurrexiſſe, ſed ex feruore tamen amoris, quòd Christo carere nequiret, & quo viuo frui non poterat, mortuo volebat.

Stabat ad monumentum non ſedebat, quippe anxia & ſollicita, & circumſpiciens omnia, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, quamuis antea vidiſſet eum abeſſe. amor nunquam ſibi fecit ſatis, nec destitit ab ijſdem studijs pietatis, pro inueniendo dilecto.

Matt. 7. 8. *Vidit duos angelos ad caput & pedes ſepulchri, qui eam interrogant: mulier, quid ploras?* non cohibuit impetum lachrymarum angelicus aſpectus, ſed irritauit magis ea interrogatio? quomodo non plorem! Quæ mihi conſolatio contingere poteſt ſine illo! ita affecti eſſe debemus. Pſal. 131. 4. *Si dedero ſomnum oculis meis, donec inueniam locum* Domino in corde meo. ita *ſponſa per vicos & plateas quærebat dilectũ*. Hæc iuſta lachrymarum cauſa, amiſsio Dilecti. Id autem fit, vel per peccatum mortale, vel quando ſe ſubtrahit etiam iuſtis.

PVNCTVM III.

Conſolatur Magdalenã ſenſim. CHRISTVS compellat Magdalenam. non statim ſe manifeſtat, ſed per gradus & ſenſim. Primò ad aliquem velut aduentantis ſonitum, Ioan. 20. 14. *conuerſa retrorſum vidit Ieſum ſtantem.* ſic eos, qui Deo verterunt dorſum, ſolet ille, quaſi à tergo commonere, vt apud Iſa. 30. 21. Iſaiam: *Aures tuæ audiunt verbum poſt tergũ monentis. Hæc eſt via ambulate in ea.* & ad

ſpon-

sponsam: *Reuertere, reuertere Sulamitis, vt intueamur te.* Cant. 6. 12.

Non agnouit Christum Magdalena: quia alieno habitu se ostenderat, ob imperfectam eius fidem. sic nos, quia tepidè credimus, præsertim in Eucharistia, quasi non agnoscimus, nec pro tali reueremur: vt hortulanum se exhibet, quia egemus cultura.

Cur Magdalena Christum non nouit

Deinde alloquitur eam Christus: *Mulier quid ploras? quem quæris?* cùm Deus quærit, subest aliquid, quod improbat. quod quasi nescire videtur, quia non scit ita, vt probet. Ita Magdalena non rectè quærebat mortuũ, quem resurrexisse credere debuerat: vnde tacitè arguitur. Docemur examinare causas nostrorum affectuum; quæ sæpe non sunt synceræ; & nos magis, quàm Deum cognoscimus; aut non, sicut oportet.

Quid interogando Christus intendit.

PVNCTVM IV.

MAGDALENA *existimans, quia Hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum; dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam.* Apparet feruor amoris. 1. quòd tota in dilecto posita, loquitur de illo; quasi de re omnibus nota. *si tu sustulisti eum.* quemnam? videlicet, *vbi est thesaurus, ibi & cor.* 2. quòd amor inducit obliuionem sui, vt homo loquatur, aut agat quædam minùs in speciem conuenientia. vt cùm *Dauid saltabat coram arca*; vnde etiam irrisus est. sic ista quærit: an sustulerit; cùm non esset probabile, vt, cùm

Ioan. 20. 15.
Vis amoris Magdalenæ apparet.
1.
Matt. 6. 21.
2.
2. Reg. 6. 14. 16.

Dominus horti ibi sepeliuisset Christum, hortulanus abstulisset. 3. Amor audet difficilia. quomodo tolles tu? & an, quem Pilatus custodire iussit, ne auferretur, tu tolles? tollam ego eum sicuti hortatur Paulus: *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, & vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* & alibi: *empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

3.

2. Cor. 4. 10.

1. Cor. 6. 20.

PVNCTVM V.

Christus se manifestat Magdalenæ.

Hebr. 4. 12.

CHRISTVS se manifestat Magdalenæ, tantùm compellans nomine proprio, *Maria. sermo Dei viuus & efficax*: abstergit lachrymas, mentem illuminat, replet gaudio. ita contingit ijs, quos Deus nouit ex nomine. Magdalena vicissim verbum verbo reddit, *Rabboni*: Magister mi. vocabulo aliàs ei vsitato compellat, ideò etiam, quòd ipsam tunc complesset scientiâ sui Magister bonus.

Accidit ad pedes, sed prohibetur tangere docetur iam non agendum, vt aliàs, quando mortalis inter homines versabatur. Amor non minuat reuerentiam Maiestatis. depellitur etiam ob imperfectam fidem, nam rationem reddit: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*: hoc est, apud te existimor, qualis antea fui, non iam, vt glorificatus, & mox ad Patrem ascensurus.

Iubet renuntiare Apostolis: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrũ, Deum meum*

& Deum

& Deum vestrum. ô, amica salutatio! Pater meus per naturam, vester per adoptionem, Deus meus vnitate essentię, vester vnione charitatis.

MEDITATIO V.

Apparet alijs Mulieribus.

PVNCTVM I.

MAGDALENA ad sepulchrum remanente, reliquæ mulieres festinarunt renuntiare Apostolis, quæ viderant, nempe Christum in sepulchro non esse; & visionem Angelorum. Interea Magdalena, cùm vidisset Dominum, læta properauit, asse uta est socias (vt quidam probabiliter putant) quas accendit desiderio videndi Christum, narratione apparitionis sibi factæ. Christus ergo sedulitatem illarum, adeundo sepulchrum, & excitatum in eis desiderium, vti est bonus, frustrare noluit, simulque progredientibus, ac de ipso loquentibus exhibuit sese, ita salutans: *Auete*: &, quia verbum eius est efficax, impertijt, quod eis precabatur, verum cordis gaudium & pacem. tale precatus Gabriel Mariæ: *Aue gratia plena* Nimirum benedictio illa, quam inchoauit Incarnatio, consummauit Resurrectio. Disce, quòd Deus, studiosè, & perseueranter ipsum desiderantibus tandem se præbet. Opta tibi illud, *Aue*, à Domino.

Magdalena alijs nunciat resurrectionem.

PVNCTVM II.

Mulierum reuerentia.

ACCEDENTES mulieres tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. summa reuerentia accesserunt, & ita permissæ sunt tangere, & osculari, ac pro studio, quòd voluerant Dominum in sepulchro vngere, & ipsæ vnctæ sunt oleo lætitiæ, & exultationis à Domino.

PVNCTVM III.

Matt. 28. 10.

TVNC *ait illis* IESVS, *nolite timere. ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Idem prorsus Angeli monuerunt. sic solet Deus seruorum suorum astruere dicta. Iubet in Galilæam ire, vt in locum quietiorem, quò meliùs ipsius præsentiâ fruantur. Ita, licèt inter distractiones occupationum ostendat se aliquando nobis, oportet captare tamē secessum quietum. id etiam monet vocabuli notio. Nam *Galilæa* significat transmigrationem quæ debet fieri & à vitijs, & à tumultu, vt videatur Deus.]

Iubentur ire in Galilæam,

Dulce autem, quòd fratres vocat. non ita Angelos, quia non hos, sed semen Abrahæ apprehendit, homo factus, non Angelus. ô, sim etiam frater similitudine virtutis & sanctitatis. Dicito mihi IESV, frater meus es, & fac quod dicis, vt sim verè.

MEDITATIO VI.

Petrus & Ioannes adeunt sepulchrum, & apparet Dominus Petro.

Sabbatho post Pascha.

PVNCTVM I.

MVLIERES nuntiant Apostolis lugentibus & flentibus, & non crediderunt illis: *sed visa sunt, quasi deliramenta.* Tam ægrè homo auellitur à sensibus: quamuis prędixisset Dominus Resurrectionē suam, & Lazarum atque alios ab ipso resuscitatos vidissent Apostoli, totque alia miracula; tamen hærerent. extrema vitanda sunt: leuitas credendi, & durities, nec pro deliramento habendum, quidquid à simplicioribus affirmatur, sed prudenter examinandum.

Luc. 24. 11.
Fides quã difficilis.

PVNCTVM II.

PETRVS & Ioannes accurrunt ad sepulchrum, qui quidem non deliramento habuerant reuelationē factam mulieribus, sed inuestigare indicia prudenter voluerunt. Et ausi sunt ipsi quoque, non obstante custodia sepulchri, illuc pergere. Non apparuerunt eis Angeli, quia sufficiebat relatio mulierũ, & indicia sudarij & linteaminum. Vnde etiam reduxerunt ad mentem Christi prædictionem.

Duorum discipulorũ prudentia.

In Petro & Ioanne signantur fides & charitas, per quas Christus quærendus. Petrus prior ingreditur, quia & fides, mox sequitur

Eorundem fides & charitas.

charitas; vtraque autem roboratur, viso ſepulchro. In iiſdem exprimitur vita actiua & contemplatiua, illa ad hanc diſponit per exercitium virtutum.

PVNCTVM III.

CVM redirent Petrus & Ioannes, videtur Petrus ſolitarius ambulaſſe, vt ait Lucas: *ſecum mirans, quòd factum fuerat.* Talia igitur meditanti apparuit Chriſtus. ſæpè magni peccatores exiſtunt digni maioribus fauoribus, ob feruorem conuerſionis ſuæ quàm alij, qui non ita ceciderunt. Prima mulier & primus vir, quibus in Euangelio legitur apparuiſſe, fuerant tales; Magdalena & Petrus: vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia. Hinc confidam, quamuis peccator, ſed ſui victoriâ præclarâ opus eſt.

Luc. 24.12. Petri diligentia.

Petrus confuſione plenus procidit ad pedes Chriſti, qui illum ſuauiſsimis verbis ſolatus eſt, & animauit, tum iuſsit, vt condiſcipulos confirmaret in fide reſurrectionis.

Petri pudor.

Præſtitit id Petrus: vnde iam non pro deliramento habebant, ſed aſſeueranter dicebant: *Quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* tantum potuit teſtificatio Petri præ mulierum aſſeueratione.

(§)

MEDI-

MEDITATIO VII.

Feria 2. Paschæ.

Apparet euntibus in Emaus.

PVNCTVM I.

DVo illi diſcipuli triſtitiâ & timore affecti ob ea quæ circa Chriſtum acciderunt, ſeceſſerunt Ieroſolymâ, ſolatium aliunde quærentes. Non eſt idcircò à conſortio diſcipulorum Chriſti recedendum propter aduerſa.

Adfuit autem illis Chriſtus, tum pro ſollicitudine ſua circa oues ſuas errantes, tum, vt afflictis ſolatium afferret: tum, quia de ipſo colloquebantur: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matt. 18. 20

Non agnouerunt illi Chriſtum, quia fide nutabant; & quia nimia triſtitia tenebantur. ſæpe Deus adeſt tribulatis, quando ipſi non putant.

PVNCTVM II.

CHRISTVS ſuauiter diſcipulis ſe inſinuat; *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem, & eſtis triſtes?* ex ipſis intelligere vult, quod alioqui nouit: ita delectatur talibus ſermonibus de Deo, vt ſibi repeti velit. *Reſpondent autem, de Ieſu Nazareno, qui fuit potens opere & ſermone corā Deo & omni populo.* magnifica æſtimatio: quæ cōſiſtit in quatuor circumſtantijs: *potens opere & ſermone.*

Luc. 2. 15. Suauis in agendo Chriſtus.

priùs cœpit facere, postea docere. Doctrinam factis confirmauit, tum miraculis, tum exemplis: *coram Deo*, ad placandum ipsum nobis: *coram populo*, ad conuertenda hominum corda, vel Deo, & hominibus comprobantibus. Studeam esse talis, potens exemplo & verbo apud Deum studio orationis, vnde valeam etiam homines conuertere.

Imbecillitas in fide.

Sed, quæ est imbecillitas humana, ostendunt, se excidisse à spe. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* ita nos, quãdo ex sententia nostra non fit, putamus rem perditam. scilicet non assequebantur illi, quomodo Christi mors cedere posset, præsertim tam ignominiosa, ad Redemptionem Israel.

PVNCTVM III.

Aspere reprehendit illos Christus.

CHRISTVS eos acriter redarguit, vt fidem excitet. *ô stulti, & tardi corde ad credendum. Stultos* vocat, quòd, cùm toties prædixisset de sua morte, tamen diffiderent de Redemptione, eò quòd mortuus esset. *Tardos* autem, quòd, cùm indicia haberent de resurrectione ipsius, nihil eis mouerentur. nam retulerant testimonium mulierum, quæ ab Angelis de resurrectione didicisset. Reddit autẽ rationem cur debuerit mori: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* suã, quia alioqui debitã quòd Filius Dei esset. Quòd si ille sic per passionem debuit intrare; quomodo non etiam nos? quare *stulti & tardi corde* sumus; si in tribulationibus deficimus,

Profunda dicti ratio.

non attendentes, quia ita oportet intrare in gloriam Dei. Tandem, *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis scripturas, quæ de ipso erant*; idque tam efficaciter, vt cor eorum exardesceret, sicut postea professi sunt. Opto, Domine, vt mihi similiter mysteria tuæ mortis aperias, vt totus ignescam.

PVNCTVM IV.

INVITATVR Christus ad manendum illic *se finxit longius ire*, indicium præbens pergendi vlterius, nam etsi cupit nobiscum esse, vult tamen desiderari, & rogari; & per pium opus hospitalitatis, dum rogant, voluit dignos reddi, qui ipsum exciperent. Dissimulat Christus abitum.

Quin *coegerunt illum*. vult cogi Dominus instanti oratione, vt Iacob Angelum coegit: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Et est in negotio salutis tam studiosè agendum, ac si Deum cogere velimus. Agunt etiam ratione; *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies*, Appellant Dominus conceptâ ex sermone eius reuerentia. Aduesperascit in anima, quando illa tepescit, & propinqua est morti: appropinquatio etiam ad mortem corporis vespera est. Diligam te, Domine, vt venias ad me, & facias mansionem apud me. Christus cogi gaudet. *Genes.* 32. 2[6]. Oratio illorum.

PVNCTVM V.

AGNOVERVNT *Christum in fractione panis*. 1. voluit agnosci in exercitio *Luc.* 24. 3[5]. 1. Hospitalitas.

boni ope i; vt commendaret hospitalitatem erga pauperes, & peregrinos. 2. quia ea vis est panis cœlestis, illuminare mentes, multo magis quàm *mellis à Ionatha degustati*. Creditur enim Eucharistiam porrexisse.

2. Euchari-stia. 1 Reg. 14. 27

Vbi *aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, euanuit ab oculis eorum.* quando maximè frui aspectu illius voluissent. *Visitas hominem diluculo, & subitò probas illum.* Solent huiusmodi visitationes esse breues; & vult Deus, nos bonis operibus intendere. Sic isti confestim aduolarunt, vt Apostolis nuntiarent.

Iob 7. 18. Euanuit statim.

Feria 3. Paschæ.

MEDITATIO VIII.

Apparet discipulis congregatis eodem die.

PVNCTVM I.

I. Cur serò apparuit. Habac. 2. 3. Iob 11. 17.

SERò apparuit: distulit ob tarditatem quorundam ad credendum: & vt desiderium magis acueret credentibus, & vt minùs iam exspectatus, plus lætitiæ afferret. *si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* &, *cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

II. Cur clausis ianuis.

Venit *clausis ianuis*, vt intelligeretur, corpus eius esse glorificatum, & dono subtilitatis affectum, ad penetrandum quæuis corpora; & quòd similiter possit in animam ingredi, & pro libitu eam inflectere, nullo obstaculo præualente, & quòd placeat sibi illi, atque ad eos libenter ingrediatur, qui clausas habet

fores cordis, nempè sensus, seque collectos seruant. Ingredere ad me, Domine, perrumpe obstantia, fac sim tibi custoditus, clausus vanitatibus.

III. Cur in medio stetit.

Stetit in medio eorum, sic dictum suum implens: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* In medio est, vt sol collustrans, ac Magister docens, vt pastor congregans, & prouidens ouibus; vt mediator inter Deum & homines, ipsos inter se pacificans: Denique, vt protegens sub alijs suis. Contingant eadem mihi; & sit anima mea vt domus clausa, in qua tres animę facultates, memoria, intellectus, & voluntas congregentur in nomine Christi ad orationem: aderit ille haud dubiè in medio illarum.

PVNCTVM II.

Salutatio.

SALVTAT discipulos: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* pacem impertit acquisitam. morte sua, quam aliàs promiserat, *pacem meam do vobis.* Ego sum ille ipse, qui aliàs vobiscum versatus. proinde facessat timor omnis, me protegente, tuti eritis aduersus furorem, & insidias Iudæorum, omniumque inimicorum. Vel, *nolite timere*, tanquam ab vmbra aliqua: ego ipse sum, & hunc sensum probant sequentia: nam, *conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre.*

Domine imperti mihi quoq; hãc pacem, quã mundus non potest dare; pacem cũ Deo, pacẽ cũ fratribus meis; pacẽ mecũ ipso, vt caro obsequatur spiritui, nõ contrà, & cesset rebellio.

Christi benignitas.

Porrò Christus turbatos discipulos benignè demulcet, inuitans ad palpandum copus: *quia spiritus*, inquit, *carnem & ossa non habet:* & ad inspicienda vulnera, *ostendens eis manus & pedes, & latus.* Hæc vulnera reseruata sunt ad sanandam infidelitatem, & pusillanimitatem discipulorum: & ita euenit: nam ad ea accedentes cum magna reuerentia, atque tangentes confestim illuminati sunt, & in fide roborati: nam subditur: *Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino.*

Olim, qui tangebant Arcam, moriebantur: iam qui meliorem tangunt Arcam, ipsam Christi humanitatem, viuificantur, scilicet veteri timoris legi noua successit Amoris. O si mihi inter illos accedere licuisset, contingere, osculari? facio id modò ex intimo corde, sperans inde sanitatem animæ meæ.

PVNCTVM III.

Mira amoris vis.

COMEDIT, ad testandam veritatem corporis; aliquibus adhuc non credentibus, quamuis palpassent, esu mellis & piscis fidem facit. Mira dignatio, pro lucrandis incredulis, facit rem suo statui non conuenientem, vt edat. sic oportet remittere de gradu nostro, & iure pro salute proximorum.

Mysterium comestionis.

Habent etiam mysterium *piscis assus & fauus mellis:* ille humanitatem Christi igni passionis assam, hoc autem diuinitatem omnis fontem dulcedinis significat. Vtrumque hoc, ante mortem suam, Christus in cœna vltima

comedit, deditque discipulis suis in cibum, quo animæ sumentium charitate flagrent, & spirituali dulcedine repleantur.

Petijt ipse Christus dari sibi aliquid *ad manducandum, oblatumq́; ei est piscis, & mel.* Nempe hic diuinus cibus est etiam sacrificium, quod in gratiarum actionem Deo offerimus, oblatumq́; semel, de altari eius sumimus in æternitatis alimentũ. nam & Christus oblati cibi reliquias dedit Apostolis edendas.

Domine & ego piscis sum in mari huius sęculi, multo concupiscentiæ humore diffluens: assa me igne Spiritûs sancti, & condi gratia tua quasi melle, vt sim gratus tuo palato.

Tandem, ad reliqua exprimenda, adiecit Christus testificationem sacrarum Scripturarum, ad quas intelligendas, aperuit eis sensum sicut euntibus in Emaus, & arsit similiter proculdubio cor eorum.

MEDITATIO IX.

Christus dat discipulis Spiritum sanctum in prima apparitione.

PVNCTVM I.

DIXIT illis iterum: *Pax vobis.* primò dixerat: vt, mentis turbationibus discussis, apti redderentur ad capiendum mysterium Dominicæ Resurrectionis, pacata enim debet esse anima ad diuina excipienda. secundò pacem precatur, quòd necessaria sit ad munus Apostolicum, ad quod eos destinabat: pax nimirum cum Deo, & secum, nec nõ cum homi-

Ioan. 20. 21 Pax bis impertita.

hominibus, qui iuuandi sunt operâ nostrâ Petam ergo mihi bis pacem.

Munus Apostolatus. Subiungit: *sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* magna omninò dignitas, succedere Christo in opere suæ missionis. non quidem per omnia, nec cum pari potestate, sed tamen, quò ad annuntiandum mundo Regnum Dei, 2. Cor. 5. 20. sicut dicit Paulus, *pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos:* in quibus posuit verbum, *reconciliationis: Obsecramus igitur pro Christo, reconciliamini Deo* in quo munere alij atque alij semper succedunt. deinde comparatiua illa, *sicut,* non similitudinem tantùm officij significat, sed modum missionis, vt quemadmodum Pater filium suum ita misit, vt per multos labores & dolores perficiendum ei fuerit opus suum; ita & Apostoli & quicunque alij se missos intelligant. Ad quod me offeram paratissimum.

PVNCTVM II.

Cur insufflauit. INSVFFLANDO dat Spiritum sanctum *insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Ideò insufflando dat, vt significet Spiritum sanctum à se quoque procedere Deinde quòd idem ipse sit, qui Adæ insufflauit spiraculum vitæ, præbens animæ vitam, nitorem motũ, sensus, cira spiritualia & diuina. & illo recedente maneat anima instar cadaueris deformis. Quàm mihi hunc optem!

Præterea flatu abigimus à corpore, aut ab alia re quapiam leuiora quædam, vt floccum, aut puluisculum: ita hoc spiritu imperfectio-

nes

nes ab anima etiam minores sefflatur.

Hęc in sufflatio est pignus magni illius venti, quo datus est postea idem spiritus in Pentecoste: nam modò tantùm ad remittenda peccata, postea verò ad complures effectus datus est: ideo *in spiritu vehementi.*

PVNCTVM III.

TRIBVIT potestatem remittendi peccatà: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Potestas remittendi peccata.

Potestas Dei propria: nam eius est remittere iniuriam, cui facta est. vnde ait; *Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* *Isai 43. 25.*

Hanc autem non communicauit Angelis; sed hominibus, ac in Veteri Testamento illius Sacerdotibus; nec à lepra mundandi, (quæ typus erat peccati) potestatem fecit; sed declarandi tantùm, an mundatus quis esset. nunc autem etiam mundandi hominem ab ipsis peccatis: & committit hanc potestatem hominibus, etiam peccatoribus. Quanta potestas.

Sed poterat saltem hæc potestas restringi: at est quàm latissimè patens, ad omnes omninò peccatores, ad omne genus peccati, etiam contra Spiritum sanctum: quod dicitur alioqui irremissibile, dummodò tamen ritè subijciatur Sacerdoti, & ad omnem denique numerum criminum: vt dixit Dominus Petro, vsque *septuagies septies*; id pro infinito vsurpans. quam potestatem ab Apostolis in alios transmitti voluit, vsque ad consummationem seculi. Domine liberalis es, & profusus de re,

quæ tibi magno constitit: sed videlicet non exhauritur, dum communicatur quibuscunque.

Quali iam sensu & feruore mihi accedendum est ad tribunal absolutionis, per veram peccatorum confessionem?

In Octauã Paschæ.

MEDITATIO X.

Apparet secundò Apostolis die octaua, præsente Thoma.

PVNCTVM I.

Quatuor B. Thomæ defectus.

QVAEDAM imperfecta in Apostolo Thoma. 1. quòd à cœtu aliorum se subduxerit: vnde prima vice non vidit Christum. Nolim à communitate recedere, vel esse singularis. 2. Incredulitas, cum pertinacia, quidquid omnes alij testarentur. 3. præsumptio, vt non aliter velit credere, nisi digitos, & manus inferret in vulnera. Non oportet Deo præscribere, quid permittere debeat, aut quibus modis nos iuuare. 4. quòd in ea dispositione mansit per octo dies, & flecti non potuerit, fortè etiam ipsa Christi Matre contestante. Cauebo ab his quatuor. Permisit hoc Deus ad roborandam fidem suæ Resurrectionis, ex Thomæ increduli testimonio. Et confirmatur hinc Christi dictum: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, quòd fides sit donum Dei.

Ioan. 5. 44.

* * *

PVNCTVM II.

BONITAS Pastoris Christi, quærentis ouem perditam. Redit, ingreditur ianuis clausis. salutat vt priùs: Pax vobis. voluit, in præsentia aliorum, sanare Thomam: vt intelligeretur, id ei conferri ob bonorum societatem: & vt omnes viderent Magistri charitatē; indeque consolationem acciperent & vt qui fuerant testes Thomæ infidelitatis & incredulitatis, fierent etiam fidei, vnde ipsimet cōfirmarentur magis.

Obserua etiam comitatem, qua alloquitur Thomam; atque illius cogitationum se conscium probans, inuitat ad tangendum: *Infer digitum tuum &c.* & quia propter Thomam apparebat, cæteris omissis, hunc alloquitur.

PVNCTVM III.

CONFESSIO Thomæ. An tetigerit, non est expressum; quia ad aspectum tantùm cicatricum potuit illustrari. sed credibile, quòd voluerit Christus, vt tangeret; manumque Thomæ tenuerit & applicuerit.

Visis ergo, tactisque, Diuino lumine perfusus est; & ardore charitatis incensus, exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* non ait: noster; sed, *meus*, pro singulari amore sibi exhibito. Non prædicatur beatus à Christo ob hanc confessionem, sicut Petrus: quia incredulus fuerat, & extorsit illam inspectio. *illos* autem *beatos dicit*; *qui non viderunt & crediderunt*, qui non requirant à sensibus testimoniū; neq; suo arbitratu exigunt indicia à Deo. Charitas Christi.

Fidei meritum. Dixit alibi Christus: *Beati qui vident, quæ vos videtis*: sed id tantùm significat, beatos esse nos, qui exhibito iam Christo, & eius gratia, & Sacramentis fruimur: quæ *Reges & Prophetæ desiderauerant videre, & non viderunt*, quia eis datum non est vt illorum diebus veniret Saluator. Et deniq; beati censendi sunt, qui vident Christũ, sed non, qui ideò credunt, quia vident, alioqui non credituri, ac ita quoque Thomas fuisset beatus censendus; si, quãuis non viso Christo, credidisset etsi inde tamẽ beatus, quia videre licuit. Visio ergo Christi non adimit beatitudinem, sed adfert, aufert autem, si visio requiratur ad fidem. Nec qui vident in Eucharistia Christum, idcircò non beati quando etiam, non videntes, credunt: imò dupliciter beati; &, quia vident, &, quia credunt, licèt non videant.

MEDITATIO XI.

Cur reseruauerit Christus cicatrices in corpore glorificato?

PVNCTVM I.

I. Causa ob fidem. Iob 19. 26. I. AD fidem Resurrectionis confirmandam in eodem prorsus corpore, quãtumuis conciso & malè affecto, vt Iob, *qui* dicebat: *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. II. in signum triumphi quòd per ea vulnera vicisset, & quòd de passionibus gloriaretur. vnde nos excitaret ad patiendum, & gloriandum cum Paulo dicente: *Ego Stigmata Domini mei Iesu in corpore meo por-*

II. In signum triumphi. Gala. 6. 17.

to. Domine ego seruus tuus, nota me charactere tuo, vnde agnoscar tuus, nec subducere me valeam à tuo seruitio.

PVNCTVM II.

III. CAVSA. Vt ei esse nt memoriale, quãtùm nos amarit, quantique redemerit: vnde ad benè nobis faciendum excitaretur: *nam in manibus suis descripsit nos.* significat etiam apertas sibi esse manus, ad benedicendũ nobis largiter, idq; ab hianti corde, ex summo in nos amore. *Ponã* ego vicissim *te, vt signaculum super cor meum, & signaculum super brachium meum* : vt omnia opera mea ex amore tuo fiant, & ad te dirigantur. IV causa. Vt essent in signũ tanquã *arcus cœlestis, & recordaretur Deus fœderis sui* nobiscũ, *quod pepigit* in Christo *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ergo anima mea, *vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valdè speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illũ.* V. causa. vt eorũ aspectu nos vicissim commoueremur ad amandum & seruiendum ipsi, intendentes, quantũ ille nos amauerit, quantaq; pro nobis egerit, quod latus manusq; perfossæ loquuntur. Inuitamur etiam, vt columba *ad foramina petræ, ad cauernam maceriæ:* si milui infernales adoriantur nos; si mundus, & caro infestet, vt huc confugiamus, si turbent curæ, hîc requiem requiramus, & pacem.

Aperit cor suum mihi, vt aperiam ipsi meũ,

III. Ad memoriale Passionis. *Isa.49.16. Can.8.6.*

IV. In signum reconciliationis. *Gen.9.14. Psal.83.10.*

Eccl.43.12.

V. Ad incitamentum amoris.

ostendit apertas manus, vt vicissim ego pugnẽ pro gloria ipsius. denique pedes, vt dirigam ego passus meos ad obsequium ipsius vsque in finem perseueranter. Atque ita *hauriam aquas de fontibus Saluatoris*, aquas refectionis.

Isai. 12.3.

PVNCTVM III.

VI. Ad confusionem damnatorum.

VI. CAVSA. Ad confusionẽ damnatorum in die Iudicij, dum sic ostendet, quã-tum pro eis fecerit, quantumq; cõtempserint ipsi Cõtrà verò, ad solatiũ saluandorũ, quibus illa profuerunt, & ad solatium sempiternum, dum aspicient in omnem æternitatem talia amoris erga se documenta.

Fac Domine, vt in his ego commorer, & requiescam. Discam sic amare te, operibus meis placere tibi, & tuis vestigijs vsq; ad finem insistere. Amen.

MEDITATIO XII.

Apparet in Galilæa septem discipulis piscantibus.

PVNCTVM I.

PETRO inuitante, reliqui se offerunt. Documentum concordiæ animorum, piscatum eunt, causa paupertatis, & vitandi otij. imitabor has virtutes.

1. Cor. 3.7. Tota nocte nihil capiunt, vti aliàs contigit, donec veniret Christus. Frustrà sine Christo; neq; *qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Operarius ita in

Ioan. 15.5. humilitate sit fundatus, quòd *sine me nihil potest facere*.

Nocte

Nocte nō capiunt, quia vsque ad lumen Euangelij nō successit conuersio animarū: in nocte etiā peccati non proficitur ad vitā æternā.

Discipulos credibile est memorasse tunc, quomodo aliàs Christus in simili casu adfuisset, & prouentum dedisset, & expectasse eius præsentiam faciam idem, cùm fructus non respondet labori. nam *desiderium pauperum exaudiet Dominus*. Psal. 9. 37.

PVNCTVM II.

STETIT Iesus in littore, & petijt ab eis pulmentarium. Non tardat Deus visitare suos: in littore stat tanquam extra mortalitatem iam positus; petijt, *num haberent pulmentarium*, cùm sciret eos non habere. sic solet, vt agnoscat homo egestatem suam, quando succurrere vult sic petijt etiā à *Samaritana* aquā. Charitas Christi.

Ad dexteram nauigij iubet iaci rete, in typum piscationis animarum pro vita æterna, quæ significatur per dexteram. Obediunt, & ecce non valebāt trahere *præ multitudine*. hic fructus obedientiæ. *Vir obediens loquetur victoriam* vindicatis animabus à perditione. In altera piscatione agnouit Petrus Christum, & dixit: *in verbo tuo laxabo rete*. in hac nō agnoscit, & tamen paret, cum simili prouentu. Quia vult Deus etiam hominibus præstari obediētiam, & similiter remunerat. *Obedite*, inquit idem Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Christum*. Ioan. 4. 7. 1. Pet. 2. 13.

PVNCTVM III.

Ioan.21.7. IOANNES agnoſcit Chriſtum,& *ait Petro, Dominus eſt: Petrus autem tunicâ ſuccinxit ſe,& miſit ſe in mare*,vt adnataret ad Chriſtũ. In Ioanne lumen vitæ cõtemplatiuæ exprimitur,perſpicacis,ad agnoſcendũ Deum,& indicantis eum alijs. In Petro feruor vitæ actiuæ, properantis ad terram viuentium, & tardum nimis ducentis motum nauigantium in ſæculi mari, ideoque quibuſuis laborum fluctibus ſe obijcientis,pro aſſequenda æternitate.

verſ.12. Trahitur rete ad littus,& *Petrus extraxit in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus, & cùm tanti eſſent,nõ eſt ſciſ-* Luc.5.7. *ſum rete*.Piſcatio iſta differt ab altera Lucæ 5. quòd priore ſignificaretur vocatio ad Eccleſiam,poſteriore autem peruentio ad gloriam: ideo illa facta eſt ad omnem partem, hæc autẽ ad dexteram tantùm, ad quam conſiſtent electi,in illa implebãtur duæ naues, vario piſciũ genere,in hac exponuntur piſces in terram,& magni tantùm ſunt, quia omnes in cœlo magni erunt,& extra fluctus:in illa rumpebatur rete,quia patitur ſciſſuram nunc Eccleſia,tùm verò nullam.

Prandium interea Chriſtus diſcipulis pa- Ioan.21.10. rauerat,miniſterio Angelorum.*viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem*. quin inuitat amanter:*venite prandete*. quin diſtribuit ipſe, *accipiens panem dabat eis, & piſcem ſimiliter*. Mira cura ſuorum, laboran-

tibus

tibus in hac vita parat conuiuium in altera. *Beati qui manducabunt panem in Regno Dei.* Luc. 14 15.

MEDITATIO XIII.

Committit Petro oues in eadem apparitione.

PVNCTVM I.

ANTEQVAM oues tradat, & Vicarium suum constituat, examinat illũ de charitate. *Amas me?* quia Prælati debent præcellere charitate. compellat autem: *Simon Ioannis*, nam *Simon* significat *obedientem*; *Ioannes gratiam*, siue Ionas columbam, quia idem esse debet fide, gratia, & obedientia præditus. Examinat Petrum.

Ter examinat pro triplici negatione, quæ ex præsumptione manauit. Vnde cautior & humilior redditus, non respondet: se plus amare cæteris, sed ad ipsum Dominum se refert: *Tu scis Domine, quia amo te*: veritus, ne fortè aliter se haberet. Placet Deo humilitas, condiens charitatem, & vt homo cum D. Paulo dicat: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, quia qui iudicat me Dominus est.* Trina negatio quid notet? 1. Cor. 4. 4

Ter etiam examinat, quia talis debet in charitate esse fundatus, secundùm triplicem gradum Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ viæ, exutus imperfectionibus, exercitatus in virtutibus, & Deo vnitus, & denique præstare charitate erga Deum, & proximũ, & erga seipsũ.

Christus, cũ bis dixisset: *Pasce agnos meos*, ad tertium Petri responsum subiunxit: *Pasce oues meas*, quòd non tantum communes fide- Petrus Pastor vniuersalis Ecclesiæ

 les,

es, sed reliquos etiam pastores, tanquam matres, ipsius curæ committeret.

Non dixit tuas, sed *meas*: vt intelligeret, se non constitui Dominum, sed Vicarium, & vt tanquam Christi ipsius oues curaret. Mira elucet Christi erga nos charitas, quando inde probatam esse vult charitatem pastoris erga ipsum, si bene pascat ipsius oues, & tunc se verè amari existimat, si ouibus prospiciatur suis, hoc est, nobis.

Ter ait, *pasce*: quia vult iuuari oratione, doctrina, exemplo: seu doctrina, sacramentis & exemplis pasc: seu beneficijs, tum spiritualibus, tum corporalibus. seuerè minatur per

Ezech. 24. Ezechielem illis, *qui se, non oues pascunt.*

PVNCTVM II.

PRAEDICIT Dominus Petro mortem, & illius genus tanquam certũ signum amoris, quem professus fuerat. *Bonus* enim *Pastor animam suam ponit pro ouibus suis, & maiorem hac dilectionem nemo habet.*

Verum amoris signum. *Ioan. 10. 11.* *c. 15. 13.*

Significat Dominus duo genera pasionum, aliæ sponte suscipiuntur, vt mortificatio carnis, maximè ab incipientibus, de quibus illud: *cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi*

Ioan. 21. 18. *volebas.* Aliæ inferuntur ab alijs, ad quas extendit vir perfectus manus suas, libenter acceptans, sed *alius eum cingit & ducit, quò non vult* secundùm carnem, licet velit secundùm spiritum. De primis sumi potest illud: *Tribu-*

Psal. 114. 3. *lationem & dolorem inueni.* de secundis: *Tri-*

Ps. 118. 143. *bulatio & angustia inuenerunt me.*

Quod Dominus parabolicè dixerat, quòd esset cingendus ab alio, declarat Euangelista, significasse Dominum: *qua morte Petrus clarificaturus erat Deum.* mors Sanctorū, glorificatio est Dei. *moriatur anima mea morte iustorum.* *Num.23.10*

PVNCTVM III.

POSTHAEC *ait Dominus Petro: sequere me.* Videtur Christus progredi cœpisse, eoque actu exprimere voluisse peculiarem sequelam Petri ad mortem crucis, vt & in officio pascendi. Ioannes autem, exemplo Petri, cœpit etiam sequi, licèt ei non fuisset intimatum. Videlicet, nolebat separari à Christo, & inuidebat Petro sanctè. Est vocationis genus ab exemplo coniunctorum, sed non absque diuina motione. Festo S. Ioannis Euangelistæ.

Petrus pro Ioanne sollicitus, quærit: *Hic autem quid?* an non similiter sequetur? Redarguitur à Domino: *sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Ne simus curiosi, & vt coniunctorum curam Deo relinquamus: & vt nostris rebus simus intenti, alienis relictis.

MEDITATIO XIV.

Apparet in monte Galilææ omnibus Discipulis, &c.

PVNCTVM I.

APOSTOLI, vt Dominus iusserat, læti in Galilæam migrant, fruituri ibi præ- Zelus Apostolorum.

ſentia Magiſtri iuxta ipſius promiſſum. Renuntiant etiam alijs per Galilæam diſperſis diſcipulis de Reſurrectione, & futura apparitione in monte, ad quam adeo conuenerunt pluſquam quingenti fratres.

In monte apparet Deus, quia mens tunc illuminatur, quando ad perfectionem aſſurgit. & iuuat ad hoc conſociatio bonorum, & mutua charitas, & cohortatio.

Mons putatur fuiſſe Thabor, vbi aliàs ſe glorioſum exhibuit tribus Apoſtolis; & credibile, tunc etiam aliquid ſuę gloriæ oſtendiſſe certè eos ineffabili conſolatione perfudiſſe, vt figere ibi cum Chriſto tabernacula ſibi bonum ducerent.

Matt. 28.16 Et *videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt*, non ex Apoſtolis; ſed illi ipſi mox ſunt confirmati à Domino.

PVNCTVM II.

Matt. 28.18 Marc. 16.15. PROFITETVR, *datam ſibi poteſtatem omnem in cœlo & in terra.* Habuit omnem, quia Deus, vt homini etiam debebatur, propter vnionem Perſonæ VERBI, ſed ampliùs obtinuit illam iure ſuorum meritorum.

In cœlo: vt illud aperiret hominibus, & dominaretur Angelis. *In terra*, ad remittenda peccata, & quæuis dona impertienda, & ad diſponendum in Eccleſia.

Miſsio Apoſtolorũ Secundùm hanc poteſtatem mittit Apoſtolos in mundum vniuerſum, vt *doceant omnes gentes, & Euangelium prædicent omni creaturæ.* non

ra. non Iudæis tantùm, nec tantùm magnis & potentibus, sed omni creaturæ. Nam sicut *solem istum oriri facit Pater cœlestis super bonos & malos*: ita Christus solem Euangelij non minùs patere vult in omnes plagas, atque illuminare omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Matt. 5. 45

PVNCTVM III.

PRAECIPIT *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Baptismus succedit Circumcisioni, & est ianua ad Euangelium, sicut illa ad legẽ. Circumcisio inurebat corpori notam, cum acri dolore, Baptismus signaculum spirituale imprimit, & tangendo corpus, abluit animam. per Circumcisionem fiebat homo obnoxius toti legi seruandæ, quæ erat onus importabile, vt ait S. Petrus: per Baptismum subditur Euangelij suaui iugo. quare subdit: *docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Confertur in nomine Trium Personarum Diuinarum, quia efficitur Patris ęterni adoptione Filius, Christi frater & cohæres, & à Spiritu sancto desponsatur exornaturque donis cœlestibus *sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo in fide, & iustitia & misericordia.*

Mat. 28. 19.

Comparatio baptismi & circumcisionis.

Personæ SS. Trinitatis quid operentur in Baptismo.

Ose. 2. 19.

PVNCTVM IV.

PROMISSIONEM addit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, quin & minas: *qui verò non crediderit condemnabitur.* Non promittit bona temporalia, aut intentat

Mar. 16. 16.

Promissio rerum spiritualium.

Fidei meritum. Dixit alibi Christus: *Beati qui vident, quæ vos videtis*: sed id tantùm significat, beatos esse nos, qui exhibito iam Christo, & eius gratia, & Sacramentis fruimur: quæ *Reges & Prophetæ desiderauerant videre, & non viderunt*, quia eis datum non est. vt illorum diebus veniret Saluator. Et deniq; beati censendi sunt, qui vident Christũ, sed non, qui ideò credunt, quia vident, alioqui non credituri, ac ita quoque Thomas fuisset beatus censendus; si, quãuis non viso Christo, credidisset etsi inde tamẽ beatus, quia videre licuit. Visio ergo Christi non adimit beatitudinem, sed adfert; aufert autem, si visio requiratur ad fidem. Nec qui vident in Eucharistia Christum, idcircò non beati quando etiam, non videntes, credunt: imò dupliciter beati; &, quia vident, &, quia credunt, licèt non videant.

MEDITATIO XI.

Cur reseruauerit Christus cicatrices in corpore glorificato?

PVNCTVM I.

I. Causa ob fidem. Iob 19. 26. I. AD fidem Resurrectionis confirmandam in eodem prorsus corpore, quãtumuis conciso & malè affecto, vt Iob, *qui dicebat*: & *in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. II. In signum triumphi. Gala. 6. 17. II. in signum triumphi quòd per ea vulnera vicisset, & quòd de passionibus gloriaretur. vnde nos excitaret ad patiendum, & gloriandum cum Paulo dicente: *Ego Stigmata Domini mei Iesu in corpore meo por-*

to. Domine ego seruus tuus, nota me charactere tuo, vnde agnoscar tuus, nec subducere me valeam à tuo seruitio.

PVNCTVM II.

III. CAVSA. Vt ei esse nt memoriale, quãtùm nos amarit, quantique redemerit: vnde ad benè nobis faciendum excitaretur: *nam in manibus suis descripsit nos.* significat etiam apertas sibi esse manus, ad benedicendũ nobis largiter, idq; ab hianti corde, ex summo in nos amore. *Ponã* ego vicissim *te, vt signaculum super cor meum. & signaculum super brachium meum*: vt omnia opera mea ex amore tuo fiant, & ad te dirigantur. IV. causa. Vt essent in signũ tanquã *arcus cœlestis, & recordaretur Deus fœderis sui* nobiscũ, *quod pepigit* in Christo. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ergo anima mea, *vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valdè speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloria suæ, manus excelsi aperuerunt illũ.* V. causa. vt eorũ aspectu nos vicissim commoueremur ad amandum & seruiendum ipsi, intendentes, quantũ ille nos amauerit, quantaq; pro nobis egerit, quod latus manusq; perfossæ loquuntur. Inuitamur etiam, vt columba *ad foramina petræ, ad cauernam maceriæ*: si milui infernales adoriantur nos; si mundus, & caro infestet, vt huc confugiamus, si turbent curæ, hîc requiem requiramus, & pacem. Aperit cor suum mihi, vt aperiam ipsi meũ,

III. Ad memoriale Passionis.
Isa. 49. 16.
Can. 8. 6.

IV. In signum reconciliationis.
Gen. 9. 14.
Psal. 83. 10.

Eccl. 43. 12.

V. Ad incitamentum amoris.

ostendit apertas manus, vt vicissim ego pugnē pro gloria ipsius. denique pedes, vt dirigam ego passus meos ad obsequium ipsius vsque in
Isai. 12.3. finem perseueranter. Atque ita *hauriam aquas de fontibus Saluatoris*, aquas refectionis.

PVNCTVM III.

VI. Ad confusionem damnatorum.

VI. CAVSA. Ad confusionē damnatorum in die Iudicij, dum sic ostendet, quā-tum pro eis fecerit, quantumq; cōtempserint ipsi Cōtrà verò, ad solatiū saluandorū, quibus illa profuerunt, & ad solatium sempiternum, dum aspicient in omnem æternitatem talia amoris erga se documenta.

Fac Domine, vt in his ego commorer, & requiescam. Discam sic amare te, operibus meis placere tibi, & tuis vestigijs vsq; ad finem insistere. Amen.

MEDITATIO XII.

Apparet in Galilæa septem discipulis piscantibus.

PVNCTVM I.

PETRO inuitante, reliqui se offerunt. Documentum concordiæ animorum, piscatum eunt, causa paupertatis, & vitandi otij. imitabor has virtutes.

Totâ nocte nihil capiunt, vti aliàs contigit, donec veniret Christus. Frustrà sine Christo;
1. Cor. 3.7. neq; *qui plantat est aliquid, neq, qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Operarius ita in
Ioan. 15.5. humilitate sit fundatus quòd *sine me nihil potest facere.*

Nocte

Nocte nō capiunt, quia vsque ad lumen Euangelij nō succeſsit conuerſio animarū: in nocte etiā peccati non proficitur ad vitā æternā.

Diſcipulos credibile eſt memoraſſe tunc, quomodo aliàs Chriſtus in ſimili caſu adfuiſſet, & prouentum dediſſet, & expectaſſe eius præſentiam faciam idem, cùm fructus non reſpondet labori. nam *deſiderium pauperum exaudiet Dominus.* *Pſal. 9. 37.*

PVNCTVM II.

STETIT Ieſus in littore, & petijt ab eis pulmentarium. Non tardat Deus viſitare ſuos: in littore ſtat tanquam extra mortalitatem iam poſitus; petijt, *num haberent pulmentarium*, cùm ſciret eos non habere. ſic ſolet, vt agnoſcat homo egeſtatem ſuam, quando ſuccurrere vult ſic petijt etiā à *Samaritana* aquā *Charitas Chriſti.*

Ad dexteram nauigij iubet iaci rete, in typum piſcationis animarum pro vita æterna, quæ ſignificatur per dexteram. Obediunt, & ecce non valebāt trahere *præ multitudine*. hic fructus obedientiæ. *Vir obediens loquetur victoriam* vindicatis animabus à perditione. In altera piſcatione agnouit Petrus Chriſtum, & dixit: *in verbo tuo laxabo rete*. in hac nō agnoſcit, & tamen paret, cum ſimili prouentu. Quia vult Deus etiam hominibus præſtari obediētiam, & ſimiliter remunerat. *Obedite*, inquit idem Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Chriſtum.* *Ioan. 4. 7.* *1. Pet. 2. 13.*

PVNCTVM III.

Ioan. 21, 7. IOANNES agnoſcit Chriſtum,& *ait Petro, Dominus eſt: Petrus autem tunicâ ſuccinxit ſe,& miſit ſe in mare*,vt adnataret ad Chriſtū. In Ioanne lumen vitæ cōtemplatiuæ exprimitur,perſpicacis,ad agnoſcendū Deum,& indicantis eum alijs. In Petro feruor vitæ actiuæ, properantis ad terram viuentium, & tardum nimis ducentis motum nauigantium in ſæculi mari, ideoque quibuſuis laborum fluctibus ſe obijcientis,pro aſſequenda æternitate.

vers. 12. Trahitur rete ad littus,& *Petrus extraxit in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus, & cùm tanti eſſent,nō eſt ſciſſum rete*.Piſcatio iſta differt ab altera Lucæ 5. Luc. 5. 7. quòd priore ſignificaretur vocatio ad Eccleſiam,poſteriore autem peruentio ad gloriam: ideo illa facta eſt ad omnem partem, hæc autē ad dexteram tantùm, ad quam conſiſtent electi,in illa implebātur duæ naues, vario piſciū genere,in hac exponuntur piſces in terram,& magni tantùm ſunt, quia omnes in cœlo magni erunt,& extra fluctus:in illa rumpebatur rete,quia patitur ſciſſuram nunc Eccleſia,tùm verò nullam.

Ioan. 21. 10. Prandium interea Chriſtus diſcipulis parauerat,miniſterio Angelorum.*viderunt prunas poſitas,& piſcem ſuperpoſitum, & panem.* quin inuitat amanter:*venite prandete.* quin diſtribuit ipſe, *accipiens panem dabat eis,& piſcem ſimiliter.* Mira cura ſuorum, laboran-

tibus

tibus in hac vita parat conuiuium in altera. *Beati qui manducabunt panem in Regno Dei.* Luc. 14. 15.

MEDITATIO XIII.

Committit Petro oues in eadem apparitione.

PVNCTVM I.

ANTEQVAM oues tradat, & Vicarium suum constituat, examinat illũ de charitate. *Amas me?* quia Prælati debent præcellere charitate. compellat autem: *Simon Ioannis*, nam *Simon* significat *obedientem*; *Ioannes gratiam*, siue Ionas columbam, quia idem esse debet fide, gratia, & obedientia præditus. Examinat Petrum.

Ter examinat pro triplici negatione, quæ ex præsumptione manauit. Vnde cautior & humilior redditus, non respondet: se plus amare cæteris, sed ad ipsum Dominum se refert: *Tu scis Domine, quia amo te*: veritus, ne fortè aliter se haberet. Placet Deo humilitas, condiens charitatem, & vt homo cum D. Paulo dicat: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, quia qui iudicat me Dominus est.* Trina negatio quid notet? 1. Cor. 4. 4.

Ter etiam examinat, quia talis debet in charitate esse fundatus, secundùm triplicem gradum Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ viæ, exutus imperfectionibus, exercitatus in virtutibus, & Deo vnitus, & denique præstare charitate erga Deum, & proximũ, & erga seipsũ.

Christus, cũ bis dixisset: *Pasce agnos meos*, ad tertium Petri responsum subiunxit: *Pasce oues meas*, quòd non tantum communes fide- Petrus Pastor vniuersalis Ecclesiæ

es, sed reliquos etiam pastores, tanquam matres, ipsius curæ committeret.

Non dixit tuas, sed *meas*: vt intelligeret, se non constitui Dominum, sed Vicarium, & vt tanquam Christi ipsius oues curaret. Mira elucet Christi erga nos charitas, quando inde probatam esse vult charitatem pastoris erga ipsum, si bene pascat ipsius oues, & tunc se verè amari existimat, si ouibus prospiciatur suis, hoc est, nobis.

Ter ait, *pasce*: quia vult iuuari oratione, doctrina, exemplo: seu doctrina, sacramentis & exemplis pasci: seu beneficijs, tum spiritualibus, tum corporalibus. seuerè minatur per Ezechielem illis, *qui se, non oues pascunt*. *Ezech. 24.*

PVNCTVM II.

PRAEDICIT Dominus Petro mortem, & illius genus tanquam certũ signum amoris, quem professus fuerat. *Bonus enim Pastor animam suam ponit pro ouibus suis, & maiorem hac dilectionem nemo habet.*

Verum amoris signum.
Ioan. 10. 11. c. 15. 13.

Significat Dominus duo genera passionum, aliæ spontè suscipiuntur, vt mortificatio carnis, maximè ab incipientibus, de quibus illud: *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas*. Aliæ inferuntur ab alijs, ad quas extendit vir perfectus manus suas, libenter acceptans, sed *alius eum cingit & ducit, quò non vult* secundùm carnem, licet velit secundùm spiritum. De primis sumi potest illud: *Tribulationem & dolorem inueni.* de secundis: *Tribulatio & angustia inuenerunt me.*

Ioan. 21. 18.
Psal. 114. 3.
Ps. 118. 143.

quod Dominus parabolicè docerat, quòd esset cingendus ab alio, declarat Euangelista, significasse Dominum: *qua morte Petrus clarificaturus erat Deum.* mors Sanctorū, glorificatio est Dei: *moriatur anima mea morte iustorum.* Num. 23. 10.

PVNCTVM III.

POSTHAEC *ait Dominus Petro: sequere me.* Videtur Christus progredi cœpisse, eóque actu exprimere voluisse peculiarem sequelam Petri ad mortem crucis, vt & in officio pascendi. Ioannes autem, exemplo Petri, cœpit etiam sequi, licèt ei non fuisset intimatum. Videlicet, nolebat separari à Christo, & inuidebat Petro sanctè. Est vocationis genus ab exemplo coniunctorum, sed non absque diuina motione. Festo S. Ioannis Euangelistæ.

Petrus pro Ioanne sollicitus, quærit: *Hic autem quid? an non similiter sequetur?* Redarguitur à Domino: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Ne simus curiosi, & vt coniunctorum curam Deo relinquamus: & vt nostris rebus simus intenti, alienis relictis.

MEDITATIO XIV.

Apparet in monte Galilææ omnibus Discipulis, &c.

PVNCTVM I.

APOSTOLI, vt Dominus iusserat, læti in Galilæam migrant, fruituri ibi præ- Zelus Apostolorum.

 sentia

ræ, non Iudæis tantùm, nec tantùm magnis & potentibus, sed omni creaturæ. Nam sicut *solem suum oriri facit Pater cœlestis super bonos & malos*: ita Christus solem Euangelij non minùs patere vult in omnes plagas, atque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Matt. 5. 45.

PVNCTVM III.

PRÆCIPIT *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Baptismus succedit Circumcisioni, & est ianua ad Euangelium, sicut illa ad legē. Circumcisio inurebat corpori notam, cum acri dolore; Baptismus signaculum spirituale imprimit, & tangendo corpus, abluit animam. per Circumcisionem fiebat homo obnoxius toti legi seruandæ, quæ erat onus importabile, vt ait S. Petrus: per Baptismum subditur Euangelij suaui iugo, quare subdit: *docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Confertur in nomine Trium Personarum Diuinarum, quia efficitur Patri æterni adoptione Filius, Christi frater & coheres, & à Spiritu sancto desponsatur exornaturque donis cœlestibus *sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo in fide, & iustitia & misericordia.* Matt. 28. 19. Comparatio baptismi & circumcisionis. Personæ SS. Trinitatis quid operentur in Baptismo. Osee. 2. 19.

PVNCTVM IV.

PROMISSIONEM addit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, quia & minus: *qui verò non crediderit condemnabitur.* Non promittit bona temporalia, aut [illegible] Mar. 16. 16. Promissio eorum fo[illegible] [illegible]

ſentia Magiſtri iuxta ipſius promiſſum. Renuntiant etiam alijs per Galilæam diſperſis diſcipulis de Reſurrectione, & futura apparitione in monte, ad quam adeo conuenerunt plusquam quingenti fratres.

In monte apparet Deus, quia mens tunc illuminatur, quando ad perfectionem aſſurgit. & iuuat ad hoc conſociatio bonorum, & mutua charitas, & cohortatio.

Mons putatur fuiſſe Thabor, vbi aliàs ſe glorioſum exhibuit tribus Apoſtolis; & credibile, tunc etiam aliquid ſuę gloriæ oſtendiſſe. certè eos ineffabili conſolatione perfudiſſe, vt figere ibi cum Chriſto tabernacula ſibi bonum ducerent.

Matt. 28.16 Et *videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt*, non ex Apoſtolis; ſed illi ipſi mox ſunt confirmati à Domino.

PVNCTVM II.

Matt. 28.18 *Marc.* 16.15. PROFITETVR, *datam ſibi poteſtatem omnem in cœlo & in terra.* Habuit omnem, quia Deus, vt homini etiam debebatur, propter vnionem Perſonæ VERBI, ſed ampliùs obtinuit illam iure ſuorum meritorum.

In cœlo: vt illud aperiret hominibus, & dominaretur Angelis. *In terra*, ad remittenda peccata, & quæuis dona impertienda, & ad diſponendum in Eccleſia.

Miſsio Apoſtolorũ. Secundùm hanc poteſtatem mittit Apoſtolos in mundum vniuerſum, vt *doceant omnes gentes, & Euangelium prædicent omni creaturæ.* non

ra. non Iudæis tantùm, nec tantùm magnis & potentibus, sed omni creaturæ. Nam sicut *solem suum oriri facit Pater cælestis super bonos & malos*: ita Christus solem Euangelij non minùs patere voluit in omnes plagas, atque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Matt. 5. 45.

PVNCTVM III.

PRÆCIPIT *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Baptismus successit Circumcisioni, & est ianua ad Euangelium, sicut illa ad legē. Circumcisio inurebat corpori notam, cum acri dolore, Baptismus signaculum spirituale imprimit, & tangendo corpus, abluit animam. per Circumcisionem fiebat homo obnoxius toti legi seruandæ, quæ erat onus importabile, vt ait S. Petrus: per Baptismum subditur Euangelij suaui iugo, quare subdit: *docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Confertur in nomine Trium Personarum Diuinarum, quia efficitur Patris æterni adoptione Filius, Christi frater & coheres, & à Spiritu sancto despondetur exornaturque donis cœlestibus *sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo in fide, & iustitia & misericordia.* Matt. 28. 19. Comparatio baptismi & circumcisionis. Personæ SS. Trinitatis quid operentur in Baptismo. Ose. 2. 19.

PVNCTVM IV.

PROMISSIONEM addit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Non promittit bona temporalia, aut terrena Marc. 16. 16. Promissio non spiritualis.

mala: sed veraque aeterna ô, qui perciperet latentia illis duobus verbis, *salvus erit*, & *condemnabitur*.

PUNCTUM V.

Marc. 16. 17. PROMITTIT signa, *qui crediderint, in nomine meo daemonia eijcient*, &c. nimirum quatenus ad fidei confirmationem opus erit: sacra Dei consilium. Fiant etiam omnia illa spiritualiter. De qua re legendus Lud. de Ponte hic.

MEDITATIO XV.

De mansione Christi vobiscum usque ad consummationem saeculi, &c.

PUNCTUM I.

1. Consolatio discipulorum. CAUSAE huius promissionis, 1 ut solaretur discipulos, a quibus parabat discessurus in coelum; & quibus per intervalla tantum se ostendebat tunc. 2. ut animaret ad expeditionem, ad quam eos mittebat, certos faciens de sua praesentia & auxilio. 3. ut attentos & diligentes redderet in opere, ut qui testem habituri essent ipsum Christum. eadem applica bo mihi.

2. Animatio. 3. Tentatio.

PUNCTUM II.

Tenor promissionis. VERBA promissionis: Ego non sicut Moysi, promitto Angelum, qui praecedat & [illegible]

custodiat in via; sed ipsemet adesse vult: Ergo: Deus vester, Salvator, debellator inferni, peccati & mortis: *Vobiscum sum.* 1. vt in rebus omnibus dans esse, viuere, operari. 2. per gratiam conferens vitam supernaturalem. 3. per specialem prouidentiam, quâ fiet, vt Ecclesia nunquam deficiat 4. in Eucharistiæ Sacramento, *Vobiscum*: & adeò in Ecclesia, quam repræsentatis, & in omnibus, qui vos sequentur. Exodi 32. 34. & 33. 14.

PVNCTVM III.

VSQVE *ad consummationem seculi*; non ad certos annos; sed ad omnes: nec interpolatè; sed continuatè, & semper. ô fœmecum! neque abste vnquam. Prouidentia Dei singularis.

MEDITATIO XVI.

De varijs apparitionibus per eos dies.

PVNCTVM I.

PRAEBVIT *se ipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis.* Erat semper inuisibiliter cum eis, sed visibiliter etiam se ostendebat, variè confirmans veritatem resurrectionis suæ. Ita agit cum seruis suis per spacium huius vitæ, cum semper sit cum illis, subinde certis argumentis probet, se præsentem, illuminando, & consolando animas, idque singulariter in sumptione SS. Eucharistiæ & ita il- Actu. 1. 3. Christus semper præsens, sed nõ semper visibilis.

lam sumam, vt sentiam, ibi esse Deum, & non, ac si communem panem sumerem. quòd mihi contingit culpâ meâ, & defectu dispositionis. Petam etiam, vt vera præsentiæ diuinæ signa ita discernam, vt à sathana, transfigurante se in Angelum lucis, non deludar.

PVNCTVM II.

De regno Dei quomodo Christus locutus. Et semper de rebus seijs.

QVALES Christi sermones, cùm apparebat. *Loquebatur de Regno Dei*: Reuocabat eis in memoriam, quæ priùs docuerat; noua reuelabat; scripturas aperiebat, illuminabat, confortabat, accendebat, mirificè illuminatos relinquebat, nihil curiosi, aut otiosi, aut ad rem non pertinens, recensebat, sed tantùm de *Regno Dei*, quod est *Iustitia*, *Pax*, *&*
Rom. 14. 17 *Gaudium in spiritu sancto*. Inde manarunt illa, quæ ex traditione Apostolorum in Ecclesia
Psal. 84. 9. habentur. Similia loquitur & agit in anima iusti. Igitur *audiam: quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*:
Osea 2. 14. quando *ducet illam in solitudinem, & ibi loquetur ad cor eius*.

PVNCTVM III.

PROPRIETATES quædam illarum apparitionum. 1. quòd non continuatæ erant, sed interruptæ, & plus minùs frequentes, pro dispositione, & desiderij feruore. quod & seruat Deus, in communicando se animæ interius. Ergo exardescam Christi desiderio, & ad

iurabo Angelos beatasque animas: *si inueneritis dilectum meum, nuntiate ei, quia amore langueo.* Cant. 5. 8. 2 Aparebat inopinato: & similiter subducebat se: moraque erat breuis, sicque alebat desiderium sui. idem euenit in visitationibus spiritualibus. vnde ait Bernardus: gaudium in hac vita ex sponsi præsentia esse posse, non saturitatem. Serm. 32. in Cant. Modicum & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me. 3. Locus & tempus apparitionum erat varium: sic & visitationes internæ, aliquando in oratione, aliàs in lectione, aliàs in negotio. *Spiritus enim, vbi vult spirat.* Ioan. 3. 8. 4. Modus etiam fuit diuersus. nam aliquando præcessit visio Angelorum; aliquando in aliena figura visus; & nō eadem claritate semper; sed iuxta dispositionem, aut beneplacitum prouidentiæ diuinæ. Idem contingit animæ. Nos interim fidenter orabimus cum Moyse: *Ostende te mihi ipsum.* Exod. 33. 18. forte audiemus: *Ego ostendam tibi omne bonū:* Psal. 26. 8. & cum Dauide; *Tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea; faciem tuam Domine requiram:* & cum Philippo: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis:* Ioan. 14. 9. & cum Sponsa: *indica mihi vbi pascas, vbi cubes.* Cant. 1. 7.

* *
*

MEDI-

MEDITATIO XVII.

Apparet Apostolis die Ascensionis.

PUNCTUM I.

Mar. 16. 14. Actu. 1. 4. Ioan. 14. 2. Ver. 18. 16. 7.
ACCUMBENTIBUS *Apostolis apparuit:* simulque *consessens de abitu suo significauit*, vsus fortè similibus sententijs, atque super vltimam cœnam: *Vado parare vobis locum & iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Item: si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Et, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

PUNCTUM II.

Luc. 24. 49. I.
SEDETE inquit, *in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Iubet sedere in quiete expectare, tam mentis, quàm corporis, non huc illucque obeundo, aut anxiè desiderando; sed rem Deo committendo: vnde nec præfiniuit tempus, etsi *post dies haud multos futurum* prædixit.

II. *In ciuitate Ierusalem*, quietior locus fuisset extrà frequentiam: at Spiritus sanctus dari debuit, vbi mox illius virtus innotesceret, & quia dabatur ad promulgandum Euangelij legem: de qua Isaias: *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.* Et quia solitudo
Isai. 2. 3.
cordis est præcipua, quæ potest etiam in fre-

quenti-

quentia conseruauit. vnde illa ciuitas vocatur *Ierusalem, id est, visio pacis.* Sim taliter, *vt in omni loco leuare valeam puras* cor, *& manus ad Deum.* — 1. Tim. 2. 8.

Donec induamini virtute ex alto, tanquam armatur i forti, ad expeditionem Euangelicam qualis è cœlo tigari dari potest. Discam hinc 1. humiliationem, quæ agnoscam imbecillitatem meam ex me. 2. temerarium esse, absque tali præsidio aggredi opus Euangelij. 3. vbi indaci fuerimus, non morandum; *deinde, inquit, indutamini*: & sic Apostoli fecerunt. — 3.

PVNCTVM III.

EDVXIT *eos foras in Bethaniam*, *in montem, qui dicitur Oliueti*. Non liquet, an ipse foras cum eis visibilis exierit: an tantum iusserit, ire; & disparuerit vsq; ad locum ipsum. Haud dubiè properarunt mœstitiâ gaudio; & quando recolaerunt, quemodo ante passionem ex eodem cœnaculo prodijssent cum Magistro suo ad eundem montem. — Luc. 24. 50. Discessus ex Cœnaculo.

Elegit Christus pro ascensione sua montem, quem elegerat pro principio passionum, ibi enim vsq; ad agoniam sanguinis tristatus est, proditus, & captus; atque à Discipulis suis derelictus; nempe significat, sibi per passionem ascensum ad cœlum parasse. Et quia ibi erat Bethania: (quæ dicitur obedientiæ interpretatur) vtique intelligi vult per obedientiam & per excelsam charitatem, monte ipso significatam; & per misericordiam oliuâ adumbratam conscendi in cœlum. — Mons Oliueti.

MEDITATIO XVIII.

Ascendit in cœlum.

PVNCTVM I.

In festo Ascensionis.

Amabilis Christi discessus.

EXHIBVIT se Christus in monte Oliuarũ splendidiorem, quàm antea; & pro complexu dari solito in discessu, permisit sacra vulnera osculo attingi: quod præ alijs fecit Mater ardenter, optans cum filio ascendere; sed eius se voluntati committens.

Benedictio qualis.

Et eleuatis manibus benedixit eis. quo ritu significauit, non terrena, sed cœlestia ipsis bona precari, & largiri. atque ad abundantiam largitionis indicandam, ambas eleuat manus. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.*

Ephes. 1.3.

Forté benedictio fuit, qualis olim à Deo præcepta fuit, cùm benediceretur populo Israel à Sacerdote *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat Dominus vultũ suum ad te, & det tibi pacem.* Vel, sicut in vltima cœna precatus est: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, vt sint vnum sicut & nos.* Et proculdubio dixit, & factum est ô, sim particeps tuæ benedictionis, quia non solùm præsentes, sed etiam absentes in te credituros complecti haud dubiè voluisti.

Num. 6. 23.

Ioan. 17. 11. 22.

* *
*

PVNCTVM II.

ET *ferebatur in cœlum*, nō curru, aut equis, vt Elias, sed propria virtute sustollente. Hærebant oculis & animis in illum intenti, qui aderant. Obstupescebant rei miraculo, exultabant gaudio, ob gloriam Magistri: Rapiebantur simul desiderio, vt ipsis etiam conueniret illud: *captiuam duxit captiuitatem*: quod re ipsa impletum est in comitatu Sanctorum, quos è lymbo duxerat, cum ipso ascendentium. Sed & multitudo Angelorum hunc ascensum celebrauit, non minùs, quàm descensum in terras. Ergo abit *sicuti aquila prouocans ad volatum pullos suos*: vt *ibi nostra sint corda, vbi vera sunt gaudia*. Domine, da mihi alas sicut aquilæ.

Luc. 24. 51. Ascensio qualis.

Psal. 67. 19.

Deut. 32. 21

PVNCTVM III.

ET *nubes suscepit eum ab oculis eorum*. fuit haud dubiè lucida & pulchra, qualis decebat in ea ascendentem, & impletum est corporaliter illud, *qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Potuissent clamare, vt Elisæus ad Eliam ascendētem: *Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga eius*. ô, excipiar ego in istam nubem, & rapiar tecum! Nubes hæc postmodum occultauit Christū, & abstulit ab oculis discipulorum. Id facit etiam nubes peccatorum, vt apud Ieremiam: *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio ad cœlū*. Aliquādo, sine peculiari nostrā culpa.

Act. 1. 9.

Psal. 103. 3.

4. Reg. 2. 12.

Mysterium nubis.

Thren. 3. 44

se subducit ipse Deus aspectui nostro. Sed & corpus, quod corrumpitur, & curę mortales idem efficiunt. Discute Domine, quidquid obstat, quò minùs videam te.

PVNCTVM IV.

Actu. 1. 10. Documenta Angelorum data Apostolis.

HAESISSENT discipuli diutius intenti in cœlum, postquam etiam ab oculis subductus erat, nisi interpellassent Angeli duo, in vestibus albis, tacitè redarguētes: *quid statis aspicientes in cœlum?* vult Deus, nos à contemplatione redire ad officium. Deinde ingerunt cogitationem secundi aduentus: *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* gloriosus hic ascensus fidem facit futuri aduentus: cuius expectatione oportet nos circumspectè viuere. Nec definiunt tempus, vt simus semper solliciti, & quòd ita etiam veniet, ad gloriam spectat, non ad Personæ speciem: tunc enim, vt seuerus Iudex; cùm modò abeat vt Pater amantissimus à filijs. Ergo *in*

Eccl. 11. 27. *die bonorum memor esto malorum.*

Luc. 24. 52. Et *adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno:* ad verba Angelorum prostrati in terram præ reuerentia, adorauerunt, quem assumptum in cœlum, iudicemque venturum audierant.

Gaudij caussæ.

Gaudij illius causa fuit triplex. 1. fides in ipsis confirmata ex tam glorioso exitu Magistri sui. 2. Spes roborata, recipiendi Spiritum sanctum, & aliquando perueniendi, quo præcesserat magister. 3. Amor CHRISTI:

de

de cuius gloria exultabant, ac de propera. Proficiam in ipsdem, vt volare possim ad Christum tanquam aquila, *vbi enim corpus erit, illuc congregabuntur & aquilæ*; *renouantur, quorum iuuentus renouabitur vt aquilæ*; & etiam *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ.* Matt. 24. 28. Psal. 102. 5. Isai. 40. 31.

MEDITATIO XIX.

Triumphalis ingressus Christi in cælum & sessio.

PVNCTVM I.

ASCENDENS Christus *in altum captiuam duxit captiuitatem*: illos, quos ex lymbo liberauerat, & captiuos nihilominus ducebat *in funiculis Adam, in vinculis charitatis*. Hi ad ingressum cœli corporei obstupefacti, loci pulchritudine; eumque lymbi squalore conferentes, haud dubiè exclamarunt: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima nostra in atria Domini.* Psal. 67. 19. Osee 11. 4. V. Iphesus Christi. Psal. 83. 2.

Non defuit in hac pompa cantus iubilationum: nam scriptum est; *ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*, quare se mutuò cohortantes, dicebant: *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro: psallite quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Ori-* Psal. 46. 6. Ver. 7. Psal. 67. 34.

Iesus intrauit, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Heb. 4. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus spem nostræ confessionis. Filioli*, inquit Ioannes, *hæc*
I. Ioan. 2. 1. *scribo vobis, vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

MEDITATIO XX.

Expectatio Aduentus Spiritus sancti.

PVNCTVM I.

RECEPERVNT se discipuli in cœnaculum, & ibi orabant, vt mererentur accipere Spiritum sanctum. nam etsi Christus promiserat eum, intelligebant tamen, per media debita impetrandum.

Vnanimitas in oratione. *Erant perseuerantes vnanimiter in oratione.* Oratio concordium est efficax. *Vbi duo consenserint, fiet illis à Patre meo.* est etiam vnanimis
Act. 1. 13. Matt. 18. 19. oratio, quando exterior & interior homo conspirant, pariter collecti.

Luc. 18. 3. Deinde erant perseuerantes, vti Christus monuit: *Oportet semper orare, & non deficere,* & Deus, saltem ob importunitatem, exaudit, vt iudex malus viduam illam: & cùm nescirent tempus aduentus Spiritus sancti, sine intermissione instabant orationi, vt inuenirentur parati.

Cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus eius. Magni interest, quòd Maria simul erat. Act. 1. 14.

Igitur oratio mea sit collecta extra turbam *in cœnaculo*, vnanimis per charitatem cum omnibus, perseuerans vsque ad importunitatem, Matre Dei suffragante. Cœnaculum illud fuit typus Ecclesiæ, in qua orationes sunt efficaces propter communionem Sanctorum.

PVNCTVM II.

IGITVR Apostoli se collegerant in cœnaculo, 1. quia Christus iusserat eos *sedere in ciuitate*, & quiete delitescere. ibi commemorabant, quæ Christus in eo loco fecerat & dixerat, & sicut ille, ante prædicationem per quadraginta dies in desertum se recepit; ita ipsi illuc, vt reciperent Spiritum sanctum. 2. quia conscij propriæ imbecillitatis, vt in passione CHRISTI apparuerat, & destituti præsentia Christi, non sibi fidebant, & tantò cupidiùs Spiritum sanctum postulabant. Postulabo etiam ego: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Emitte spiritum tuum, & renouabis faciem terræ,* animæ meæ. Causæ collectionis Apostolorum. Luc. 24. 49. a. Psal. 50. 12. Psal. 103. 30.

Ipsemet Spiritus sanctus faciebat eos postulare gemitibus inenarrabilibus; eòque ardentioribus, quò propinquabat magis illius aduentus. Desideria sancta prænuncij sunt adfuturæ gratiæ. *Si quis enim ante ipsum præcedat* 3. Psal. 96. 3.

lam ſumam, vt ſentiam, ibi eſſe Deum, & non, ac ſi communem panem ſumerem. quòd mihi contingit culpâ meâ, & defectu diſpoſitionis. Petam etiam, vt vera præſentiæ diuinæ ſigna ita diſcernam, vt à ſathana, transfigurante ſe in Angelum lucis, non deludar.

PVNCTVM II.

De regno Dei quomodo Christus locutus. Et ſemper de rebus ſerijs.

QVALES Chriſti ſermones, cùm apparebat. *Loquebatur de Regno Dei*: Reuocabat eis in memoriam, quæ priùs docuerat; noua reuelabat; ſcripturas aperiebat, illuminabat, confortabat, accendebat. mirificè illuminatos relinquebat. nihil curioſi, aut otioſi, aut ad rem non pertinens, recenſebat, ſed tantùm de *Regno Dei*, quod eſt *Iuſtitia, Pax, & Gaudium in ſpiritu ſancto*. Inde manarunt illa, quæ ex traditione Apoſtolorum in Eccleſia habentur. Similia loquitur & agit in anima iuſti. Igitur *audiam: quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*: quando *ducet illam in ſolitudinem, & ibi loquetur ad cor eius.*

Rom. 14. 17

Pſal. 84. 9.

Oſeæ 2. 14.

PVNCTVM III.

PROPRIETATES quædam illarum apparitionum. 1. quòd non continuatæ erant, ſed interruptæ, & plus minùs frequentes, pro diſpoſitione, & deſiderij feruore. quod & ſeruat Deus, in communicando ſe animæ interius. Ergo exardeſcam Chriſti deſiderio, & ad

iura-

iurabo Angelos beatasque animas: *si inueneritis dilectum meum, nuntiate ei, quia amore langueo.* 2. Aparebat inopinato: & similiter subducebat se: moraque erat breuis, sicque alebat desiderium sui. idem euenit in visitationibus spiritualibus. vnde ait Bernardus: gaudium in hac vita ex sponsi præsentia esse posse, non saturitatem. Modicum & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me. 3. Locus & tempus apparitionum erat varium: sic & visitationes internæ, aliquando in oratione, aliàs in lectione, aliàs in negotio. *Spiritus enim, vbi vult spirat.* 4. Modus etiam fuit diuersus. nam aliquando præcessit visio Angelorum; aliquando in aliena figura visus; & nõ eadem claritate semper; sed iuxta dispositionem, aut beneplacitum prouidentiæ diuinæ. Idem contingit animæ. Nos interim fidenter orabimus cum Moyse: *Ostende te mihi ipsum*: fortè audiemus: *Ego ostendam tibi omne bonũ*: & cum Dauide; *Tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea; faciem tuam Domine requiram*: & cum Philippo: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis*: & cum Sponsa: *indica mihi vbi pascas, vbi cubes.*

Cant. 5. 8. — *Serm. 32. in Cant.* — *Ioan. 3. 8.* — *Exod. 33. 18.* — *Psal. 26. 8.* — *Ioan. 14. 9.* — *Cant. 1. 7.*

* *
*

MEDI-

MEDITATIO XVII.

Apparet Apostolis die Ascensionis.

PVNCTVM I.

Mar. 16. 14. Actu. 1. 4. Ioan 14. 2. Ver. 28. c. 16. 7.

ACCVMBENTIBVS *Apostolis apparuit:* simulq; *conuescens* de abitu suo significauit, vsus fortè similibus sententijs, atque super vltimam cœnam: *Vado parare vobis locum & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum & vos sitis.* Item: *si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Et, *expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero, Paracl itus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

PVNCTVM II.

Luc. 24. 49. SEDETE inquit, *in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.*

I. Iubet sedere in quiete expectare, tam mentis, quàm corporis, non huc illucque obeundo, aut anxiè desiderando; sed rem Deo committendo. vnde nec præfiniuit tempus, etsi *post dies haud multos* futurum prædixit.

II. *In ciuitate Ierusalem.* quietior locus fuisset extra frequētiam: at Spiritus sanctus dari debuit, vbi mox illius virtus innotesceret, & quia dabatur ad promulgandam Euangelicā legem: de qua Isaias: *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.* Et quia solitudo

Isai. 2. 3. cordis est præcipua, quæ potest etiam in fre-

quentia

quentia confenfari. vnde illa ciuitas vocatur *Ierusalē, id est, visio pacis.* Sim tali: *vt in eodem loco tenere valeam par is cor, & maneo ad Dei Donec induamini virtute ex alto*, tanquam armatura forti, ad expeditionem Euangelicā, qualis è cælo rgitur dari potest. Discam hinc humilitatem; qua agnoscam imbecillitatem meam ex me... temerarium esse, absque tali præsidio aggredi opus Euangelij. *vos induti fuerimus, non morando inudemos,* inquit, *induamini*: & sic Apostoli fecerunt. Dom. 2.8 1.

PVNCTVM III.

EDVXIT *eos foras in Bethaniā, in montem qui dicitur Oliueti*. Non liquet, an ipso simul cum eis visibilis exierit: an tantum iusserit, ire, & disparuerit vsq; ad locum ipsum. Haud dubiè properarunt magno tristitiæ gaudio; & quando recoluerunt, quomodo ante passionem ex eodem cœnaculo prodissent cum Magistro suo ad eundem montem. Luc. 24. 10. Descriptio motus ex Cœnaculo.

Elegit Christus pro ascensione sua montem, quem elegerat pro principio passionum, vbi enim vsq; ad agoniam sanguinis tristatus est, prodictus, & captus; atque à Discipulis fuit derelictus; nempe significat, sibi per passionem ascensum ad cœlum parasse. Et quia ibi erat Bethania (quæ domus obedientiæ interpretatur) vtique intelligi vult per obedientiam & per excelsam charitatem, monte ipso significatam: & per misericordiam oliuā adumbratam conscendi in cœlum. Mons Oliuarum.

MEDITATIO XVIII.

Ascendit in cœlum.

PVNCTVM I.

EXHIBVIT se Christus in monte Oliueti splendidiorem, quàm antea; & pro complexu dari solito in discessu, permisit sacra vulnera osculo attingi: quod præ aliis fecit Mater ardenter, optans cum filio ascendere; sed eius se voluntati conformans.

Et *eleuatis manibus benedixit eis:* quo eius significauit, non terrena, sed cœlestia ipsis bona parari, & largiri, atque ad abundanciam largitionis indicandam, ambas eleuat manus. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.*

Ephes. 1. 3.

Fortè benedictio fuit, qualis olim à Deo praecepta fuit, cùm benediceretur populo Israel à Sacerdote: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Vel, sicut in vltima cœna precatus est: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, vt sint vnum sicut & nos.* Et procul dubio dixit, & factum est ô, sis particeps eius benedictionis, quia non solùm præsentes, sed etiam absentes in te credituros complecti haud dubiè voluisti.

Num. 6. 24.

Ioan. 17. 11.

PVNCTVM II.

ET ferebatur in cælum, nõ curru, aut equis, vt Elias, sed propria virtute sustollente. Hærebant oculis & animis in illum intenti qui aderant. Obstupescebant rei miraculo, exultabant gaudio ob gloriam Magistri: rapiebantur simul desiderio, vt ipsis etiam conueniret illud: *captiuam duxit captiuitatem* quod re ipsa impletum est in comitatu Sanctorum, quos è lymbo duxerat, cum ipso ascendentium. Sed & multitudo Angelorum hanc ascensionem celebrauit, non mutam, quam descensum in terras. Ergo abit *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos: ibi nostra sint corda, vbi vera sunt gaudia.* Domine, da mihi alas sicut aquilæ. Luca 24. 51. [illegible] Psal. 67, 19. Deut. 32. 11.

PVNCTVM III.

ET *nubes suscepit eum ab oculis eorum* fuit illud dubiè lucida & pulchra, qualis decebat in eà ascendentem, & impletum est corporaliter illud, *qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Potuissent clamare, vt Elisæus ad Eliam ascendẽtem: *Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga eius.* ô, excipiar ego in istam nubem, & capiar tecum! Nubes hæc posteriorum occultauit Christũ, & abstulit ab oculis discipulorum Illud: facit etiam nubes peccatorum, vt apud Ieremiam: *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio ad cœlũ.* Aliquãdo, fuit peculiaris nostra nubes Act. 1. 9. Psal. 103. 3. 4. Reg. 2. 12. Mysticum nubis. Thren. 3. 44.

se subducit ipse Deus aspectui nostro, Sed & corpus, quod corrumpitur, & cura mortales i-dem efficiunt. Discite Domine, quidquid ob-stat, quo minus videam te.

PVNCTVM IV.

Acta. I. 10. Documenta Angelorum data Apostolis. HAESISSENT discipuli diutius intenti in cœlum, postquam etiam ab oculis subductus erat, nisi interpellassent Angeli duo in vestibus albis, tacite redarguentes: *quid statis aspicientes in cœlum?* vult Deus, eos à contemplatione redire ad officium. Deinde ingerunt cogitationem secundi aduentus: *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* glorioſum hic aſcenſus ſidem facit futuri aduentus cuius expectatione oportet nos circumſpectè viuere. Nec definiunt tempus, vt ſimus ſemper ſolliciti, & quòd ita etiam ve-niret ad gloriam ſpectat, non ad Perſonæ ſpe-ciem: tunc enim, vt ſeuerus Iudex cùm modò abeat vt Pater amantiſſimus à filijs. Ergo *in*

Ibid. II. 17. *die formam iudicis esse metuendam.*

Luc. 24. 51. *Et adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno* ad verba Angelorum prostrati in terram præ reuerentia, adorauerunt, quem aſſumptum in cœlum, iudicemque venturum audierant.

Gaudij cauſa. Gaudij illius cauſa fuit triplex. 1. fides in ipſis confirmata ex tam glorioſo exitu Magiſtri ſui. 2. Spes roborata, recipiendi Spiritum ſanctum, & aliquando perueniendi, quo præceſſerat magiſter. 3. Amor CHRISTI

de

de cuius gloria exultabant, ac de propria. Proficiam in iisdem, vt volare possim ad Christum tanquam aquila, *vbi enim corpus e-rit, illuc congregabuntur & aquilæ*; iis *vires* enim, quorum *iuuentus renouatur vt aquilæ*; & eius *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ*. Mat. 24. 28. Psal. 102. 5. Isai. 40. 31.

MEDITATIO XIX,

Triumphalis ingressus Christi in cælum & sessio.

PVNCTVM I.

ASCENDENS *Christus in altum captiuam duxit captiuitatem*: istos, quos ex lymbo liberauerat; & captiuos nihilominus ducebat *in funiculis Adam in vinculis charitatis*. Hi ad ingressum cœli tropæi obstupefacti, loci pulchritudine; cumque lymbi squalore conferentes, haud dubiè exclamarunt; *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima nostra in atria Domini.* Psal. 67. 19. Osee 11. 4. Triumphus Christi. Psal. 83. 1.

Non defuit in hac pompa cantus iubilationum: nam scriptum est; *ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*: quare se mutuò cohortantes, dicebant: *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro: psallite quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Psal. 46. 6. Ver. 7. Psal. 67. 34.

 entem.

entem applaudebat simul multitudo Angelorum.
Psal. 67. 18. Nam *currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Instar currus triumphalis erant millia Angelorum, non ad subvectionem, sed ad Maiestatem. Ethi, cæteros alloquentes, qui in cœlo manserant, dicebant:
Psal. 23. 9. *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* quærentibus autem: *quis est iste Rex gloriæ?* Respondent: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* conspicati Christum,
Isai. 63. 1. interrogant: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* nam virtute sua Christus ascendit in cœlum. Tinctus autem humanitatis indumento ex passione sua, qui respondet: *Ego sum qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Tunc simul omnes acclamarunt:
Apoc. 5. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem & laudem in secula seculorum.*

Gaudium Christi. Præ cæteris exultabat ipsemet Christus, gaudens, quod ovem perditam humeris suis reportaret, ob quam descenderat in terram,
Luc. 15. 6. Dicebatque Angelis, *congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat.*

PVNCTVM II.

CHRISTVS ad Thronũ Patris perueniens, offert ei spolia inferno detracta, Iustorum cœtum. Dein, quasi confecti operis rationem reddens, sic eum alloquitur: *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, & te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem. Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius quàm mundus fieret, apud te.*

Ingressus Christi in cœlum.
Ioan 17. 4

Pater oblatum donum gratanter accepit, aitque Filio. *sede à dextris meis* supra omnem creaturam constituens eum, *vt in nomine eius flectatur omne genu.* Fiduciam concipiam, quando os meum & caro mea sedet à dextris Dei, illuc perueniendi, tantùm, vt illud impleam, *quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Psal. 109. 1
Phil. 2. 9.
Colos. 3. 1.

PVNCTVM III.

VBI concedit Christus ad dexteram Patris, mox Sanctis quos adduxerat, proprios thronos assignauit inter Angelorum choros, pro merito cuiusque, & impletæ sunt ruinæ Luciferi, & sociorum, gratulantibus Angelis.

Sedes Sanctarum animarum in cœlis.

Ex eo item tempore munus sui Pontificatûs obire Christus cœpit, interpellans assiduè pro nobis, sacratissimas cicatrices Patri repræsentando. Non enim in manu facta *sancta*

Heb. 9. 12.

Iesus intrauit, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Heb. 4. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus spem nostræ confessionem. Filioli, inquit Ioannes, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

1. Ioan. 2. 1.

MEDITATIO XX.

Expectatio Aduentus Spiritus sancti.

PVNCTVM I.

RECESSERVNT se discipuli in cœnaculum; & ibi orabant, vt mererentur accipere Spiritum sanctum. nam etsi Christus promiserat eum, intelligebant tamen, per media debita impetrandum.

Vnanimitas in oratione.

Erant perseuerantes vnanimiter in oratione. Oratio concordium est efficax. *Vbi duo consenserint, fiet illis à Patre meo.* est etiam vnanimis oratio, quando exterior & interior homo conspirant, pariter collecti.

1. Act. 1. 13. Matt. 18. 19.

Deinde erant perseuerantes, vti Christus monuit: *Oportet semper orare, & non deficere.* & Deus, saltem ob importunitatem, exaudit, vt iudex malus viduam illam: & cùm nescirent tempus aduenturi Spiritûs sancti, sine intermissione instabant orationi, vt inuenirentur parati.

2. Luc. 18. 1.

Cum

Cum mulieribus & Maria Matre Iesu, & fratribus eius. Magni interest, quòd Maria simul orat. Actor. 1.14.

Igitur oratio mea sit collecta extra turbam *in cœnaculo*, vnanimis per charitatem cum omnibus, perseuerans vsque ad importunitatem, Matre Dei suffragante. Cœnaculum illud fuit typus Ecclesiæ, in qua orationes sunt efficaces propter communionem Sanctorum.

PUNCTUM II.

IGITUR Apostoli se collegerunt in cœnaculo, 1. quia Christus iusserat eos *sedere in ciuitate*, & quiete delitescere. Ibi conseruabant, quæ Christus in eo loco fecerat & dixerat. & sicut ille, ante prædicationem per quadraginta dies in desertum se recepit; ita ipsi illuc, vt reciperent Spiritum sanctum. 2. quia conscij propriæ imbecillitatis, vt in passione CHRISTI apparuerat, & destituti præsentia Christi, non sibi fidebant, & ideò cupidiùs Spiritum sanctum postulabant. Postulabo etiam ego: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Emitte spiritum tuum, & renouabis faciem terræ*, animæ meæ.

Causæ collectionis Apostolorum. Luc. 24. 49. 1. 2. Psal. 50. 12. Psal. 103. 30.

Ipsemet Spiritus sanctus faciebat eos postulare gemitibus inenarrabilibus; tātò q; ardentioribus, quò propinquabat magis illius aduentus. Desideria sancta præuentiua sunt ad futuræ gratiæ. *Ignis enim ante ipsum præcedet* 3. Psal. 96. 3.

PVNCTVM III.

Causæ dilationis Spiritus S.

DILATVS est aduentus vsque ad dies decem is numerus significat multitudinem, vt vel quàm diutissimè expectandum esse dicamus, quia plus satis compensabit omnem moram vel modica eius præsentia. Et quod ægriùs obtinetur, cautiùs custoditur, & plus multò meretur doni magnitudo, quare nō deficiā, *si moram fecerit, quia veniens veniet & non tardabit*. Denique denarius numerus significat perfectionem. vnde monemur, quàm perfecto studio quærendus sit Spiritus sanctus, nempe, vt quidam Propheta ait, *decies tantùm conuertentes requiretis Deum, quam erraueritis ab ipso.*

Habac.2.3.

Baruc.4.28.

In festo S. Matthiæ Apostoli.

MEDITATIO XXI.

De electione Matthiæ in locum Iudæ.

PVNCTVM I.

PROVIDENTIA Dei circa Ecclesiam, supplendo semper necessarios pastores, & cùm aliqui deficiunt, vel etiam ipsæ prouinciæ, substituendo alios, iuxta illud: *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: & de Iuda: *Episcopatū accipiat alter*: Similem prouidentiam exhibet erga ordines Religiosos, aliasque congregationes, pro earum conseruatione Concipiam salutarem timorem, ne alteri cedam locum meum.

Apoc.3.11.
Psal.108.8

Suam-

Sumitur etiam prudentiæ specimen ex eo, quòd non ipse per eos quadraginta dies constituere alium pro Iuda voluerit, sed per ipsos Apostolos, ad commendandam eorum auctoritatem.

PVNCTVM II.

IN hac electione eminet 1. obedientia, qua cógregatio illa sancta acquieuit Petro tanquam capiti, proponenti de electione facienda, cùm opponere potuissent, expectandum esse Spiritus sancti aduentum: sed nimirum Deus illustrauerat Petrum, ità fieri oportere, iuxtà Scripturam: *Episcopatum eius accipiat alter.* 2. concordia, qua consenserunt in duos, & humilitas, nemine pro se ambiente: vnde solet turbari concordia. 3. Oratio ad Deum, qui nouit corda hominum, & quid expediat.

Apostolorum 1. Obedientia.

2. Concordia.

3.

PVNCTVM III.

DIVINO calculo prælatus est Matthias Barsabæ, qui ob sanctitatem cognominabatur Iustus, tametsi hic primo loco fuisset nominatus. Videtur Deus fauere voluisse humilitati, quia Matthias non ita eminebat, ve alter. Et ita legitur eo die Euangelium: *Confiteor tibi Pater, quia reuelasti ea paruulis.*

Humilitas S. Matthiæ causa electionis.

Non est indignatus Barsabas, nec elatus Matthias: ita ego si prætereor, acquiescam diuinæ dispositioni, neque indignum iudicabo, si promoueor, ne ideò putem me digniorem, cum ob alias causas fieri possit, & cum timore suscipiam.

M.L.DI.

MEDITATIO XXII.

De beneficio dati Spiritus sancti, & cur?

PUNCTUM I.

Causæ missionis.

CAUSAE dandi multiplices fuere. 1. Bonitas Dei, qui *ita dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret.* & quamuis hunc tam male tractasset mundus, nihilominus etiam daret Spiritum sanctum. 2. Meritum Christi, qui passione sua nobis illum promeruerat, & assidens iam ad Patris dexteram impetrauit, sicut dixerat: *ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* 3. Misericordia, ex parte Dei, ex parte verò nostra, ingens necessitas & miseria. 4. Quia per ipsum consummari debuit opus redemptionis, exhibendo nobis illius fructum. Misit eum Pater, misit eum Filius: *qui captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus* sed & Spiritus sanctus dedit semetipsum: & ita est donum & donans. *Veni dator munerum, veni lumen cordium.*

1. Ioan. 3. 16.

2.

Ioan. 14. 16.

3.

4.

Psal. 67. 19.

PUNCTUM II.

FINIS & effectus istius donationis. 1. Vt esset Aduocatus, & consolator pro Christo: *Alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Aduocati est: hoc est, postulare facit & orare. Solatur ... & ... quit in aduersis. *Manet in æternum*; ... lis. Christus autem, cùm esset apud illos ...

... quem 6.

... 7 illos.

Ioan. 14. 16.

bili-

biliter sic nõ cognoscebat, vt in aeternũ. 2. Vt doceat: *Cùm venerit Paraclitus, ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.* Reducet in memoriam & faciet intelligere, *quaecunque dixi vobis, apud vos manens.* 3. Vt testificaretur de Christo: *ille testimonium perhibebit de me,* illuminans & mouens ad credendum, quis ego sim, & per vos testificans coram mundo: nam *& vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* 4. *Vt arguat mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio de peccato quidẽ,* conuincens eos impietatis, *quòd in me non credunt. De iustitia,* confirmans innocentiam meam, & legis meae sanctitatem; *de iudicio,* quòd fecit expellens Diabolum, cuius tamen castra homines sequuntur. Sic in anima operatur Spiritus sanctus, coarguens mala, inducens ad iustitiam, discernere faciens inter Christum & diabolum, & sequi in omnibus meliora.

Ioan. 14. 26.

Ioan. 16. 8.

PVNCTVM III.

DATVR ipse dator donorum, vt nunquã deficiant dona, quando ipse possidetur: ideò Spiritus sanctus comparatur perenni fluuio: *qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae viuae* indeficientis. *Et aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ioannes etiam vidit *fluuium aquae viuae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni,* qui est Spiritus sanctus, à Patre & Filio procedens ad cuius e-

Spiritus S. dator donorum Dei.
Ioan. 7. 38.
Ioan. 4. 14.

Apoc. 22. 1.

plo

pas *lignum vitæ* consitum est, *proferens duodecim fructus, singulos per menses singulos.* Hæc sunt dona Spiritus sancti, & speciatim, quæ Paulus vocat *fructus Spiritus sancti.*

Gal. 5.22.

Concipiam fiduciam. nam si fontem nobis largitur, quomodo non omnia nobis cum ipso donabit? Petam duodecim illos fructus, singulos speciatim.

PVNCTVM IV.

Quibus detur Spiritus sanctus.

QVIBVS datur? Idiotis piscatoribus, sed & omnibus hominibus, quamuis barbaris & pessimis, dum ritè velint. sicut promisit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Nec prohibet, quod aliquando dixerat: *Non permanebit Spiritus meus in homine: quia caro est.*, dum secundùm carnem viuit. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, quæ timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Hoc dixit Petrus, cũ super Centurionem & alios gentiles Spiritus sanctus descendisset.

Ioel. 2.28. Gen. 6. 3. Actor. 10.34

In festo Pentecostes.

MEDITATIO XXIII.

De modo, quo datus est Spiritus sanctus.

PVNCTVM I.

Spiritus sanctus datur fidelibus.

CIRCVMSTANTIAE loci & temporis. 1. In cœnaculo, quò soliti erant conuenire. est typus Ecclesiæ, in qua solùm datur Spiritus sanctus, sicut *columba non inuenit,*

Gen. 8.9.

vbi

vbi requiesceret pes eius, nisi in *arca Noe*. Et Christus ait: *Quem mundus non potest accipere.* Erant autem ad centum viginti perseuerantes in oratione, qua petebatur ipsum donum, quæ oratio ascendit in conspectu Dei. *Ioan.14.17.*

Erat dies quinquagesima à Paschate Iudæorum, Pentecoste, qua recolebatur memoria legis datæ in monte Sinai inter fulgura & tonitrua, & scriptæ in tabulis lapideis. Nunc autem dabatur lex noua, lex charitatis, inscripta in tabulis cordis carnalibus, non duris instar lapidis, sicut promiserat Dominus: *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum*, molle ac flexile. quinquagesima autem dies (qui numerus Iubilæum ac remissionem significat) nota est plenæ remissionis peccatorum. Nam in Iubilæo debita relaxabantur, & captiui. Vnde dicitur de Spiritu sancto, *quia ipse est remissio peccatorum.*

Cur die 50. post Pascha.

Eze.36.26.

PVNCTVM II.

MODVS veniendi: *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis.* *Repentè.* visitatio diuina non habet præfixum tempus, omni tempore expetenda, & expectanda: sed repentè & ignoranti aduenit *de cœlo*, non ab aliqua plaga mundi, nam *omne datum optimum de sursum est.* *Tanquam Spiritus vehementis.* id est, venti Habet Spiritus sanctus similes vento effectus. Inspiratione aëris conseruatur vita, & ardor internus mitigatur. Sic Spiritus sancti grati-

Modus veniendi. *Actor.2 2.*

1.

2. *Iacob.1.17.*

3.

conseruat vitam spiritualem, & concupiscentiæ mitigat ardores. Ventus efflat paleas à tritico, & promouet impellendo: sic Spiritus sanctus efflat imperfectiones, & inuitat ad
Cant.4.16. bonum: *Veni auster & persla hortum meum, & fluant aromata*, exempla beneolentia virtu-
Dan. 3. 50. tum. Fiat *medium fornacis* (sicut tribus pueris)*quasi ventus roris flantis*, ne ignis contri-
Ambr. lib 2. in Lucã. stet, aut quidquam molestiæ inferat. *Vehementis, nescit enim tarda molimina Spiritus san-*
Rom. 8.14. *cti gratia.* excutit torporem vehementer, sed suauiter. *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.*

4. *Factus est sonus*: instar tonitrui, vt tota vrbe audiretur. typus prædicationis Euangeli-
Psal.18. 5. cæ: *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in*
Rom. 10.18 *fines orbis terræ verba eorum.* Inde illi duo A-
Marc. 3.17. postoli à Christo nominati sunt, *Boanerges filij tonitrui.*

PVNCTVM III.

Mysteria huius repletionis. ET *repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* 1. Significatur abundantia donorum collata Ecclesię, vt prædixit Isaias: *Re-*
Actor. 1. 2. *pleta est terra scientia Domini sicut aquæ ma-*
1. *ris operientes eam.* 2. Quòd nemo exima-
Isa. 11. 9. tur ab hac gratia; *Quoniam Spiritus Domini*
2. *repleuit orbem terrarum. Et effundam Spiritũ*
Sap. 1. 7. *meum super omnem carnem.* 3. Quòd cùm in
Ioel. 2.28. animam venit, omnes illius potentias sic im-
3. plet, vt omnia interiora benedicant domino.
4. 4. Vbi [illegible] non implet animam vagam, atque ad exteriora effusam, sed collectam.

PVN-

PVNCTVM IV.

I. Cur in forma ignis.

APPARVERVNT *illi dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* In varijs formis apparuit Spiritus sanctus, ad diuersos effectus significandos. In Baptismo Christi in forma columbæ, ob innocentiam, & fœcunditatem bonorum operum, quam tribuit. in Transfiguratione, vt nubes lucida; quia obumbrat & protegit, nec non fundit verbitas scientiæ. In apparitione post Resurrectionem in sufflatio-ne; quòd sit Spiritus vitalis, qui per Sacramenta confertur. In Pentecoste, vt ignis,

1. 1. quia purificat, & scoriam reijcit ab auro & argento, videlicet peccatorum. 2. Illuminat, vt de mysterijs fidei certiores faciat, quæ non cernerentur oculis corporis. 3. Accendit charitate in Deum & proximum. 4. sursum eleuat mentes, vt conuersatio in cœlis sit. 5. transformat in se, quæ apprehendit, vt anima fiat vnus spiritus cum Deo. De hoc dixit Christus: *Ignem veni mittere in terram & quid volo, nisi ut accendatur?* linguæ erant, non cor; quia non dabatur, vt ipsi soli arderent; sed vt lingua sua, & prædicatione cæteros purificarent, illuminarent, accenderent, sursum proueherent, Deoque vnirent. Lingua etiam ignea est deuotio in affectus prorumpens admirabiles. (Luc. 12. 49.)

II. Cur dispertitæ linguæ. 1. Cor. 12.

Apparuerunt dispertitæ, quia *diuisiones gratiarum sunt idem autem Spiritus.* In Ecclesia alius aliam accipit gratiam, omnes autem

 sunt

ſunt in vtilitatem ſingulorum membrorum, vt in corpore naturali, in quo bonum oculi eſt etiam manus & viciſsim.

III. *Sedit* autem *ſuper ſingulos eorum.* ſicut di-
Ioan.14.16. xit Chriſtus: *vt maneat vobiſcum in æternum.*
nam, quantum in ipſo eſt, non recedit, niſi à
Sap. 1. 5. nobis repellatur. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictũ, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.*

PVNCTVM V.

ET *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* cùm eſſent inæqualis meriti, omnes tamen repleti ſunt, vt nihil extra Deum optarent aliud. Repleti ſunt, quoad omnes facultates animæ, vt in omnibus perfecti repentè eua-
Pſal. 76. 11. derent. *Mutatio dextræ excelſi.* Cæterum repleti ſunt pro capacitate vaſorum, & diſpoſitione, ac ita plus accepit Chriſti Mater, tum Apoſtoli, tum cæteri. Proinde dilatabo cor
Pſal. 80. 11. meum, vt quam plurimum capiat. *Dilata os tuum, & adimplebo illud.* iuuant ad hoc quatuor. 1. Puritas conſcientiæ. 2. Humilitas cordis. 3. Fiducia dilatans. 4. Feruens oratio.

Denique repleti ſunt, quiſque pro officij, & gradus ſui menſura.

PVNCTVM VI.

Actor. 2. 4. ET *cœperunt loqui varijs linguis. prout Spiritus ſanctus dabat eloqui eis.*

Lin-

Linguarum donum concessum est, vt omnibus gentibus Euangelium prædicarent. Et sicut *confusio linguarum* a Deo immissa est ob superbiam, in cœlum vsque ædificantium, ita ad culmen perfectionis contendentibus, & ciuitatem ædificantibus, ad visionem Dei pertingentem, quæ est Ierusalem cœlestis, data est omnium notitia linguarum. Deorum linguarum Gen. 11. 17.

Loquebantur autem, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: nempe sicut dicit Paulus: *Non sumus adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* Vbi quatuor circumstantiæ recti sermonis indicantur. 1. Vt ex synceritate intentionis ad Dei gloriam. 2. Vt sicut ex Deo, non perturbato affectu. 3. Vt tanquam Deo adstante. 4. Vt in Christo, qualia non sunt verba vana & impertinentia. 2. Cor. 2. 17.

Tandem hinc discimus, quales affectus in anima excitet Spiritus sanctus, sicut dicit Apostolus: *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.* Fecerunt hoc illa die sancti illi, ac præ omnibus Beatissima Virgo. O, si audire licuisset voces laudis & gratiarum! Ephes. 5. 18. Coloss. 3. 16.

MEDITATIO XXIV.

De gestis ab Apostolis ipsa die Pentecostes.

PVNCTVM I.

Act. 2. 5. AD sonitum Spiritus vehementis *conuenit multitudo.* sic Diuina inspiratio facit accurrere quò vocat.

Apostoli autem, accepto Spiritu sancto, mox prodeunt in publicum. quia vult Deus, vt gratiam eius non sinamus esse otiosam. Et sicut superbiæ est semet ingerere absque virtute ex alto in opus Euãgelij, ita pusillanimitatis & vitij, gratiâ suppetente, velle delitescere.

Loquebantur autem *magnalia Dei*: id fecit lingua Spiritus sancti: lingua autem mundi, & carnis loquuntur sua magnalia. & loquebantur Apostoli linguis ignitis, feruore ingenti, vt stuperent omnes, & mirarentur ad inuicem dicentes: *quidnam vult hoc esse?*

PVNCTVM II.

Reg. 1. 13. ALII *irridentes dicebant, quia musto pleni sunt.* Nunquam desunt irrisores boni operis. *Heli Sacerdoti visa est Anna temulenta* præ feruore orandi. Et cognati ipsius

Mar. 3, 21. Christi dicebant: *eum in furorem versum,* cùm prædicaret, sic isti modò. Iuuat ad humilitatem irrisio, & vt sic discamus, quàm aberrat

iudi-

iudicium mundi, &c. vt non facile discernatur quæ à Iustis fiunt extra ordinem.

Ex irrisione capiunt Apostoli occasionem docendi veritatem: ac primus Petrus, tanquam caput, loquitur, & modestè redarguit calumniam, quòd tam manè non sit præsumenda ebrietas, sed meliùs esse mustum à Spiritu sancto, qui per Ioelem promissus fuerat. O Domine, *introduc me in cellam illam, & ibi ordina in me charitatem,* tu qui inuitas: *Bibite & inebriamini charissimi.* — Irrisio occasio prædicandi. Ioel. 2. 28. Cant. 2. 4. Cant. 5. 1.

PVNCTVM III.

SERMO efficax, quo Petrus testimonium dedit Christo, in quo elucere miræ virtutes Petri, 1. Sapientia in Christi mysterio aperiendo, & confirmando ex scripturis. 2. Libertas & fortitudo animi, qua Christum confitetur, quem ipsi crucifixerint. quod etiam postea fecit coram ipsis Pontificibus, Anna, & Caypha, eisque prohibentibus, respondit: *si iustum est, vos potius quàm Deum audire, iudicate.* idemque alij fecerunt loquentes verbum Dei cum fiducia. 3. Zelus & ardor dicendi, vt compuncti corde dicerent: *quid faciemus, viri fratres?* — S. Petri virtutes. 1. 2. Actor. 4. 19. 3.

Conuersi sunt circiter tria millia baptizati, non absque mysterio sanctissimæ Trinitatis, vt alia vice quinque millia pro quinque Christi vulneribus. Quæ exultatio Apostolorum, Matris, Angelorum, Christi ipsius.

MEDITATIO XXV.

De vita primorum Christianorum.

PVNCTVM I.

Act. 2, 42. Tria exercitia vitæ spiritualis.
ERANT *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* his tribus vita spiritualis
& nutritur, & augetur. 1. Audiendo & le-
1. gendo, vide magis instruamur. 2. Frequen-
2. tatione sacrosanctæ Eucharistiæ. 3. Assidua
3. oratione: In Actis legitur Spiritum sanctum
datum fuisse, vel inter *audiendum verbum Dei*
vt Cornelio; *adhuc loquente Petro cecidit*
Act. c. 44. *Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum Dei.* vel in receptione Sacramentorum
imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Sermo est de Confirmatio-
nis Sacramento vel in oratione, cùm orassent
motus est locus, in quo erant congregati, *&*
repleti sunt omnes Spiritu sancto. His igitur e-
go insistam medijs.

PVNCTVM II.

PERFECTIONEM consiliorum, quæ Christus commendauerat, Spiritus sanctus ad
amussim induxit in primis Christianis. ac enim
Act. 2. 44. *omnes qui credebant erant pariter.* communem
Act. 4. 32. vitam agebant, sicut *omnium erat cor vnum & anima vna.* id promissum fuerat: *dabo eis cor*
Ierem. 32. 39. *vnum, & animam vnam,* & pro hoc Christus
Ioan. 17. 21. orabat. *vt sint vnum sicut & nos.* sic repleuit
illo

Sed Isaiæ: *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo, vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Hominesdiuersi ingenij & morum, imo feri & intractabiles consensere mansuetius: *videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram.* Isai. 11. 6. Psal. 45. 9.

Deinde paupertatem Euangelicam complexi fuerunt: *vendebant possessiones, pretia ante pedes Apostolorum ponebant, nullus eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, diuidebatur inter omnes prout cuique opus erat, nec quisquam erat egens inter illos.* Sic fiebat, ut qui nihil haberent, omnia possiderent; & qui sua relinquerent, centuplum acciperent. Et sanctæ huius paupertatis transgressor *Ananias* cum uxore, *quod de pretio fraudasset* terribili exemplo à S. Petro morte mulctatus est: *quia* inquit, *non est mentitus hominibus, sed Deo.* Act. 4. 32. & c. 5. 4.

PUNCTUM III.

RELIQUA Christianorum vita. *quotidie erant perdurantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habebant gratiam ad omnem plebem.* 1. frequentatio loci sacri causa orationis, cum perseuerantia vno animo. 2. fraterna coniunctio, & conuiuatio, qualis à Dauide exprimitur: *Iusti epulentur & exultent in conspectu Dei,* sine fictione aut duplicitate cordis; mutuò se excitantes, ad laudandum Act. 2. 46. Vita Christianorum talis. 1. 2. Psal. 67. 4.

Deum pro impertita sibi gratia Evangelij. 5 Redundabat in plebem ædificatio magna ex sancta, & fraterna conversatione, quam inter se colebant, erantque in pretio. Disce, Religiose.

MEDITATIO XXVI.

De Spiritus sancti inspirationibus.

PVNCTVM I.

Spiritus S. effectus in renatis. Ioan. 3. 6.

QVOD homo gratiâ Spiritus sancti fit spiritus, sicut ait Christus; *quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, quæ summa est perfectio. Nempe, uti homo secundùm naturam fit similis generanti, ita natus ex spiritu sancto, fit eidem similis. Porrò sicut homo non statim ac est genitus, habet omnem perfectionem agendi naturalem; sed acquirit per incrementa, ita spiritus sanctus, quos sibi assimilavit, sensim perficit in operando: quod præstat inspirationibus suis, quarum tres sunt proprietates à Christo Nicodemo insinuatæ apud Ioannem ex similitudine venti.

Ioan. 3. 6.

PVNCTVM II.

1. Spiritus S. quomodo spiret.

PRIMA proprietas: *Spiritus, ubi vult, spirat*, quibus vult, quando vult, sicut vult. 1. inspirat non petentibus, nec cogitantibus, 2. immerentibus, & indignis, 3 etiam contradicentibus, ut Paulo, præcipuè tamen filijs, qui Spiritu Dei aguntur. His inspirat optima quæque,

2.

3.

& ut

& vt cum libertate spiritus, illa faciant, non cum tædio, non ex timore, non sicut mercenarij, sed studio placendi Deo, quæ est libertas spiritus. Et quemadmodum Deus omnibus benefacit: ita iustus ab eodem spiritu motus etiam inimicis & persequentibus reddit bona. Et quia vult idem quod Deus dum facit, quod Deus vult, suam semper implet voluntatem, quod est quodammodo esse omnipotentem.

Pvnctvm III.

Secvnda proprietas est: *Et vocem eius audis.* sic est potens, vt nullo obstaculo prohiberi posit, quin audiatur: & penetrat ad intima mentis & voluntatis, illam illuminans, hanc mouens, tametsi in potestate hominis sit non consentire motioni. sed & flectere eum potest, ne dissentiat, idque suauiter, vt etiam cum voluptate ducatur, dicatque: *Domine, quid me vis facere?* Est auris quædam interior, discernens verba Spiritus sancti: nam is mutat cor in melius semper, & à caducis abducit, cuiusque finis est iustitia, gaudium, & pax: contra quam malus spiritus agit. II. Liberè spirat. Act. 9. 6.

Habet etiam homo, in quo manet Spiritus sanctus, voces suas; vnde agnoscitur Spiritus inhabitans, eæ sunt exempla virtutum.

Pvnctvm IV.

Tertia proprietas: *Nescis vnde veniat aut quò vadat.* Vnde mirè operatur, sæpe in- III. Occultè ecsat.

pe inspiratio oboritur, finis etiam peculiaris, quem Spiritus sanctus intendit, latet: vt cùm dicebat S. Paulus: *alligatus spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea euentura sunt mihi ignorans.* Ego autem inspiratione bene vtar ad profectum animæ.

Act. 20. 22.

MEDITATIO XXVII.

De septem donis Spiritus sancti.

PVNCTVM I.

Dona S. Spiritus.

IN regeneratione spirituali hominis, præter virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem, quibus perficitur ipsa iustificatio; infunduntur etiam animæ dona septem Spiritus sancti, quæ à virtutibus distinguuntur: quòd hę sint habitus, per quos operamur; dona autem sunt qualitates quædam, animam reddentes aptam diuinis motionibus & inspirationibus excipiendis, ad insignes quosdam actus. Sunt autem hæc dona cum charitate coniuncta; & illa amissa, perduntur. Iuuant autem, tùm ad declinandum malum, tum ad faciendum bonum.

PVNCTVM II.

Vsus diuersus donorũ.

IVVANT ad malum declinandum, & expellendum, iuxta diuersas tentationes, affectionesq; malas, quę solent animã exagitare.

I. I. est *tædium* fastidiumque diuinorum, vt planè desipiant: & ita anima ad sensualia se

conuer-

convertit, & effundit. Sic Israelitae *nauseabant super manna*, tanquam *cibo leuissimo*, & expetebant *ollas Aegypti*. Huic morbo medetur *donum Sapientiae*, quae rationes diuinas suggerit, vt coelestia sapiant magis, desipiant carnalia & terrena. Vocatur ille morbus, stultitia: quae verè est maxima in illa inappetentia diuinorum, grauique aestimatione. Num. 11.5.

II. Est *caecitas* siue obscuritas quaedam mentis circa res fidei capiendas, vnde existunt dubia, perplexitates, torpor ad credendū & speculandum. Huic medetur donum *intellectus*, illustrans, nebulasque dissipans, vt de pacem & gaudium habeamus in credendo. II.

III. *Haesitatio*, in subitis praesertim tentationibus, vnde periclitamur. Huic occurrit donum *Consilij*, suggerens expeditam rationem euadendi: vt cùm Ioseph *reliquit pallium in manu adulterae*. III. Genes. 39.12.

IV. *Ignorantia*, & inconsiderantia, vnde à daemone circumuenimur, & in fraudem inducimur. Opponitur donum *Scientiae*, quod illuminati discernimus imposturas Diaboli, carnisque & mundi fallacias. IV.

V. *Imbecillitas* animi ad ferenda damna potiùs, quàm peccandum, si vitae aut rerum iactura sit facienda. Roborat donum *Fortitudinis*, vt sanctos Martyres. V.

VI. *Duritas* cordis, ad compatiendum proximis, & ferendum ab eis quidpiam. Emollit donum *pietatis*. VI.

VII. Motus *superbiae*, & *arrogantiae* VII.

fraenat

frænat *Timor Dei*: qui conſpicitur ex intelligentia iudiciorum diuinorum,& notitia illius Maieſtatis: vnde anima ſe humiliat. Studebo tam neceſſaria dona conſeruare, & in quauis illarum tétationum ad Spiritum ſanctum pro oportuno auxilio confugere. Pſal. 117. 13. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

PVNCTVM III.

Modus quo Spiritus S. ſuis donis iuuat.

IVVANT eadem dona ad proſequendum bonum etiam perfectum. 1. *Sapientia*, ad diuinas perfectiones ſubtiliter intelligendas, cum guſtu affectuque amoris. 2. *Intellectus*, ad penetranda fidei myſteria, & quæ in eis latent altiſsimas rationes, ſimulque credenda certitudine tanta, ac ſi cernerentur, vnde copia ſuauiſsimarum cogitationum, quibus exardeſcit ignis ſalutaris in meditatione. 3. *Scientia* rerum creatarum, quatenus à Deo, & in ſe ſunt, atque in Deum ducunt, moreſque formant. Atque hæc tria dona iuuant vitam contemplatiuam, & illius exercitationes, quæ ſunt *Lectio, Meditatio, Oratio, Contemplatio.* ſed quia hæ ipſæ debent ſpectare pax in virtutum, accedit donum *conſilij*, quo dirigimur in illis, vt ſigillatim & in particulari concipiamus propoſita opportuna, & efficacia: alioqui vaga & arida erit mens, vt eſt apud Sapientem: Eccl. 34. 6. *Sicut parturientis cor tuum phantaſias patietur, niſi ab altiſsimo fuerit emiſſa viſitatio.*

Reſtant alia tria dona, quæ perficiunt nos

in operibus vitæ actiuæ erga proximos.

Donum *Pietatis* nos perficit, vt erga superiores, tanquam filij nos geramus, erga inferiores, vt matres, erga æquales, in visceribus charitatis. 5.

Donum *Fortitudinis* perficit nos ipsos ad ardua quæque pro diuino obsequio aggrediendo intrepidè. 6.

Donum *Timoris* in ordine ad Deum, per intimam reuerentiam illius maiestatis, gloriam ei reddendo pro omnibus bonis.

Inter hæc septem dona donum *consilij* medium est tanquam sol inter planetas, vtrique vitæ consulens, tùm contemplatiuæ, tùm actiuæ, vt in vtraque optimum eligamus, nec à Sathana, se in angelum lucis transformante, deludamur. Et quia periculosum est, sibimet credere ac fidere, eodem *consilij* dono impellimur, vt aliorum ductu præsertim superiorum dirigi velimus, iuxta illud; *Cor boni consilij statue tecum, credens quòd anima viri sancti enuntiat vera, quàm septtem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Eccle. 37.17.

MEDITATIO XXVIII.

De S. Stephano Protomartyre.

In Festo S. Stephani Protomartyris.

FVIT Stephanus post missionem Spiritus sancti inter celeberrimos post Apostolos, vnus ex septem Diaconis delectis ab Apostolis, de quo apud Lucam leguntur quatuor insignia. Act. 6.8.

signitur. dona egregia ei collata. 2 quòd excellenter illis vsus fuerit. 3 extraordinarij fauores Dei erga illum. 4 exitus vitæ clarissimus, ad de præmium. Ferè in alijs sanctis possunt similia considerari.

PUNCTUM I.

Thesaurus Spiritus S. in Stephano.

DONA ei collata intelligi possunt ex eo, quod dicitur, *plenus Spiritu S.* in quo continentur quatuor ipsi nominatim attributa, quòd plenus esset gratia, sapientia, fide, & fortitudine. *Gratia*, qua Deo gratus & amicus erat in præcipuis. *Sapientia*, in diuinis excellenter percipiendis, communicandisque in alios. *Fide*, fiduciæ plena & operatrice mirabilium. *Fortitudine*, qua intractus reddebatur in profitenda, propugnandaque veritate. Accepit ista à Deo gratis sed, haud dubiè, disposuit se, vt acciperet disponente illum ipsa etiam gratia Dei, quam per illius merita flagitabo, vt aliquo modo etiam ego replear Spiritu sancto, quod ille persecutori suo Paulo in terra adhuc positus impetrauit. Deinde considerandum, quàm benè vsus fuerit acceptis donis.

Quomodo dona sua exercuerit.

1. Sapientiâ, pro Christi gloria ad reuincendos

Act. 6. v. 10. Iudæos: vt *non possent resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur*, iuxta Christi promissum:

2. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris*

Matt. 10. v. 20. *vestri, qui loquitur in vobis*. 2. *Fide* enim *faciebat prodigia & signa magna in populo* ad

3. confirmandam doctrinam. 3. *Fortitudinem* exhibuit singularem in concilio malignantium

successores, intrepidè convincebat, [illegible] illis gloriam prædicans, quando *& apparuit vultus eius tanquam Angeli*, quippe modestè, & grauiter, & seruata mentis & oris serenitate loquebatur, vt verum in eo esset illud Iob: *Lux vultus mei non cadebat in terram*. Non concidebat nec confundebatur, sed mira gratia atque constantia inter furentium contradictiones, & contumelias perseuerabat, obijciens illis, quòd *semper Spiritui sancto restitissent, prophetas occidissent, & ipsum Dominum* quare [illegible] *in eum*. Iob 29. 24.

PUNCTUM II.

EXIMII fauores, quibus illum Deus prosecutus est. Refert enim Scriptura: *Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei*. Vbi obserua, quòd plenitudo spiritus, hoc est, gratiæ & sanctitatis, & intenta in cœlum mens per orationem, valent ad obtinendum eiusmodi extraordinarios fauores, qualis, etsi non sunt expetendi, curandum tamē, ne illis reddamur indigni; sed apparet potius: nostro dispositiones illis promittit Dominus: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum*. Obserua, quòd dicitur: *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei*. Ad hoc in primis datur cœleste lumen, vt Diuinitatis gloria in tribus personis, & Humanitatis in Christo exaltatæ dispensatio intelligatur; nam *hæc est vita æterna, vt cognoscant te* Ioan. 17. 3.

Fauores extraordinarij. I. Act. 7. 55. II.

Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vidisse autem dicitur, quo notatur sublimior intelligentia diuinorum, qualem significat
2. Cor. 3. 18. Paulus, cùm dicit: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* (vtique per amorem) *à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Nempe proficiendo semper à lu-
III. mine in lumen, & de virtute in virtutem, operante Spiritu sancto. 3. Visio hæc à Deo concessa fuit tunc Christi Athletæ: primò, vt remuneraret illius constantiam in reddendo testimonium Christo. Nam solet etiam nunc vicem reddere, etiam centuplam in hoc sæculo. Secundò, ad roborandum magis pugnantem: vnde Christus se exhibet stantem, quasi ad auxiliandum paratum. Tertiò, vt conspecta veritate eorum, quæ annunciabat, magis magisque accenderetur ad testificandum. Vnde erumpit clamans: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei.*

PVNCTVM III.

1. Mors Stephani pretiosa 1. sumpsit occasionem ex illo fauore singulari, quo se Christus illi exhibuerat, sicut & venditio Ioseph Patriarchæ ex viso diuinitus oblato. Ita Deo gratum est, vt causâ illius patiamur, siquidem eò diriget impertitos fauores. Vnde & nos quoque debemus eadem referre, vt
2. comparemur ad plus patiendum. 2. per fauorem fauorem est illata ei mors: nam eo eo,

quod

quòd debuisset in cœlum oculos levare, vbi Christus se ostendebat, etiam aures obturarent, ne verba audirent dicentis, *ecce video Christum stantem à dextris Dei*: atq; impetu facto extra ciuitatem ... ac lapidibus necarunt, quos ille placidissimè excipiebat fixus in cœlo: vnde & lapides ei dulces fuerunt. contingat etiam mihi, vt præ gustu contemplationis Dei dulcescant labores & dolores. Martyriũ S. Stephani quale?

PVNCTVM IV.

ORAT pro lapidatoribus suis. *Imitatur* Magistrum, & præceptum illius exequitur: *Orate pro persequentibus vos*. Spiritum quoq; suum commendabat exemplo Magistri. Orat autem instanter, *quippe flexis genibus, & voce magna clamans*: cùm pro se stans oraret, nec tali clamore: quippe necessitas erat maior; & illi obstabant gratiæ, cuius autem fructum Conuersionem Pauli, priùs tamen pro se orauit, quàm pro inimicis: cùm Christus priùs pro inimicis: tum verò Spiritum suum Patri commendauerit: nam Christus non egebat gratia in eo transitu, sed Stephanus, qui antè de se debuit esse sollicitus; orans pro inimicis, meretur exaudiri pro seipso. Tandem de eo dicitur: *quòd obdormiuit in Domino*: in charitate & vnione cum Deo: vel pro confessione Domini. *Beati, qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos*. Singulariter Stephano conuenit: *Pusilli* Imitatio S. Stephani Matth. 5, 44. Orat pro se stãs, pro inimicis flexis genibus. Apoc. 14, 13. Psal. 10. 4.

Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

MEDITATIO XXIX.

Conversio Pauli.

PUNCTUM I.

In Festo Conversionis S. Pauli.

QUALIS fuerit summus persecutor, vt præ zelo contra Christum *custodiret vestimenta lapidantium Stephanum,* quin, vt testatur Lucas, *devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros & mulieres tradebat in custodiam.* In quo impletum: *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* manè & vespere, semper in hoc intentus, vt laniaret. Nec contentus Hierosolymis id agere, Damascum petijt, vt inde vinctos adduceret, *spirans minarum & cædis.*

Act. 7.

Cap. 8. 3.

Gen. 49. 27.

Act. 9. 1.

Primò quidem permisit Deus, Saulum ita insanire, vt quoniam ad magna illum eligeret, sic fundaret illum in magna humilitate, quando meminisset, qualis fuisset: quod & memorabat humili gratoque recordatione: *Qui prius blasphemus fui & persecutor & contumeliosus.* vnde etiam se vocabat *minimum Apostolorum, & indignum vocari Apostolum, quia persecutus esset Ecclesiam Dei.* Hunc fructum humilitatis ex peccatis præteritis colligere oportet, quod qui facit, de eo dicitur: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

1. Timoth. 1. 13.

1. Cor. 15. 9.

Eccl. 42. 14.

ciens. Vir est, qui ex peccatis surgit ardentior, mulier, qui languet in opere bono.

Secundò; vt ipsemet ait, *Ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam*. nec modò patientiam in sustinendo, sed charitatem in amando tam infestum inimicum; bonitatem inuocando ita auersum, & fugientem; potentiam in rebellem compellendo; misericordiam in recipiendo pœnitentem; gratiæ vim in commutando in virum alterum. Et voluit, sicut in teera dens insignes peccatores verbo conuertit, Magdalenam, Matthæum, Zachæum: ita è cœlo documentum dare eiusdem pietatis, vt peccator non diffidat. II. Causa. 1. *Tim.* 1. 16.

Tertiò demum ad exemplũ nobis, ne sinamus nos abripi ab impetu vehementis naturę, vel ab indiscreto zelo, vel ab ira, quamuis per boni speciem, vti Paulus. ac si tale quid contingat, redeamus ad cor, Christo dante, quàm primùm, & feruenter. III. Causa.

PVNCTVM II.

CHRISTVS apparet Saulo appropinquanti Damasco. de qua apparitione ipse scribit: *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi*, id est, tanquam immaturo fœtui, & præter ordinem, ac violenter edito. Mira Dei charitas & dignatio, quòd iam à dextris Maiestatis sedens in excelso Charitas Christi erga Saulum. 1. *Cor.* 15. 8.

ipsemet Christus in vero suo corpore se præsentem exhibuerit acerrimo persecutori. Nam quòd Apostolis post resurrectionem apparuerit, minus fuit, tum quia terras nondum reliquerat, tùm quia amantibus & desiderantibus ipsius præsentiam. Verè impleuit illud pastoris boni officium, qui *relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, vadit ad illam, quæ perierat*, quanquam deseruisse cœlum non est credendus. Multum est, quòd *inueniri* se faciat *à non quærentibus*; at quòd etiam à persequentibus, id verò est supra omnem modum.

Luc.15.4.

Isai.65.1.
Rom.10.20

Proprietates illustrationum cœlestium.

Deinde considerandus apparitionis modus. 1. *subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Subitò, inquit, non solùm, quia repentè, instar fulguris, sed, quia inopinanti, & immerenti contigit. Sic Deus agit, vt est apud Iob: *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eā possit ascendere.* 2. Immissa est lux, *cùm iā appropinquaret Damasco*, in ipso aggressu intercipiens conatus. Aliàs Deus peccatoribus sepit viam spinis, vt reuocet ad se obijciens difficultates, & impedimenta cupiditatibus. Saulum blandè allexit, luce perfusum. Et accidit circa *meridiem*, vt ipse refert, qua hora Christus crucem subijt, nempe in feruore charitatis præuenit illum Deus: quod agnoscens ipse Paulus ait: *quòd viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Aliter

1.
Iob.36.32.

2.

Act.22.6.

Gal.2.20.

ter etiam in meridie id factum, cùm ad summum peruenerat persecutoris rabies. quo augetur beneficij magnitudo, & Paulus dicere iure potuit: *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* Psal. 93. 17.
3. *Circumfulsit eum*: quaqua versus vallauit, vt nusquam pateret ad alia intuitus, nisi per eam lucem. Id fit, quando anima sic est illustrata, vt nihil extra Deum, nisi propter Deum cogitet aut velit. 4. blandè compellat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* nomine proprio appellat, vt notum, & ad emolliendum. Causam rogat, veluti paratus satisfacere, si quam dederit, persequendi. Ita Iob: *si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me*; Iob 31, 13. quæ est suprema dignatio: & id facit Deus cum peccatore. Porrò persecutionem seruorum suorum ducit suam; &, qui in cruce non est questus de crucifixoribus suis, nunc queritur de membris suis. Felix peccator, cui Deus ita ad cor loquitur, vt intelligat, quem offendit.

PVNCTVM III.

PAVLI interrogatio, *quis es Domine?* qui interiùs à Deo illuminatur, continuò appetit magis magisque nosse eum, qui loquitur in i[illegible], Dominum autem vocat pro reuerentia erga eum iam concepta. *Respondet ei Dominus, ego sum Iesus Nazarenus, quem tu* (Cognitio Dei & sui-ipsius)

perſequeru. Vbi duo aperit. Et quis ipſe ſit, & qualis ſit Saulus. Ego, inquit, ſum Saluator, & tu Saluatoris perſecutor. Hoc intelligat probè peccator, vnde bonitas eminet Dei, qui ita benignus eſt erga contemptores ſui, & iniquitas peccatoris, qui talem non veretur offendere. O nouerim te, Domine, & nouerim me, vt te ſolùm amem, deteſter verò meipſum. Addidit Dominus: *Durum tibi eſt, contra ſtimulum calcitrare.* nam tibimet noces, te cruentas, non exſtimulantem. Ita qui obſiſtunt motionibus diuinis, ſuo malo faciunt.

PVNCTVM IV.

Act. 9. 6. Stupor Sauli.

EFFECTVS diuini reſponſi: *Et Saulus tremens ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Tremit ex conſcientia facti, ſtupet de miſericordia Dei erga ſe; & quòd ita cæcutiuerit. Hæc duo operatur diuina lux in anima peccatoris. *Illuxerunt coruſcationes tuæ, commota eſt, & contremuit terra.* Offert tandem ſe paratum ad omnia. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Nolim Domine, me interroges, vt cæcum illum: *quid tibi vis faciam?* ſed tu mihi dicito, *quid me vis faciam?* quia non mea, ſed tua debet voluntas fieri.

Pſal. 76. 19. & 96. 4.

Pſal. 76. 11. Luc. 18. 41.

Interrogatio Sauli qualis?

Iubetur itaque ingredi ciuitatem, ibi docendus, *quid oporteat eum facere.* Vult Deus per otium, & accuratè, nos cognoſce-

re diuinam voluntatem, non obiter, & perfunctoriè.

Tandem ex comitibus non dicitur aliquis conuersus: sed quod *stupefacti stabant, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Ita est profunditas diuinorum consiliorum. Quanquam nec indicium vllum dare, quod omnes permanserint in perfidia, neque est verisimile, quin à Saulo postea instructi, saltem aliqui in Dominum crediderint.

MEDITATIO XXX.

De ijs, quæ secuta sunt Sauli conuersionem.

PVNCTVM I.

SVRGIT *de terra: apertisq; oculis nihil videbat, ad manus autem trahentes introduxerunt Damascum.* 1. Iacuerat toto tempore visionis in terra prostratus à lumine & voce. Humiliari enim debuit, & cum reuerentia excipere mandatum Dei. Sed & in talibus debilitari solent vires corporis, vt contigit Danieli, & Iacob claudicant ex visione Dei, languet caro, vigente spiritu. 2. Ad iussionem exurgit: *Surge*, resumptis viribus, surrexit non è terra tantùm, sed ex terrenis affectibus, roborante Spiritu. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* 3. *Apertis oculis, nihil videbat:* quia mente cælitus illustrata, despicit terrena, & ad ea non attendit, nec mouetur.

Act. 9. 8. & 22. 11. 1. Humiliatur Saulus.

Dan. 10. 8. Gen. 32. 31. 2. Obedit Deo. Ephes. 5. 14. Act. 22. 10. 3. Terrena despicit.

PVNCTVM II.

Actor. 9. 9. QVID egit illo triduo à visione? *Erat ibi tribus diebus, non videns, & non manducauit, neque bibit*, sed orauit, vt Christus Ananiæ dixit: *Ecce orat.*

1. Mysterium tridui S[illegible]u-i *v. 11.* 1. Tribus diebus erudiri debuit de Mysterio SS. Trinitatis, in cuius nomine baptizandus erat. Et sicut Christus triduo iacuit in sepulchro ante resurrectionem suam: ita Paulus in illo secessu contemplationis, priusquam resurgeret per Baptismū. Ac Apostoli per decem dies præparati sunt ad recipiendam plenitudinem Spiritus sancti. Paulus autem triduo tantùm; quòd festinaret Deus illum adhibere ad opus prædicationis.

2. 2. Præparatio fuit triplex: visus exterioris priuatio, & abstractio à visibilibus, ieiunium, oratio.

3. Gratiæ Saulo datę. *Galat. 1. 12. Actor. 22. 14* 3. Illo triduo eruditus est à Christo de omnibus excellenter, non externo magisterio, sed interno. Vnde ait: *se non ab homine accepisse & didicisse Euangelium, sed per reuelationem Iesu Christi.* Et hoc ipsum indicauit Ananias, cùm ad eum veniens, dixit: *Deus præordinauit te, vt cognosceres voluntatē eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius, quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quæ vidisti & audisti.* Et inter alia etiam *Act. 9. 12.* didicit: quòd per *Ananiam visus ei foret restituendus.*

PVNCTVM III.

1. Modi reuelationem varij. ANANIAS interpellatur à Domino. 1. Monetur in visu vel somno, cùm Saulus

vigilans vocatus fuisset. tempe siue vigilantes, siue dormientes, decet nos ita esse compositos, vt idonei simus recipiendo diuino lumini. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Et, *ego dormio, sed cor meum vigilat.* 2. Designatur vicus, vbi diuersabatur Saulus, quod vocaretur *Rectus*, & dominus domus *Iudas*, quod est confessio, siue peccatorum, siue diuinar laudis. Apte omnia, nam ceperat gressus suos rectos facere, & agnoscens sua peccata, laudabat Patrem misericordiarũ. 3. Iubetur Ananias adire Saulum, nõ accersire ad se, quia ægrotus adeundus est à medico, & quia vult Deus quæri oues suas, & quadrat nomen *Ananiæ*, quod est *Nubes Domini*, quales esse debent prædicatores, nempe veloces, agilesque, & imbre cælesti pleni, ad irrigandas animas.

Psal. 138. 11. Cant. 5. 2.

Mysteria in vocibus.

PVNCTVM IV.

ANANIAS obtendit difficultates, quas diluit Dominus. 1. Ait. *Domine audiui de viro hoc, quanta mala fecerit.* Non oportet conceptas opiniones de proximo, præsertim ex solo auditu, tenaciter retinere, maximè cum potuerit interea emendari. Et Ananias audierat ex ore Domini de Saulo, *Ecce orat*: quod erat signum mutatæ mentis. 2. Videtur Ananias affectu humano ductus, quod timeret sibi à lupo. Vnde velut interrupit initio sermonẽ Domini, objiciendo difficultates. Licet quidem difficultates proponere, vt discamus modum eas vincendi: non verò, vt de-

Fallacia iudicia temeraria.

Tergiuersatur Ananias.

clinemus executionem mandati. Neque Ananias sic proposuisse putandus est, sed vt cognosceret, quo modo agendũ sibi cũ Saulo.

3. Christi ad eum responsio.

3. Dominus respondit: *Vas electionis est mihi iste.* Verè electionis, hoc est, modo singulari, nullisq; eius meritis electum, & ad summa quæq; electum. Vas autem, hoc est, instrumentum, *ad portandum nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel*: & quod de Sole dicitur: *Vas admirabile, opus excelsi.* Nec portabit modò nomen meum, sed pro illo etiam multa patietur. *Ostendam enim illi, quanta eum oporteat pati pro nomine meo.* Recenset ipsemet, qui tulit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius. &c.* Et quidem iure optimo ita Deus disposuit. Primò, vt lueret in se, quæ alijs intulerat sanctis, & per hæc præpararetur ad insignem gloriæ coronam, ipsi à Deo destinatã. Deinde, vt discamus extraordinarios gratiæ fauores non conferri, nisi multa pro Christo passis, aut per afflictiones disponi hominẽ ad illos. Denique, ne foret discipulus supra Magistrum, aut Apostolus, præ eo, qui misit illum.

Eccl. 43. 2.

2. Cor. 11. 23

PVNCTVM V.

Suauis prouidentia Dei.

1.

ANANIAS exequitur mandatũ Domini. 1. Adit Saulum: potuerat Deus, qui tam potenter vocauerat, absq; ministerio cuiusquam reddere Saulo visum, sed amat subiectionẽ in quolibet, quantumuis magno. Vnde etiam per Ananiam Saulo denuntiat, quòd esset munus eius, *testificari de Christo in omne*

gentes.

gentes. Compellat Ananias eum benignè, vocans *fratrē*: ſed cũ authoritate tamē agit: *Saule frater reſpice, Deus præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, exurge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius*. 2. Voluit Deus, illuminari eum ante baptiſmũ, vt magis gauderet, conſpecto baptizante, & inde intelligeret effectum baptiſmi, qui illuminat, & ſquamas peccatorũ abſtergit. Accepit ſimul donum linguarum, aliaq; Apoſtolis impertita. Quomodo exultauit? quas Deo gratias egit? pro Epiſtolis autē, quas attulerat ad vinciendos credentes, ipſe factus eſt viua epiſtola, ad Chriſti gloriam euulgandam. 3. *Continuò ingreſſus ſynagogas prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei. Non acquieuit carni, & ſanguini*, vt ipſe ait, ſed abſque reſpectu ſuorum (quibus leuis, & inconſtans videri poterat, & quorum indignationem ac perſecutionē metuere) tanquam muſto plenus ſtatim proſilijt, vt Apoſtoli, poſt acceptum Spiritum ſanctum: *& conualeſcebat, & confundebat Iudæos affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus*. Ita nimirum redimere volens priorem culpam, & reſarcire damna illata, implereque, quod alijs poſtea ipſe præſcripſit: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*.

Actor. 22. 13.

2. Baptiſmi virtus oſtēditur.

3. Feruor Sauli conuerſi.

Actor. 9. *Gal.* 1. 16.

Rom. 6. 19.

MEDITATIO XXXI.

Illustres Pauli virtutes.

PVNCTVM I.

Paupertas B. Pauli. 1. Tim. 6. 8. 2. Cor. 6. 10.

PAVPERTAS eximia. 1. reliquit omnia, vt cæteri Apostoli; & impleuit, quod suasit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; &, *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*: nam bonum paupertatis erat ipsi præ totius mundi possessione. 2. sustinuit multam egestatem; *in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate* (2. Cor. 11, 27.) 3. ne grauaret fideles, cùm posset viuere de Euangelio; *sibi, & socijs victum labore manuum* quæsiuit. (2. Thes. 3. 8.)

PVNCTVM II.

1. Castitas. 1. Cor. 7. 7

CASTITAS inconcussa. 1. se proponit exemplum cælibatus: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum*: vt essent sancti corpore & spiritu; & possent sine impedimento Dominum obsecrare. 2. noluit *mulierem circumducere* (quod alij faciebant) quę sibi necessaria suppeditaret, ad cautelam & exemplum. (2. 1. Cor. 9. 5. 12.) 3. Probatus fuit tentationibus, *Angelo Sathanæ eum colaphizante*; & roganti pro liberatione responsum fuit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*: nempe, dum oppugnata vincit. (3. Interna pugna. 2. Cor. 12. 7) Et continet tentatio hominem in humilitate: *Ne magnitudo*, inquit, *re-*

uelati-

me liberabit de corpore mortis huius? Datus est mihi stimulus carnis. Eodem spectat, quod dicebat: *sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Verùm, vt alibi ait: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

PVNCTVM III.

MORTIFICATIO carnis, & sensuum, custos castitatis, ait enim: *Ego sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Et alibi: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Nam ille multa tulit in corpore suo propter nos. Vnde etiam dicebat: *Ego stigmata Iesu in corpore meo porto,* ipsum imitor ferendis carnis afflictionibus.

PVNCTVM IV.

HVMILITAS demississima. 1. Nam sic palam prædicabat: *Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Et: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et: *mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia.* Sanctorum, inquit, id est, credentium. Videlicet considerabat in se, quod sua erant peccata, non dona gratiæ, quæ erant Dei. In aliis autem gratiam suspiciebat, non infirmitatem naturæ attendebat.

II. Confitetur peccata. 1. Tim 1. 13. Actu. 22. 19. 2. Cor. 12. 11. v. 6.

II. Palàm sua peccata confitebatur, *Blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus, & persequebar Ecclesiam Dei.* Et: *Cùm funderetur sanguis Stephani, ego adstabam; & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Quod si pro se dicere cogeretur: inuitus faciebat: *Factus sum insipiens: vos me coegistis.* Et reticebat tamen multa: *Ne quis,* inquit, *me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Nimirum humilis est promptus ad sua imperfecta manifestanda: tardus ad ea, vnde commendatur; quod ipsum, cùm facit: humiliat se, dum idcirco ab aliquibus vanus reputatur.

III. Deo gloriam tribuit. 1. Cor. 15. 10. 2. Cor. 12. 5. Act 14. 13. 1. Cor. 4. 7.

III. Bona, quæ habere se nouerat, in Deum referebat. *Gratia Dei sum id, quod sum Abundantius omnibus laboraui; non ego, sed gratia Dei mecum.* Et: *Pro me nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.* Et cùm ei deferrentur diuini honores, scissa tunica exiliens in turbas clamabat: *Viri, quid hoc facitis; Et ego homo mortalis sum similis vobis.* Meminerat illud suum: *Quid habes quod non accepisti? &, si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

IV. Timor in seipsum. v. 4. c. 9. 27. Colos 4. 3. Rom. 15. 30. Coloss. 4. 3.

IV. Quòd sibi non fideret, sed sancto timore afficeretur. Vt cùm dicebat: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Et: *ne fortè reprobus efficiar.* Et idcirco studiosè petebat preces fratrum pro se; & ne per se aliquod obijceretur impedimentum diuinę circa se, & Euangelium dispositioni. Et tandem cùm ac-

cepisset Euangelium à Christo, subiecit se alijs Apostolis, *ne fortè in vacuum curreret*. Galat. 2. 2.

V. Quia gaudebat contemni se: *Mibi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mibi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Et: *Pro minimo mihi est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*. Et: *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem* (placere quærerem,) *seruus Christi non essem*. V. Mundum contemnit 1 Cor. 4. 3. Galat. 1. 10.

PVNCTVM V.

PATIENTIA inuicta. 1. Labores fuerunt maximi. *Grauati sumus supra modum & supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem paßi sumus. foris pugnæ, intus timores*. 2. Sic ferebat: vt ad maiores paratus esset: *Ego non solùm alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu*. 3. inter labores fiduciâ magnâ erigebatur in Deum: *Vt non simus confidentes in Deum nobis, sed in Deo, qui nos de tantis periculis eripuit, & eruit; in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet*. Et, *scio abundare & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat*. 4. Reficiebatur diuinis solatijs: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt poßimus & eos consolari, qui in omni pressura sunt*. Et: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Et: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo*. Sic Deus compensat tolerantiam.

Patientia. 1. 2. Cor. 1. 8. c. 7. 5. 2. Actu. 21. 13. 3. 2. Cor. 1. 9. Philip. 4. 11. 4. 2. Cor. 1. 4. c. 7. 4. c. 12. 10.

PVN-

PVNCTVM VI.

Oratio & contemplatio.

1\. Rom. 1. 9. 1. Tim. 2. 8.

2\. 1. Cor. 14. 15. Phil. 3. 20.

3\. 2. Cor. 12. 2. v 7. c. 2. 12 7. & 5. 13.

4\.

ORATIO & Contemplatio. 1. assiduè orabat. *Testis est mihi Deus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* quod & alijs suadebat: *Volo vos orare in omni loco leuantes puras manus ad Deum* 2. orabat affectuosè, nam dicebat: *Orabo spiritu, orabo & mente.* Videlicet *conuersatio eius in cœlis erat.* 3. contemplatio eius fuit altissima: *Raptus ad tertium cœlum audiuit arcana verba: quæ non licet homini loqui.* ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* & illud: *si mente excedimus Deo,* vbi significantur extases mentis. 4. Hinc prouenerunt altissimi sensus, quos de Christo, & eius gratia, de arcanis prouidentiæ, de Deo, & Angelis, deque alijs rebus protulit: & inde factum: vt omnia alia parui penderet: *Existimo omnia detrimentum, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, & arbitror vt stercora.* Age anima mea, contende in studium orationis, vnde affluit tanta bonorum copia.

PVNCTVM VII.

Amor vnionis cum Christo. Gal. 2. 19.

CHARITAS erga Christum: quâ erat ei summo vnionis gradu coniunctus; quod expressit, dicens: *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, sed viuit in me Christus.* Vbi significantur duo vnionis modi; alter per amorem crucifixi, eiusque imitandi in

omnibus

omnibus studium. Vnde dicebat: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Hoc cogitare, hoc loquitur, hoc agit, vt se conformet crucifixo. Alter mundus est abstractione, ac si Christus, eius anima esset, omniaq; in ipso operaretur. *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* O rarè beatum meum viuere, si Christus in me viuat, non ego. 1. Cor. 2. 2.

Ab hoc amore veriebat ille feruor: *quis nos separabit à charitate Dei?* vbi enumeratis aduersis omnibus, concludit: per nullam rerum, nec per omnia simul, se a amillum dimouerì vnquam posse. *Multa,* videlicet, *aquæ nō potuerunt extinguere charitatem, neq; flumina obruent illā.* Est ignis, qui nunquam dicit sufficit. Rom. 8. 35. Cant. 8. 7. Prou. 30. 16.

PUNCTUM VIII.

CHARITAS feruens erga proximos. 1. Hæc ex charitate Christi accendebatur in corde ipsius: vnde dicebat, *Charitas Christi vrget nos.* 2. Præ se tulit eam varijs modis. Nam Ephesios alloquens ait: *per triennium nocte & die non cessaui, cum lachrymis monens vnumquemq; vestrum.* Et: *Omnibus omnia factus sum, vt plures lucrifacerem.* Et: *Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Ideò tot peregrinationes suscepit, & tot labores exantlauit. 3. Inde afficiebatur alienis malis tanquam proprijs: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego* Zelus animarum. 1. 2. Cor. 5. 14. 2. Act. 20. 31. 1. Cor. 9. 22. 1. Cor. 10. 33. 3. 2. Cor. 11. 29.

non vror? Et: *Tristitia mihi magna est, &*
Rom. 9. 2. *continuus dolor cordi meo propter Iudæos incre-*
Gala. 4. 19. *dulos.* Et: *filioli mei, quos iterum parturio, do-*
4. *nec formetur Christus in vobis* 4. Anteferebat
Phil. 1. 23. salutem proximorum suo spirituali commo-
do dicebat enim: *Dissolui, & esse cum Christo,*
multò melius: permanere autem in carne, ne-
Rom. 9. 3. *cessarium propter vos.* Quin *optabat anathema*
esse à Christo profratribus. 5. non excludebat
5. eius charitas inimicos: *Maledicimur, & bene-*
1. Cor. 4. 12. *dicimus: blasphemamur, & obsecramus. Super-*
2. Cor. 12. 15. *impendar pro animabus vestris: licèt plus vos di-*
ligens minus diligar. Non ægrè ferebat, quòd
alij prædicarent Christum, ad ipsius inuidiam
Phil. 1. 18. & pressuram: sed *in hoc*, inquit, *gaudeo &*
gaudebo, vt Christus annuntietur, siue per occa-
sionem, siue per veritatem.

PVNCTVM IX.

Aliæ virtutes. EX ista charitate oriebantur aliæ virtutes.
I. Obedientia ad nutum, cùm aliquo se
I. conferre iubebatur; licet se offerrēt difficul-
Obedientia tates, & pericula: nec inde gloriabatur. *nam*
1. Cor. 9. 16. *si*, inquit, *euangelizauero, non est mihi gloria:*
necessitas vero mihi incumbit; & Væ mihi, si non
Luc. 17. 10 *euangelizauero.* Meminerat illud. *Cùm fece-*
ritis omnia, dicite: serui inutiles sumus, quod
debuimus fecimus:

II. II. Circumspectio verborum *Non su-*
Solicitudo. *mus adulterantes verbum Domini, sed ex*
2. Cor. 2. 17. *sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in*
Christo loquimur. Ita agebat, siue in prædican-

do, si-

Google

do, siue in conuersando: quippe semper habens Deum in intentione sua;

III. Studiũ proficiendi semper in melius: *Ego me nõ arbitror comprehendisse Vnũ autem, quæcunq; retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ priora sunt, extendens me ipsum ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Dei.* — III. Desideriũ profectus. *Phil. 3. 12.*

IV. Dexteritas in tenendo medium, inter virtutes, quæ ægrè copulantur, puta inter humilitatem & magnanimitatem; inter mansuetudinem, & zelum; inter misericordiam & iustitiæ rectitudinem. — IV. Dexteritas.

V. Desiderium æternorum. Gemebat libertatem filiorum Dei expectans *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, & ideo contendimus, siue absentes, siue præsentes, placere illi.* — V. *Phil. 1. 21.* *2. Cor. 5. 8.*

VI. Fiducia obtinendæ beatitudinis. *Bonũ certamen certaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Hinc illa alacritas per omnem vitam ad offerendum se in pericula. *semper nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum.* Et: *quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu.* — VI. Fiducia. *2. Tim. 4. 7.* *2. Cor. 4. 11.* *1. Cor. 15. 31.*

VII Constantia moriendi cuius mors ideo lenior à Deo ordinata fuit, quòd tota vita fuisset crux. — VII.

Digitized by Google

MEDITATIO XXXII.

Vocatio Cornelij, & visum Petri, de vocatione Gentium.

PUNCTUM I.

I. Cornelij virtutes ad Baptismū. Act. 10. 2.

QUOMODO Cornelius se disponebat ad fidem, & vocationis modus: dicitur fuisse *religiosus*, nempe sedulus circa cultum Dei, nam etsi gentilis, verum Deum colebat. 2. *timens Deum*, caues peccata, quibus Deus offenditur: ac suo exemplo, tota domus erat talis. 3. *faciens eleemosynas multas plebi*. 4. & *deprecans Deum semper*, frequenter, & statis horis. Vade hora nona oranti adfuit Angelus. Talia is faciebat praeueniente gratia Dei, & per ea praepararetur ad percipiendum, quod ipsi deerat.

II. Modus vocationis. Hebr. 1. 14. Tob. 12. 12. Ecclesi. 35. 21.

Modus vocationis fuit *per Angelum*, manifeste hora *diei nona apparentem*. Nam *sunt administratorij spiritus in salutem hominum*: & ipsi *offerunt orationes & bona opera nostra ante Deum*. 3. dicit Cornelio: *Orationes tuae, & eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. videlicet *oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat*. Rursum: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis: & haec pro te exorabit ab omni malo*. 4. iubet accersere Petrum: & ab eo discere,

Eccl. 29. 15.

quo-

quid operetur ipsum facere. Non Angelus eum docens sed remittit ad hominem, vt commendaret subordinatio inter nos, & humilis subiectio. *Misit ergo Cornelius duos ex domesticis, & militem timentem Deum.*

PVNCTVM II.

PETRVS sub aduentum nunciorum orat: *Ascendit autem in superiora domus hora sexta, vt oraret.* Locus secretus ad orationem quæri debet *Intra in cubiculum. &, clauso ostio, ora Patrem tuum.* Tempus etiam aptum, & statum debet esse. Antiquis fuere in vsu hora tertia, sexta, & nona: vt Danieli, & Dauidi; & maximè Apostolis. Tertia ob Spiritus sancti aduentum; Sexta, quòd tunc erat Christus cruci affixus; Nona, qua exspirauit, atque ad Inferos descendit. Constituam mihi certa tempora, quibus reliqua negotia postponam. *Inter orandum cecidit super Simonem mentis excessus,* qui est abstractio à sensibus; & supra naturæ conditionem eleuatio quædam animæ ad superna contemplanda. Solet Deus maximè inter orandum ita se communicare. Modus orandi. Matt. 6. 6.

PVNCTVM III.

VISVM Petro oblatum Sicut inter noragis Dominus vtebatur parabolis, ad repræsentandas res ita nunc per obiectas imagines idem facit, ita cum Ioanne in Apocalypsi, & iam cum Petro agit. Nos talia requirere non debemus, tamen mysteria Chri- Similia spiritalia.

sti Humanitatis repræsentare nobis ad meditandũ, efformatis per imaginationẽ eiusmodi imaginibus: in quibus velut res cernamus; sed citra capitis offensionem & vitata illusione. I. *in linteo quatuor initijs submisso de cælo in terrã, inerãt quadrupedia & serpentia terræ & volatilia cœli.* Linteum est Christi humanitas, quam de cœlo veniens assumpsit. Ad linteum istud colligũtur ex quatuor cœli plagis mortales, dum per Baptismum Christo incorporantur, eiusque fiunt membra: Omnia insunt animalia, quia nemo excluditur, si velit: & nominatim exprimuntur tria illa genera, quibus notantur auari, carnales, & superbi: quos non auertitur Christus, sed sanctificat.

II. Occide, manduca, mysticè quid? II. Facta est vox ad Petrum: *surge, occide, & manduca.* Occidere iubet peccatores, vt peccato moriantur: manducare autem illos, hoc est, Christo incorporare per nouam vitã.

III. Responsio Petri. III. Auersatur Petrus, quia, inquit, nunquam manducaui commune & immundum. Erant quippe ibi multa ex animalibus lege prohibitis: Sed non animalia, sed per illa significatas intelligebat Deus gentes, quæ Iudæis habebãtur immundæ. Igitur respondet: *Quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris.* quo significauit, gentibus etiam communicari oportere gratiam Euangelij. Deus sanctificauit, eò quòd elegit, vt participarent gratiam. Hoc esto motiuum, vt non auerser is vllum peccatorem: sed lucrari magis satagas,

quando

quando Deus omnes recipit.

IV. Ter tertio factum esse dicitur, ut Petrus detestatam manducare, & nihilominus iuberetur: sicut tertio interrogatus fuit de charitate, Amas me? volens Deus docere, tantam sibi esse eius voluntatem admittendi gentes, & velle, id esse quam testatissimum. Vas autem sine litterum receptum est in coelum, ut intelligeretur propalatam esse omnibus, quamuis immundis, viam ad coelum. IV. Ternario [illegible]

PVNCTVM IV.

HAESITANTE Petro, quid nam esset visio, adsunt à Cornelio nuncij, & cum eis iubetur ire. Venit, prædicat, credunt, & descendit super eos Spiritus sanctus, cum dono etiam linguarum, & baptizantur. Deus non semper manifestat statim visionum intelligentiam, vel, ut humilietur homo, & orationem impetret; vel, ut commodiore occasione Deus rem aperiat, ut hic contigit, per euentum, dum accersitur Petrus à gentilibus, & ipso prædicante, attestatur Deus etiam gentibus pœnitentiam dari. Visionum [illegible] per expe- ctanda.

MEDITATIONES
DE B. VIRGINE.

MEDITATIO XXXIII.

Qualiter vixerit post aduentum Spiritûs sancti.

PVNCTVM I.

I. B. Virginis pauper-tas.

EVANGELICA vota seruauit, non solitariam agens, sed communem vitam, quæ alijs etiam prodesset. I. *Paupertatis* votum fecit (nisi antea fecerat) viuens ex communibus, quæ distribuebantur, prout cuique opus erat, contenta tenui victu & vestitu, memor fellis & aceti, atque nuditatis Filij sui in cruce.

II. Obedientia

II. *Obedientiam* perfectè coluit, non solùm circa mandata Euangelica Filij sui, verùm etiam circa omnes Petri & Apostolorum constitutiones & decreta, exprimens in seipsa viuam imaginem obedientiæ Filij sui, & sic eum in spiritu suo quasi iterum parturiens. parturiuit illum etiam in me.

III. Castitas.

III. *Castitatem* Angelicam perseuerantèr custodire. Vnde meruit ab Ecclesia nuncupari *Virgo virginum*, imò virginitas ipsa, cùm canit: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam?* Porrò vt Arca Testamenti ex lignis imputribilibus compacta, auro intus per contecta fuit, ita Virgo Mater Castitati adiecit aliarum custodiam virtutum.

IV. Inerat modestia in omni decora, quæque corporis, index internæ compositionis. *Parca sermonis* non nisi necessaria, & ea paucis, submisseque proloquens; quam ei laudem tribuit sponsus, *sicut vitta coccinea labia tua*, quippe astricta, & miremè diffluentia, & charitate rubescentia. *Abstinens cibi*, vsque quò viuere posset, & quod ei innuaret, ablato sponso. *Vigil semper*, nisi grauante necessitate, & tunc quidem *cor eius vigilabat*, versante mente cœlestia, quæ in vigilia tractauerat. *Sollicita* in cæteris obsequijs, vel diuini cultus, vel cœtera modi proximorum, vel domesticorum. Denique *omni custodia seruans cor suum, quia ex ipso vita procedit*, internis sensibus foris custodiendis, soli Deo intus placere studens. Solita, inquit Ambrosius, arbitrum mentis non homines, sed Deum quærere.

IV. Modestia.

Cant. 4. 3.

V. Vigilantia. Cant. 5. 2.

VI. Custodia cordis. Prou. 4. 23.

PVNCTVM II.

STVDIVM orationis & contemplationis viguerunt semper in B. Maria; sed vt aliæ virtutes, ita etiam ipsæ incrementum indies acceperunt. 1. aberant illa quatuor impedimenta, quæ Bernardus recenset, *culpa mordens, cura pungens, sensus egens, irruentia imaginum corporearum phantasmata*. Mala quadriga animam à Deo abducens: ex quam conterit illud sponsæ: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas* Aminadab: inerant summo gradu omnes illæ virtutes, quibus tanquam alis eleuatur anima in contempla-

Oratio & Contemplatio.

Sine impedimentis.

Cant. 6. 11.

1. Quibus virtutibus Oratio fe- rebatur.

tionem: *Fides* mysteriorum viua, *Fiducia* in Deum magna, *Humilitas* profunda, *Charitas* ardens, *Sapientia* & reliqua Spiritûs sancti
Can. 3. 6. dona eximia: vt admirantes Angeli dicerent tūc maximè, si vnquam aliàs: *quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*
3. *ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* 3. Obibat loca, vbi mysteria Redemptionis patrata fuerant, magno
4. sensu illa recolens, & inde mirificè illustrata. 4. Continuabat orationem etiam inter labo-
5. res manuum, & in somnis etiam erudiebatur, vt Patriarcha Iacob. 5. Percipiebat extraordinarios sæpè fauores præ sanctis alijs, de quibus legitur, vel quòd facie ad faciem eis loqueretur Deus, vt Moysi; vel quòd ad tertium cœlum rapti, audierint arcana verba, vt Paulus; vel quòd spiritu eleuati fuerint ad præ-
6. noscenda futura, vt Ioannes; vel quòd gloriam Dei viderint, vt Stephanus. 6. Communicabat quotidiè cum fide, reuerentia, & deuotione incredibili, memorans, quomodo eundem olim vtero gestasset, lactasset, contrectasset, fructumque referens, qualem oportebat ex tam excellenti dispositione, quâ ad communicandum accedebat.

Communicat quotidiè.

PVNCTVM III.

Salutem animarum curat.

ZELVS gloriæ Dei, & salutis animarum. 1. Cooperabatur, ardentissimè orando;
Orando. tùm pro ipsis Euangelij præconibus, vt essent

effi-

ficaret, tum pro converrendis, ut erudiretur, & pro ipsorum martyrum constantia, ita ut tamen illa primi temporis conversiones peculiariter ipsi acceptae referendae sint. 2. promouebat salutem proximorum ipsa eius vitae sanctimonia, ut sapere esset, & diuinum quid sicut ait Areopagita, praeseferret. 3. iuuabat etiam verbo doctrinae, quando illa per ipsa Apostolis altiùs erat de diuinis edocta, & conueniebatur à remotioribus quoque partibus, unoquoque illam videre ac alloqui desiderante, ut affirmat Ignatius. quin est traditio: sicut olim ad montana excurrit, ut sanctificaret Praecursorem: ita per hoc tempus ad varia loca fuisse profectam, ut fideles confirmaret. 4. patiebatur à Iudaeis obtrectationes, sicut eius filius, & de illorum incredulitate, & aliorum lapsibus angebatur, zelo Dei ipsam comedente. — 2. Exemplo. 3. Verbo. 4. Aduersa patitur.

PVNCTVM IV.

QVOMODO B. Virgo operabatur. Nimirum toto conatu, secundùm omnem virtutem à Deo acceptam, & quia charitas illius erat intensissima, eliciebat actus intensissimos. Porrò Deus bene operanti statim remunerat incremento gratiae, & charitatis quo factum, ut proximi actus elicerentur digno perfectiores, atque ita progrediendo, fieret auctio meritorum inaestimabilis. — Augmentum virtutum.

Hinc est, quod B. Virgo perfectissimè impleuit praeceptum *dilectionis Dei ex toto men-* — Dilectio Dei in summo gradu.

[tis]

Deut. 6, 5. Matt. 6, 10. *te, corde, animo, & viribus.* Item illud: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra;* idque in paruis æquè, ac magnis rebus. Denique nouis semper profectibus intenta fuit, quotidie mutans fortitudinem, nouasq; pennas assumens, Cant. 7. 1. & exultans ad currendam viam. *Quàm pulchri sunt gressus tui, Filia Principis?* progre- Cant. 6. 9. deris *quasi aurora consurgens vsque ad perfectam diem.*

MEDITATIO XXXIV.

Transitus B. Virginis à vita mortali, &c.

PUNCTUM I.

Ardens desiderium videndi Deum. PRÆPARATIO per ardentia desideria videndi Deum. Nam, cùm semper arsit post ascensionem Filij, tum maximè postremis annis, cùm appropinquabat tempus, nec id tædio laborum, sed puro amore Dilecti. Et quia versata erat in sacris litteris, inde seipsam magis accendebat. Modò sibi ipsi loquens dicebat: Psal. 119. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Nunc Deo: Psal. 41. 2. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Psal. 141. 8. *Educ de custodia animam meam ad confitendum tibi.* Interdum Angelis ipsam visitantibus: Cant. 5. 8. *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.* Nihilominus voluntatem suam diuinæ subijciebat; Phil. 1. 23. *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo:* parata tamen permanere in carne, si propter alios esset

neces-

necessitatem, quod & Paulus sentiebat, & Martinus: sed vbi appropinquare diem sensit, tum vero totam in affectus effundens dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Nunc prodeant flores fragrantissimi internorum affectuum, & mala pulcherrima bonorum operum, quibus, deficiens præ amore anima reficiatur. Pudeat me illius summi boni non tangi desiderio, atque ad illud non anhelare. Notentur ante mortem. Cant. 2. 5.

PUNCTUM II.

QVòd debuerit mori: nam etsi ab originali labe fuerat præseruata, non ideo à debito moriendi, etenim *statutum est omnibus hominibus semel mori*; & Filius eius mortuus est, supra quem non conueniebat illam esse. Et experiri ac vincere debuit ad maius meritum illam mortis difficultatem, eò quòd *nolumus spoliari, sed superuestiri*, atque in ea etiam re exemplum nobis relinquere, quò etiam fidentiùs eam interpellaremus. *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Fuit procul dubio denuntiata ipsi hora dormitionis, & quidem per Gabrielem Archangelum, qui secundò eam salutauerit: *Aue gratia plena. Dominus tecum*, simulque exposuerit, quanto eius desiderio tenerentur omnes cælites. Quis valeat concipere, quanto fuerit gaudio perfusa? *Lætata sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et subinde se diuinæ dispo- Cur mori debuit. 2. Cor. 5. 4. Mortis hora ei denunciata. Psal. 121. 1.

sitio-

itioni, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundū verbum tuum.*

Apostolorum præsentia.

Ad hæc voluit Christus, vt Matris discessui Apostoli interessent, ad illius honorem, & ipsorum solatium, quos solata est, & benedictione sua impertijt, precata Deum pro illis. conuenerunt autem sub id tempus, Deo mirabiliter eos transferente.

PVNCTVM III.

Christus morituræ apparet. *Cant. 2. 10.*

EXPIRAT. Adfuit Filius cum multo Angelorum comitatu, inuitans ad migrandū similibus verbis: *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni. Iam hyems transiit, imber bijt, & recessit. Veni de Libano* ab excelso culmine perfectionis, quam tenuisti. veni: coronaberis. Ad filij conspectum supra quàm cogitari potest, exhilarata, & memor horæ, qua Filium viderat expirantem. Fili, inquit, *in manus tuas commendo spiritum meum.* O verè

Gaudium B. Virg. in viso Filio.

Mors eius pretiosa.

1. pretiosa mors in conspectu Domini. 1. Quia non morbus, aut ægritudo, sed amoris vis animam eduxit è corpore, deficientibus viribus.
2. Quia sine doloris sensu separata est anima, ita Christo prouidente, pro doloribus acerbissimis, quos in ipsius morte apud crucem sustinuerat, quando *eius animā pertransiuit gladius.* Sed & gaudium ex præsentia Filij, & ex amoris magnitudine, ademerat omnem, ex disiunctione Animæ à corpore, doloris sensum. Vt in eam præcipuè illud conueniat:

Luc. 2. 35.

Sap. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tan-*

get eos tormentū mortu. 3. Quia, si *beati mortui, qui in Domino moriuntur, quod opera illorum sequuntur illos*: quàm beata fuerit mors Virginis, quam tot tantaque comitabantur merita? Verè *Virgo prudentissima quam Dominus vigilantem inuenit*, & affluentem oleo. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea huius similia.* 3. *Luc. 12. 45.* *Num. 23. 10*

PVNCTVM IV.

Funus S. defertur comitantibus Angelis.

FVNVS eius gloriosissimum fuit. Elata est, tum Apostolis, alijsque discipulis deducentibus, hymnosque diuinitus inspiratos in eam concinentibus, tum Angelorum choris eandem celebrantibus. Patrata sunt ad eius sepulchrum miracula. & Apostoli mira suauitate cælitus perfusi de gloria suæ Magistræ, & quòd eam nacti essent aduocatam apud Filium.

MEDITATIO XXXV.

Glorificatio animæ B. Virginis.

In Festo Assumptionis Deiparæ Virginis.

PVNCTVM I.

INTRODVCTIO animæ in cælum empyreum. Id quamuis momento peractum est, licèt per partes contemplari. 1. Exeuntem animam Christus complexu suo excepit, & qui hactenus eam *læua sub capite* eius quasi sustentauerat, nunc *amplexatur dexterâ*: hoc est, quam fouerat contemplatione operum mirabiliū Dei, (præsertim in assumpta carne)

1. Amplexus Matris & Filij. *Cant. 2. 6. c. 8. 3.*

nunc

nunc complet clara sui visione. Tunc dicit B. Mater: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. 4.

2. Angelicus occursus. Luc. 1, 28. 2. Effusi obviam cælites salutant, gratulantesque deducunt. Gabriele præcinente: *Ave gratia plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* quin ego me illis misceo, & pariter occino: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, ideò eris benedicta in æternum.* Judith 15, 10.

3. A Filio deportatur. 3. Non Angelorum manibus portatur, ut *Lazarus in sinum Abrahæ*, sed ipsius Christi, reddentis ei vices, quòd olim infans fuisset in ulnis ab ea gestatus: quod ut insolitum, mirantes Angeli, dicant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cant. 8. 5. Sic ovans ingreditur cœlum empyreum, adblandientibus ipsi divinis Personis. Pater excipit, ut filiam dilectam, Filius ut Matrem, Spiritus sanctus sicut sponsam: quales ibi fuerint? excedit cogitationes mortalium. Adsectabor ejus vestigia. Relinquam desertum hujus mundi, pro nihilo habendo ejus voluptates, & commoda. Progrediar innixus Deo, non meis viribus, *ad anteriora me extendens.* Phil. 3. 14.

PUNCTUM II.

Essentialis gloria B. Virginis. MAGNITUDO gloriæ animæ Mariæ æstimari potest ex eo, quod omnibus

naturæ

tatis dicitur: *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum*: qualem igitur Dei Matri? Itemque eo, quod: *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. At quali D. Virgo mensa est; quæ sic amauit, sic fecit talia pertulit? Nonne sola ipsa quæ accepit, quantum acceperit. supra Cherubim videt; supra Seraphim amat; liquatur à torrente delitiarum præ omni spirituali creatura: quæ Deum ipsum lactauerat; quæ eius causa calicem passionis amarissimum hauserat: quid non ei rependit Filius? aliaqui fortitas nec frigidæ haustum indonatum relinquere. Luc. 6. 38.

Pvnctvm III.

Exaltatio & coronatio B. Virginis. Exaltata est supra nouem choros Angelorum, & collocata in throno ad dexteram Filij multò dignius, quàm Salomon matrem suam, similiter collocauit. Hac spectauit David, quando ait: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Nam sicut Christus à dextris Patris sedere dicitur, (quòd præ omnibus post Deum eminaet) ita Maria à dextris Filij, quòd excellat omnes alias creaturas; quanto videlicet gloriosius est nomen Matris, quàm serui. Vestita quidem, & omni distincta varietate: quia ceterorum omnium gratias, & prærogatiuas in vnam illam simul Deus contulit: sicut de per-

I. Coronatio B. Virginis.

Psal. 44.

Ezech. 28.12. universæ ce Angelo dicitur: *signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore.*

II. Corona à SS. Trinitate. *Psal. 8. 6.* II. Multiplici corona decorata est à sacrosancta Trinitate. A Patre accepit coronam potestatis supra omnes creaturas post Christum, ut ei etiam conveniat: *Constituisti eam super opera manuum tuarum.* A Filio coronam sapientiæ, quæ deceat Advocatam omnium, ut omnibus prodesse queat. A Spiritu sancto coronam charitatis, qua velet ardentissimè pro omnibus.

III. Tres laureolæ. III. Donata est tribus laureolis, *Virginitatis, Martyrij, & Magisterij*: nam fuit Virgo Virginum, Regina Martyrum in Christi passione sustinenda, & Magistra Apostolorum. Atque ita tulit fructum trigesimum cum Virginibus, sexagesimum cum Doctoribus, centesimum cum Martyribus.

IV. IV. Accessit corona *Stellarum duodecim*, quia vna omnium virtutum, quarum alijs alij Sancti floruerunt, simul omnes coronas re-
Prov. 31. 29. portavit. *Multæ videlicet filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Egredimini ergo, & videte Matrem* Salomonis in
Cant. 3. 11. *corona, quibus coronavit eam Filius eius in die solemnitatis & lætitiæ.* Tunc illa verus instaurat
Luc. 1. 46. canticum: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens est.*

(5)

MEDITATIO XXXVI.

Assumptio in corpore.

PVNCTVM I.

CARO eius in sepulchro non vidit corruptionem. 1. Ob gloriam Virginitatis, vt, quæ caro Virgo pepererat, incorruptione donaretur. 2. Ob animæ puritatem ab omni prorsus labe, cuius habitaculum debuit ita honorari. 3. Quia Christi caro de carne illius erat, vnde decuit, vt sicut Christi caro, ita Matris non corrumperetur.

Corpus B. Virginis incorruptum.
1.
2.
3.

PVNCTVM II.

CVR resuscitari debuit. 1. Vt expleret innatum desiderium animæ illius sanctissimæ, resumendi corpus. Nam pro amore singulari, quo Matrem prosequebatur, id e præstare conueniebat. 2. Ad spem nobis faciendam, seu confirmandam futuræ resurrectionis. 3. Vt nostram et sentiremus Matrem, quod in animam separatam non conuenit, & vt pro nobis interpellando exhibere possit ventrem & vbera, quæ Dominum portauerunt & lactauerunt, quin & corpus, vnde ipse Christus suum accepisset. ita Christus Patri ostendit cicatrices, &c.

Resuscitationis B. Virginis causæ tres.
1.
2.
3.

PVNCTVM III.

ASSVMPTIONIS modus, qualis olim eleuatio Arcæ testamenti cum hymnis & canticis Angelorum, inter manus Christ-

Quomodo assumpta.

m ac Seraphim, excipiente illam Christo in mpyreo cœlo, cui per hoc accessit alterum uminare maius, ipso cœlo splendidius. quæ omnium gratulatio? quæ exultatio Virginis? quæ actiones gratiarum? quanta celebritas?

MEDITATIO XXXVII.

De humilitate B Virginis, qua meruit ita exaltari.

Ephes. 4. 9. Actus Humilitatis B. Virginis. I. Occultare dona.

QVOD *ascendit; quid est, nisi quia & descendit?* Verba sunt Pauli de Christo, & possunt aptari B. Virgini, quòd eò exaltata est super omnem creaturam, quia se humiliauit infra omnem. Corona duodecim stellarum respondet totidem insignibus eius actibus humilitatis.

Porrò est quædam humilitas erga Deum, quædam erga alios.

PVNCTVM I.

PRIMVS actus est occultare dona, nec nisi mera necessitate gloriæ Dei, aut salutis proximi vrgente, vllum indicium dare. quia vt dicit Gregorius, spoliari vult, qui publicè thesaurum portat. Illud Isaiæ commendatum habeat humilis: *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* inculcat bis, ob rei necessitatem. Hoc ita executa est B. Virgo, vt mysterium concepti Verbi nec dilecto spóso Iosepho indicauerit. Erat omnino *hortus conclusus, fons signatus.*

Isa. 24. 6

Cant. 4. 12.

Hinc

Hinc nascitur *secundus* actus, vt horreat laudari. nam, vel non agnoscit in se causam laudis, & tunc velut indebitam auersatur; vel, subest, metuit complacentiam, & ne sic recipiat mercedē suam. Hinc B. Virgo, cùm salutaretur à Gabriele tam honorificè, *turbata est*. 2. Odisse laudes.

Luc. 1. 29.

Tertius similis, vt, si contingat manifestari, totam laudē velit esse Dei: *Nō nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam*. & studeat, vt similiter ab aliis laudetur Deus. *Magnificate Dominum mecum. Exultent, qui volunt iustitiam meam, & dicant semper: magnificetur Dominus*. Ita B. Virgo, cùm Elisabetha propalasset mysterium concepti Verbi, prorupit in laudem Dei, & sui abiectionē: *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. 3. Deo dare gloriam. Psal. 113. 9. Psal. 33. 4. Psal. 34. 27.

Luc. 1. 46.

Punctum II.

Humilitas versus Deum. *Quartus* ergo actus, cùm à Deo eximitur, præoptare infima, & recumbere in nouissimo loco. Ita, cùm fieret Mater Dei, voluit esse ancilla, & in Bethleem stabulum elegit. 4. Elegit abiecta esse.

Quintus actus: subijcere se Dei, & Superiorum ordinationibus, quando etiam iure quis posset eximi, ac licet sibi inde aliquid decedat, nolle gaudere priuilegijs. Ita B. Virgo implevit legem Purificationis, sicut Filius Circumcisionis, cùm neuter lege teneretur, & inde nota contraheretur peccati. 5. Subiecit se legibus.

Sextus, etiam æqualibus & inferioribus se 6. Subiecit se

submittere, cedendo primo loca & præcedendo eos honore: quod suadet Paulus: *Honore inuicem prævenientes*: & in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Et Petrus: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*: hunc B. Virgo detulit Elisabethæ honorem, visitando, salutando, & vbique id agebat.

Septimus, obsequia etiam humilia exhibere aliis, sicut *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*: & exercuit *fabrilem*, inde etiam victum parans, denique *lauit pedes discipulorum*. Non secus eius Mater ancillabatur domi, ministeria omnia obiens.

Octauus, præeminentiæ affinis, recusare functiones, & omnia honorifica. Idcirco B. Virgo semper delituit, nunquam palàm docuit, nec vlla fecit miracula.

PVNCTVM III.

SPECTATVR etiã humilitas in humiliationibus ferendis, vel vltrò exercendis. Vnde est, illius *nonus*, cùm quis libenter habet, quòd tractetur, vt pauper, & abiectæ conditionis homo. Vt talis B. Virgo in Bethlehem exclusa est hospitio, vt diuersari in stabulo debuerit, & in Purificatione non agnum, sed columbas offerre voluit, quod erat pauperum.

Decimus, in ferendo ignominiam, & contemptum cum silentio. Vbi sunt gradus: 1. Cùm nobis euenit tale quid ob culpam nostram. 2. cùm absque culpa, & per falsa testimonia. 3.

quo-

Rom. 12. 10.

1. Pet. 2. 13.

7. Sociis ministrare.

Matt. 20. 28.

Marc. 6. 3.

Ioan. 13. 5.

8. Recusare dignitatem.

9. Libenter esse pauperem.

Luc. 2. 7. 24.

10. Ignominiam ferre ignominiam.

quando per calumniam, propter opus, vnde laudari debueramus. 4. cùm sustinemus non ab inimicis tantùm & alienis; sed à fratribus & coniunctis, vt Christus in passione: & cùm eum cognati quasi *furiosum* vincire voluerunt. Similia per occasionem Christi mater ferre debuit, maximè propter Filium. *Mar.* 3. 21.

11. *Vndecimus*, cum pace cordis & serenitate vultûs tolerare reprehensiones, punctiones, & insulsa responsa à quocunque. tulit B. Virgo nonnunquam à Filio minus placidas in speciem responsiones, vt illic: *Quid est, quod me quærebatis?* Et: *quid mihi & tibi est, mulier?* Et, *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* In quibus nec culpa suberat Virginis, nec offensio Filij: sed documentum mysterij, & quędam probatio virtutis. Ferre reprehensiones. *Luc.* 2. 49. *Ioan.* 2. 4. *Matt.* 12. 48

12. *Duodecimus* actus est, non se subtrahere, cùm ij, qui nobis coniuncti sunt, contemptum aut calumniam patiuntur, quasi nolimus videri ex illis esse, nec participemus simul incommodum confusionis. Non ita B. Virgo, quæ cruci astitit, matrem se professa tam ignominiosè crucifixi; eoque nomine à furentibus Iudæis appetita contumelijs. Itaque B. Virgo perfectè impleuit illud Sapientis consilium: *quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Participem se ferre iniuriarum alienarum. *Eccl* 3. 20.

* *
*

MEDITATIO XXXVIII.

De deuotione erga B. Virginem.

PVNCTVM I.

Cur amanda B. Virgo.

I. Quia à SS. Trinitate amatur.

HANC deuotionem conciliare possunt multa. I. quòd sanctissima Trinitas prę cæteris omnibus, tam hominibus, quàm Angelis amat hanc Virginem, tanquam illis omnibus sanctiorem Vnde æquũ est, à me etiam summè amari post Christum; ac de illius sanctitate, bonisq; excellentibus gaudere, eique gratulari, ac Deo gratias agere.

II. Quia mater Christi.

II. Quòd sit Mater Christi Domini, & ab eo summè dilecta: qui proinde vult eã ab omnibus amari & coli pro tam excellenti dignitate. Ac si de quibusuis pauperibus idem Dominus dixit: *Quod vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*: quantò magis, quod Matri suæ delatum fuerit, quasi proprium reputabit?

Matt. 25. 40

III. Quia Mater nostra.

III. Quòd sit Mater omnium nostrûm, & quidem amantissima nostri, & indulgentissima, debetur autem matri amor, & præsertim tali, ac tantæ. Imitabor Ioannem, cui cùm à Domino dictum fuisset, *Ecce Mater* tua, cupidè *illam in sua accepit*, pro magna felicitate habens, quòd inseruire ei posset.

Ioan. 19. 27

IV. Quia benefica.

Matt. 15. 14

IV. Quòd ab ea accipiamus multa bona. Nam *assiduè orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate*; hoc est, Ecclesia; multò magis, quàm Ieremias faciebat. Deinde, non solùm

repræ-

repræſentat Filio petitiones ſuorum clientum; ſed gnara neceſsitatum, præuenit orationes; vt in nuptijs innuens Filio: *Vinum non habent.* Præterea eſt potens ad impetrandum; &, quia ſoli miſericordiæ eſt intenta, per eam faciliùs contingit impetrari à filio, vt ait Anſelmus, quàm ſi ipſe Filius rogetur, qui, cùm iuſtitiæ quoque rationem habeat, vt iudex abnuit interdum ob demerita noſtra, quæ Matri ſupplicanti libenter largitur. Accedit, quòd (vt idem dicit Anſelmus) deuotio erga Dei Matrem quoddam eſt peculiare electionis ſignum, eò nimirum, quòd illa circa ſuos deuotos valdè ſollicita ſit, & intenta, vt à peccatis præſeruentur; dum ipſi reſpondere velint gratiæ. Denique eſt omnium mortalium, in qualibet neceſsitate ſingulare perfugium. *Ille ſoius*, inquit Bernardus, *ô Virgo beata, tuas laudes ſileat: qui te fideliter inuocatam ſenſerit vnquam in ſuis neceßitatibus ſibi defuiſſe:* quaſi dicat, fore neminem. quis ergo non amet te, beata Mater? quis non ambiat tuus eſſe? Age: *In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis tuis mitte radices.*

Ioan. 2. 3.

Eccl. 24. 13.

PVNCTVM II.

QVòD Spiritus ſanctus ſingularem erga B. Virginem toti Eccleſiæ deuotionẽ inſpirauerit, quæ apparet. I. in genere cultus eidem exhibiti, qui vocatur *hyperdulia*: ſupra cultũ aliorũ ſanctorũ, infra diuinũ. Vnde etiã cõpellat eã peculiaribus titulis: *Mater miſe-*

I. Cultus Hyperduliæ.

ricordiae, vitae, dulcedo & spes nostra [illegible] ab ea, quae numerat distinti sunt; *Solue vincla reis, profer lumen caecis, mala nostra pelle, bona cuncta posce. & Iesum fructum ventris tui nobis ostende.* Nam pro gratia, quā pollet apud Filium, velut in potestate sua habere omnia existimatur. 2. apparet generalis deuotio ex tot

II. Templa ei dedicata B. Virgini.

templis, tamque magnificis in illius honorem extructis, & tot eius imaginibus piè dedicatis ac sumptuosè ornatis; approbante caelitus Numine per innumera miracula: nec non ex ordinibus integris Religiosorum sub eius nomine militantibus, totque alijs sodalitatibus eidem consecratis in quis & regnis totis.

III. Festa eius & B. Virginis.

III. Ex solenni frequentique memoria, quae colitur in Ecclesia, tot diebus festis institutis per menses ferè singulos, ac hebdomadatim in sabbatis; proprio item de Virgine officio ad recitandum omnibus proposito cū Indulgentijs quotidiano, & eo terno ad salutandā Virginem, signo publicè dato; Psalterio Virginis, & Corona in vsum receptis; officium Canonicum haud aliter ritè claudendo, quàm antiphona ad Virginem: praeter alia complura pia erga illi deuotionis exercitia. Qui certè sensus totius Ecclesiae tam generalis & propensus ritè commendatam reddit deuotionem erga sacratissimam Virginem Dei matrem.

De modis recitandi Coronam B. Virginis vel Rosarium.

2. Quid faciendum ante lectionem Rosarii.

Principio accersenda est ante oculos diuina praesentia, exhibitique intima reuerentia, &

cenda est gratia hoc obsequium dignè & fructuosè perficiendi, &c.

II. Deinde dirigenda intentio ad honorem diuæ Matris, & gratiarum actionem pro acceptis beneficijs & pro impetrandis nouis; & denique ad satisfactionem pro peccatis, quæ vltima pars cum applicatur alicui alij nihilominus priores semper locum habent. II.

III. Deinde percurrenda est vnaquæq; decas attentione adhibita ad verba singula; non solû vt rectè pronuntientur; sed vt bona aliqua cogitatio, sensusq; eliciatur. Post vnãquamq; verò decadẽ interponẽda est breuis meditatio velut condimentum, & excitamentum deuotionis, quæ triplex esse potest: atque inde tres modi recitandi coronam, siue Rosarium, existunt. III.

I. Sumi potest salutatio Angelica in tot particulas diuisa, quot sunt Decades in corona, atque ad singulas Decades interponi debet vna ex particulis meditanda: quod fiet iuxta modû orandi traditû, in introductione totius compendij. Aliàs adhibenda erit Oratio Dominica in petitiones distributa similiter secundùm Decades, deque singulis meditandum, sicut p 3. Medit. 14. ostenditur. Iuuat etiam variare, Cantico Virginis, Magnificat, secundùm versiculos distributo post quamlibet decadem: de quo p. 2. Medit. 12. I. Modus cû Medit. salutationis Angelicæ.

II. Modus vix differt ab isto, nisi in materia meditandi: nam sumuntur quindecim mysteria B. Virginis: quorum tria dicuntur gaudio- II. Modus cû 15. mysterijs B. Virg.

diosa · *Annuntiatio*, *Visitatio*, *Nativitas* Christi, *Præsentatio*, *Inventio* in templo: tria dolorosa, *Oratio* Christi in horto, *flagellatio*, *coronatio*, *baiulatio crucis*, *crucifixio*: tria gloriosa: *Resurrectio*, *Ascensio*, *Adventus Spiritus sancti*, *Assumptio* ipsius Virginis, *coronatio eiusdem*: quæ quoniam sunt quindecim, conveniunt Psalterio B. Virginis, quod quindecim constat decadibus, ac ita post singulas posset unum mysterium interponi, meditando. Nec opus est continuatè totum Psalterium decurrere, ac sufficit per partes imò, si libeat in uno mysterio post plures decades hærere, commodè sit. Quia licebit, præter dicta mysteria, subinde alia interponere, velut *Circumcisionem Christi*, *adorationem à Magis*, *fugam in Ægyptum*, *& reditum*; sed & ipsius Virginis *Conceptionem*, *Nativitatem*, *& Præsentationem*. Porrò modus circa ista meditandi est, qui solet, cùm ex professo tractantur in oratione, eliciendo documenta, & affectus, & semet per colloquia excitando, nisi quòd carptim hoc loco, non exactè ista fieri possunt.

III. Modus tertius virtutum B. Virg. meditatione.

Tertius modus, ut virtutes B. Virginis sint materia interponendæ meditationis. Ubi heroici actus singularum in B. Virgine expendendi erunt. Deinde mei defectus circa easdem. deniq. firmum propositum concipiendi meliorum.

Cæterùm isti modi diuturnius requirunt tempus, nec videntur subvenire tædio, quod ex eiusdem precationis tam frequenti

ro-

repetitione concipi solet, nec tamen attentionem circa verba ipsa, cùm decurritur Decas. Quare, cùm difficile sit, & non necessarium inhærere semper verbis, consuleretur difficultati & tempori parceretur, præsertim ab hominibus occupatis, si inter ipsam recitationem cuiusque Decadis vellerent mente mysterium illud, conando affici. Tenebit autem quisque modum, quem sibi vtilissimum senserit. Porrò illi modi tres vtiles videntur, maximè illis, qui ægriùs meditantur, & tamen vellent conari: nam per eam alternationem orationis vocalis, & aliqualis meditationis, vitabunt fastidium, & ex alterutro aliquatenus afficientur, & quasi manu ducentur ad meditandum.

MEDITATIO XXXIX.

Pro Festis Sanctorum.

Aliqua puncta generalia sunt, quæ aptari facilè poterunt.

PVNCTVM I.

ÆTERNA electio, & illius exequendæ modus, ac ratio, quam significat Paulus illis verbis: *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Prima igitur est *electio* gratuita ante mundi constitutionem, vt essent *Sancti, & immaculati in conspectu Dei*: vt in eis ostenderet diuinas glorię — Electio Sanctorum. Rom. 8. 29.

suæ. nam cùm id omnibus, qui saluantur, conueniat, præcipuè illis, quos Deus mirificare voluit etiam in terris.

II. Vocatio. Secunda est *Vocatio*, quæ varia extitit in diuersis Sanctis, & habuit semper aliquid singulare, quod in vnoquoque erit obseruandum.

III. Iustificatio. Tertia est *Iustificatio*: vbi consideranda sunt specialia dona cuiusque, & insignia sanctitatis. Agendæ porrò erunt Deo grates pro donis in eos collatis, gratulãdumq; ipsismet, nobis autem ex imitatione fructus colligendus.

IV. Glorificatio. Quarta est *Glorificatio*: vbi recoli poterit pretiosa illorum mors, & transitus ad beatam æternitatem.

PVNCTVM II.

SS. mortificatio. Mat. 16. 24. QVOMODO responderint gratiæ Dei sibi communicatæ, exequentes illud: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Vbi continentur tria: *Abnegatio sui, gestatio crucis* Dominicæ, *sequela Christi*: in quibus sancti excelluerunt. *Abnegatio* est mortificatio carnis, & appetitionum: In hac excelluerunt Sancti. nam si aliquando in peccato vixerunt, post conuersionem acri pœnitentia vindicarunt, quòd si ab initio præuenti gratiâ fuerunt, nihilominus contenderunt, carnem domare, & subiectam spiritui reddere, & leues etiam culpas seuerè castigare, Gal. 5. 24. *carnem suam crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs*. Nec modò appetitiones circa illicita frenarunt, verùm

etiam

etiam circa concessa, vt violentè cœlum raperent.

Baiulatio autem *crucis* in laboribus pro Dei gloria fortiter subeundis, difficultatibus superandis, atque aduersis tolerandis præcipuè spectatur. Denique *sequela* Christi, in studio illum imitandi, & voluntatem illius accuratè implendi, consistit. Ex quibus colligam confusionem mei ipsius, & proficiendi desiderium.

Imitatio Christi.

PVNCTVM III.

QVIBVS fauoribus Deus illos affecerit? Huc pertinent *visiones*, *reuelationes*, *gratia sanitatum*, *operationes virtutum*, aliaque extra ordinem communem. Deinde in ipsa morte peculiaris visitatio diuina, aut Angelorum, & prægustatio cœlestis suauitatis; post mortem autem honores publici decreti, & veneratio eis exhibita à potentatibus, qui eos olim despexissent. Præterea, in die Iudicij honorifica sessio, & exaltatio, præter id, quod intrinsecus latet.

Liberalitas Dei in Sanctos.

PARS

PARS SEXTA

DE PERFECTIONIBVS *Dei & Beneficijs.*

INTRODVCTIO AD MEditationes VI. Partis.

DE MYSTERIIS DIuinitatis, & feruentibus amoris & gratitudinis affectibus.

MEDITATIONES, quæ in hac sexta parte traduntur, spectabunt potissimum diuinitatem, Trinitatem, & opera, quæ à Deo in hominum vtilitatem procedunt, non exclusis tamen nonnullis humanitati proprijs, quæ his ipsis, propter connexionem, quam cum illis habent, adiungentur.

Et quamuis ea, quæ in alijs partibus (circa Christi Humanitatem versantes) continentur, debili nostræ naturæ magis conueniant, præsentes tamen sextæ partis considerationes in seipsis longè sunt excellentiores, quibus Angeli, Beati in cœlis, ac perfecti etiam in hac vita degentes maximè delectantur, atque in seipsis flagrantem *Dei amorem*, (qui est proprium huius sextæ partis ac viæ vnitiuæ finem)

rerum

rerum cœlestium meditationem augent, atq; perficiunt.

Qualis autem hic affectus, quo Deo seruimus, esse debeat, tradit breuiter *S. Basilius*, dicens, debere esse *desiderium vehemens, insatiabile, stabile, atq; immotum seu perseuerans.* Quatuor videlicet illius conditiones insinuans, quarum prima est, vt sit desiderium *non tepidum* aut remissum quale pigrorum esse solet; & de quo Sapiens: *Desideria occidunt pigrum*; sed *vehemens*, fortè efficax, quale feruentium esse solet, vt non desistat nisi, ope perficiat, idque perfectè atque exactè. 2. Vt sit *insatiabile*, ne in faciendo, aut perferendo paucis contentus sit; sed ad plura se extendat, remoto non tantùm tædio atque fastidio, sed excitata fame, quæ numquam dicat: *sufficit.* 3. Sit *stabile*, ne facilè moueatur, vt is de quo Sapiẽs *vult & non vult piger*: qui varia experitur, eaque præ tædio relinquit sine vlla stabilitate, quæ ad perfectionem omnino requiritur. 4. Sit constans & perseuerans ad mortem non dimittendo, luxando intepescendo, ob tentationes aut persecutiones, sed pectore firmo se opponat: sicut ceruus ad fontes aquarum contendens per dura & aspera, donec sitim restinguat. Has conditiones habet Christus D. (vt ex 3. & 4. parte constat) cuius exemplum (vt Domini ac Magistri) nobis sufficere deberet. Quanquam S. Basilius ibidem duas adhuc considerationes adijciat. 1. vt versetur circa magnalia, perfectiones at-

In reg. Breuior. Reg. 157.
Desideria pia qualia esse debeant.
1.
Prou. 2.
2.
Prou. 30.
3.
Prou. 17. 4
4.
Psalm. 4.
Aliæ duæ conditiones.

que excellentias Dei, quibus affectus amoris, laudum, seruitij & obedientiæ excitatur, si nó modo infinito (prout Deus mereretur:) at *pro nostra fragilitate* agnoscentes eũ superualere.

Eccli 43.32.

II. II. Vt occupetur præcipuè circa beneficia, quæ ex tali amore (scilicet vehementi, insatiabili, constanti) nobis donantur: sic enim lege gratitudinis ad similia reddenda (si nobis possibile foret) obligaremur.

Effectus harum cõsiderationum.

Ex his S. Basilius colligit, sensim hisce considerationibus generari perfectum amorem, quo Deus à nobis diligi desiderat, scilicet ex toto corde, mẽte, anima, fortitudine, omnibus viribus; si omnes nempe sensus interni & externi, cunctaq; membra in eius amore (eo quo possunt modo) occupentur; dum scilicet memoria, intellectus, appetitus sensusq; oẽs affectui amoris deseruiunt, donec ita radicetur, ac fũdetur, vt nulla creatura separare possit, imò nec flumina (Cant. 8. 7.) obruere valeant, sed potiùs augeant. Hęc complectitur via vnitiua, quæ huius sextæ partis finis est. Quamuis enim amor ille præcipuè Spiritus S. donũ sit, ex parte tamen nostra cellæ diuini amoris propinquamus binis quasi alis sublati, puta meditatione perfectionum Dei, ac beneficiorum eiusdem in nos: & vtriusque meditatio ita connexa est, vt vna sine altera perfectè non habeatur.

Eph. 3. 17.
Rom. 8. 39.

MODVS

MODVS MEDITANDI Dei beneficia ex affectu grati-tudinis.

VT beneficiorum infinitatem agnoscas, teque gratum exhibeas, quinque potissimùm consideranda sunt. 1. *infinita* Dei *ma-nitudo*: vnde fit, vt minimum beneficium à anto Domino magni faciendum sit. 2. *infinitas moris*, ex quo confert, & seipsum quasi simul lonat. rem amatam ingrediēdo, semperq; paatus est maiora adijcere. 3. ipsius *beneficij ma-nitudo*, quæ suo modo infinita est, vel numero, vel excellentia. Quia quædam continent oona innumera, vt mundi creatio, conseruatio: quædam complectuntur excellentiã nfinitã, vt incarnatio, redemptio, SS. Eucharistiæ glorificatio; proque his omnibus gratiæ agendæ. pro pusillis (ait S. Bernardus serm. in Cant.) quia neutro sunt infinita, & quamuis parua videantur, alio nomine sunt maxima. 4. *Infinita* eius cui conferuntur *vilitas hominis*, scilicet miseri, ingrati & indigni, cuius Deus memor sit, vt iure cum S. Augustino (Soliloq. 1. 10.) dicat: *quis ego sum Deus, vt laudem te? nempe puluis & cinis, putredo & vermis.*

Quinque considerationes de beneficijs diuinis. 1. 2. 3. 4.

5. *Infinita Dei* in conferendo beneficio *liberalitas*, quia gratis donat, non exspectando cõmodum ab eo, cui donat, idq; tribuit, nõ tantùm immerenti, sed sæpè mala merito, & hoc non vno, sed infinitis modis propter peccata atq; ingratitudinem. Et cùm peccator tantus 5.

sit Dei hostis, tamen non fatigetur ei benefaciendo quotidie. Hæc indicauit Christus illa
Ioan.3.6. sententia: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* In qua quinque sunt verba, quæ hæc quinq; indicant, vt 2.p. *med.*2. *dictũ.* Pro his beneficijs ex parte nostra restat sola *gratitudo*, cuius tres sunt actus: 1. agnoscere beneficium. 2. laudare benefactorem 3. præstare obsequia gratis.

Quin imò *gratitudo* nostra, vt plena sit, debet esse *vniuersalis*, vt (1.Tim.2.) *nominibus gratiæ agantur*, nullo beneficio prætermisso, nec pro me solo, sed etiam pro omnibus hominibus.

Tria genera creaturarum.

Et quoniam *creaturarum tria* sunt *genera.*
1. 1. quædam creaturæ gratias agere volunt, & possunt (vt *Angeli* & *beati* in cœlo, imò & *animæ purgatorij*, & iusti in hac terra versantes.
2. 2. quædam possent gratias agere, sed nolunt, idq; vel ex ignorantia (vt fit in idololatris, qui Deum verum ignorant, & infidelibus) aut ex malitia, sicut accidit in damnatis tam Dæmonibus, quàm hominibus
3. .3. ac postremò quædam non possunt aut velle, aut actio ipso gratias reddere (quia intellectu carent, vt beneficia comprehendant) quales sunt cœli, elementa, plantæ, animantes.

Pro beneficijs ergo, quæ his omnibus conferuntur, gratiæ nobis agendæ, coniungendo nos cum creaturis primi generis, & supplendi ignorantiam & malitiam secundi generis, atque impotentiam tertij i,nuitando tamen

eas ad laudes, vt hac ratione nos ipsos excitemus ad laudandum & glorificandum Deum, vtendo ea forma, *Deo gratias*, quam ex Apostolo (Ephes. 5. 4.) sæpe vsurpat Ecclesia in Missa & horis, quamque S. Aug. (Ephes. 7. 7.) vehementer laudat.

MEDITATIO I.

Quòd Deus sit.

PVNCTVM I.

I. ACCEDENTEM *ad Deum oportet credere, quia est.* id omnes creaturæ clamant; ac, si per singulas percurras, audies dicentes: *ipse fecit nos & non ipsi nos.* Quemadmodum, si per elegantem imaginem, aut opus aliud insigne prospicias, statim cogitas, a peritissimo artifice profectum fuisse, & aues illum nosse, ac de ipso quæris, ita conspecto hoc admirabili cœli terræque globo, quæque in eo sunt, subit animum esse quoddam primum, & inaspectabile principium, & effectorem, qui non frustra, sed certi finis gratiâ id opus molitus sit, & assidua gubernet prouidentia: cuius pernoscendi, fruendiq; desiderio meritò exardescas.

I. *Heb.* 11. 6. Omnes creaturæ Deum esse dicunt. *Psal* 99. 3. Simile.

II. Ergo oculos in altum attolle, & audi, quemadmodum *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* quin *interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondit tibi, & narrabunt pisces*

II. *Psal.* 18. 1. *Iob* 12. 7.

maris. Respondebunt autem, quis ignorat, quòd omnia hæc fecerit manus Domini?O audiam hasce voces, & ferar in auctorem totus

III. Inuitatio ad laudandũ Deum. *Dan.* 3. 57. *Isai.* 12. 6.

III. Quin prouocabo creaturas omnes ad laudandum opificem suum: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. O habitatio Sion! exulta & lauda, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* O anima mea, ascende tanquam super speculum, & cōtemplare quicquid est. Et vide, quia in medio omnium Deus est, vt in singulis cognosci valeat. *Non enim sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra* Gratias agam, quòd hanc sui cognitionem impertiuerit.

Act. 14. 16.

PVNCTVM II.

1. Homo ex se Deum cognoscit. *Psal.* 138. 6. *Psalm.* 4. 7.

1. QVÒD peculiariter ex homine ipso, tāquā minori mūdo, cognoscatur Deus, iuxta illud: *mirabilis facta est scientia tua ex me.* In primis, *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiā in corde meo* Hoc est, lumen rationis, tanquam splendor quidam Diuini vultus, ab eo procedens, per quod cognoscimus, quid sit bonum, & amplectendum, ac præcipuè ipsum, qui est summum bonum, & regula in nostris actionibus omnis bonitatis. Nam proprium est, & solius hominis, præ cæteris creaturis corporeis, vt Deum agnoscat.

2. Ex potentijs & sensibus.

2. Hoc lumen consequitur inclinatio homini indita, ad bonum cognitum prosequendum,

dum, ac proinde ad rectè viuendum secundũ rationem, ac præcipuè ad Deum amandũ, quæ est prima, ac summa rectitudo, vnde cæteræ actiones regulantur. Huius luminis fulgura-tioné prohibent peccata, illud obnubilãtia, & simul lætitiam cordis, quę ex testimonio bonæ conscientiæ solet oriri, ac potissimum ex dilectione Dei. nam fructus Spiritus sunt charitas, gaudium, pax. Contrà autem ex malefactis oritur aculeus conscientiæ. Gal. 5. 22.

3. Deinde ipsa corporis humani architectura, partium innumerabilium proportio, connexio officia, tum sensuum, ac potentiarũ externarum ac internarum mira varietas, in vnum conspirans finem, planè supremũ quendam Architectum digito demonstrans; vt verè Dauid: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* 3. Ex corporis structura. Psal. 34.10.

4. Sed præ his Spiritus ipse immortalis corpori inspiratus ducit hominem in supremi ac purissimi Spiritûs notitiã, quo mundus iste continetur, ac viuificatur; de quo scriptũ est: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & qui continet omnia, scientiam habet vocis*: præbens nimirum lumen, vt ex effectis suis cognoscatur, & prædicetur Deus. Igitur in spiritu hominis considerandæ sunt tres nobilissimæ potentiæ, ***Memoria, Intellectus, & Voluntas***, quarum operationes minimè sunt corpori alligatę, sed exspatiantur liberè ad cœlos vsq;, & naturæ abdita rimãtur, quò sensus ipsi nõ perueniunt, excogitant artes, inueniunt di- 4. Ex spiritu hominis. Sap. 1.17.

sciplinas,rerumq; agendarum, ac moderand hominũ ipsorum mentes,modum rationemq; reperiunt. Ex quibus efficitur,hominis animũ extra ordinem corporeorũ esse immaterialẽ, inuisibilẽ,atq; immortalem,qui proinde,corpore soluto,subsistat ipse,atque permaneat.

5. 5. Hinc idem ipse noster spiritus intelligit, necessariò esse alium quendam spiritum, ex quo ista participet, siquidem ea non habet ex se, & qui similiter totum mundum regat, impertiatque vitam, & motum, tametsi non vt forma, aut pars ipsius mundi, & qui tandem sine mundo esse posit, vt ante illũ fuit, multò melius, quàm anima sine corpore. Namq; hæc naturali caret perfectione, cùm exuta est corpore. *Verè Domine, mirabilis facta est scientia tua ex me.* Psal. 138.6.

PVNCTVM III.

1. Motus sublunares Deum demonstrant.

1. NON solùm bona vtriusq; mũdi, magni & parui, sed mala etiam nos in Deum ferunt. Terrores de cœlo, fulgura, fulmina, aëris iniuriæ, & intemperies, maris tempestates, terræ motus, morbi, bella, fames, & quicquid ingruit malorum, dum, velut naturali instinctu permouent ad quærendam ex alto opem, quasi arrepta manu ad Deum nos ducunt: quare sapienter & piè Iosaphat Rex: *cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paral. 20. 12.

2. Pugnæ in corpore.

2. Deinde in ipso quoque paruo mundo, interna pugna carnis & spiritus, passionum & rationis, pronitasq; ad peccandum, admo

nent

nent nos supremi opitulatoris Dei, ad quem oporteat confugere, modò vincere velimus. Quamobrem homo inter prospera & aduersa constitutus, ex vtrisque ad Deum contendat. Dum bona ab vno Deo auctore recognoscit, mala autem nō, nisi eiusdem ope amoliri posse confidit, quod est *pugnare*, vt ait Paulus, *per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris*, & ex vtrisque, siue bonis, siue malis, fructum capere cognitionis Dei. 2. Cor. 6. 7

Hæc viua notitia, quòd Deus sit, & assidua eius veritatis memoria, frænum est vitiorum, calcar virtutum. Attestatur Dauid: ***Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*** quid autē inde consecutum? ***corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.*** Nam, si in aliqua Republica nec superiorem, nec vindicem esse vllum homines intelligerent, planè in vitia diffluerent; ita nisi credāt, & præ oculis habeant, Deum esse. ***Sic***, inquit Iob, ***via omnium, qui obliuiscuntur Deum.*** Contra verò: ***memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum; defecit spiritus meus.*** Porrò peccatores ***confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.*** Ego & verbo, & opere confitebor. Psal. 13. 1. Iob 8. 13. Psal. 76. 4. Tit. 1. 16.

MEDITATIO II.

Quòd Deus sit æternus, & qui est.

PVNCTVM I.

1. EST æternus, quod significatur illo Dei nomine: *Qui est.* nam Moysi quærenti 1. Deus AEternus.

nomen ipsius, qui apparebat in rubo, respon-
Exod. 3.14. dit: *Ego sum, qui sum. Et dices Filijs Israel. Qui est* misit me ad vos. Vocatur ergo: *Qui*
Ante mundum. *est*: quia nunquam non est. Fuit ergo ante mundum, & omnem creaturam, non paruo aliquo interuallo, sed si annorum millia millionum fingas, ante illa fuit, quia semper fuit.
Dan. 7.9. vnde & vocatur: *Antiquus dierum*; quia quidquid aliquando cœpit esse, nouum est.

2. Immutabilis. 2. Deinde perseuerat esse absque mutatione vlla, & variatione: quod est, verè & simpliciter esse, quippe nullatenus deficiente ipsius esse. vnde iure vocatur *Qui est*.
Mala. 3.6. Iacob. 1. 7. *Ego Dominus, & non mutor, & apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Psal. 101.28. 3. Sine fine. 3. Postremò; *Erit semper*: *Tu Domine idem ipse es, & anni tui non deficient.* Atque hæc est æternitas, fuisse semper, vt non cœperit aliquando esse, & desiturum esse nunquam, vt nihil ei decedat, vel accedat, quia vtrumque est imperfectionis. nam, si accedat, non habuit esse perfectum, si decedat aliquid de esse, fiet imperfectum esse.

Glorificabo igitur ipsum cum cœlestibus choris supplici confessione dicens:
Apoc. 4.8. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, Qui erat, Qui est, & Qui venturus est.* Et quia peccator, quantum in se est, vellet quodammodo Esse Dei destructum, quò impunè peccaret, dolebo, me fuisse talem; gaudebo autem de ipsius æternitate.

PVN-

PVNCTVM II.

QVòD solus DEVS sit æternus, quia essentialiter est *Qui est.* vnde dicitur: *qui solus habet immortalitatem.* Res cæteræ ex se ipsis habent, vt non sint: vnde ab alio debent accipere, vt sint: nempè à Deo, *Qui est*: & illo subtrahente manum, recidunt in suum nihilum. *Vanitati creaturæ subiecta est, & sicut vestimentum omnes veterascent; Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur, substantia mea tanquã nihilum ante te.*

1. Dei esse à seipso. *1. Tim. 6. 16.* *Rom. 8. 20.* *Psal. 103. 29* *Psal. 101. 27.* *Psal. 38. 6.*

2. Hoc est fundamentum verę humilitatis, & submissisimæ subiectionis erga Deum: Diffidentiæ sui, fiduciæ in Deo, contemptus proprij, & Diuinæ excellentiæ admirationis. Nunquam efferetur ob vlla bona, qui seriò cogitauerit, quid sit ex se. 2.

PVNCTVM III.

EO quòd DEVS est, *Qui est*, continet in suo Esse omnes perfectiones absque compositione, modo simplicissimo & perfectissimo: vt præ illo creata omnia *sint quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ*, vt dicit Isaias. Tanti sunt res, quæ corda mortalium ad se rapiunt, posthabito ipso Deo! quin potius illi adhæresco, *Qui est*, vt nõ deficiam vt in eo omnia possideam, omnium posthac creaturarũ *detrimentũ faciam, vt illũ lucrifaciam.*

Dei esse excedit omnia. *Isa. 40. 15.*

O *Qui es*, qui nomẽ hoc ineffabile, nõ Abrahã, Isaac, & Iacob, sed Moysi manifestasti pro *Exod. 6. 3.*

singu-

Digitized by Google

singulari beneficio fac, illius vim penitus intelligam, vt post odorem illius curram.

MEDITATIO III.

Quòd Deus sit infinitus, & incomprehensibilis.

OPPORTVNE consideratio infinitatis & incomprehensibilitatis DEI suscipitur, vt circa Deum humana mens non præsumat, quando nouerit, eũ nõ posse comprehẽdi. Sunt porrò duo modi aliquid efformandi, vel appositione, vel detractione. pictor apponendo colores, figurat imaginem; sculptor detrahendo à rudi ligno, aut lapide segmenta Sic Deum cogitare possumus; vel tribuendo ipsi perfectiones, quarum vestigia conspiciuntur in creatis; atque ita vocando bonum, sapientem, iustum; vel amouendo ab ipso imperfectiones creaturarum, dicendoque ipsum infinitum, incomprehensibilem immensum. Est doctrina Areopagitæ de Mystica Theol. cap. 3. & de diuinis nominibus cap. 7. Ac de hoc secundo modo cognoscendi Deum procedet ista meditatio.

PVNCTVM I.

DEVS non est, vt quæ sensibus percipi possunt; non pulcher, vt astra; non lucens, vt sol; non magnus, vt corpora; non suauis, vt cibi & concentus; non denique, vt ali-

quid

quid istorum: sed supra hæc. Quare ipse ait: **Cui similem fecisti Deum? & cui aßimulasti, & ad aquasti me, dicit sanctus? dicant omnia ossa mea: Domine, quis similis tibi?** *Isai. 40. 18. 25. Psal. 34. 10. & 85. 8.*

PVNCTVM II.

I. A SENSIBVS externis ad internos transi, vel etiam ad intelligendi vim, tum hominis, tum Angelorum. Nihil est eorum Deus; nec qualia sunt, quæ ab illis capiuntur; sed supra illa. I.

II. Proinde cogitabo, quòd cognitio Dei in hac vita, & ex creatis, dicitur caligo & nebula. nam, cùm supremum attigeris gradum: id tandem intelligis, non esse Deũ, vt ista; sed supra ista: quod non est scire, *quid sit*; sed, *quid non sit*. Et hoc est, quòd *Moyses* dicitur *ascendisse ad caliginem, in qua erat Deus*. Et *ingressus in medium nebulæ ascendit in montem*. Et *Dominus dixit, vt inhabitaret in nebula*. Quia etsi *lucem inhabitet*, at *inaccessabilem*. II. *Exod. 20. 21. 24. 18. 3. Reg. 8. 12. 1. Tim. 6. 16*

III. Igitur non est bonus, iustus, non sapiens, non potens, non aliquid eorum quà homo aut Angelus esse potest; aut quale intelligit: sed quid inæstimabiliter maius. Vnde Iob: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*. Nam si, vt ait Sapiens: *difficile æstimamus quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit?* in hac caligine & nebula libenter morabor, gaudens, quòd tantus sit Deus meus, vt non sim sufficiens cognoscendo. Supplebo amando, III. *Iob 36. 26. Sap. 9. 16.*

do, quod minus valeo intelligendo. Suspirabo ad illum statum, quando *non iam in ænigmate; sed facie ad faciem cognoscam: sicut & cognitus sum.* 1. Cor. 13. 12.

PVNCTVM III.

I. I. NON solùm Deus non est vt creata, quantumuis perfecta, sed est infinitè supra illa in quouis genere perfectionis. quod est dicere: non solùm est supra omnia, sed infinitè supra omnia: *Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis.* proinde & incomprehensibilis. nam Angeli, cum sint substantia & virtute finiti, quod infinitum est, comprehendere nequeunt. Et ita quando etiam reuelata facie cernitur, non potest comprehendi. Quo sensu Apostolus dixit: *quem nemo vidit vnquam; sed nec videre potest.*

Psal. 144. 3. Prou. 3. 25. 1. Tim. 6. 16

II. II. Vbi aduerte, quòd in secundo puncto etiam dicebatur Deus non posse capi; sed id ex comparatione creaturarum: at modò consideratur incomprehensibilis simpliciter; etiam, cùm in se ipso clarè cernitur in gloria: quia creata intelligentia, etsi potest eleuari; atque sustolli, vt non iam ab effectis, sed ipsam in se cognoscat diuinitatem: tamen, quia creata est & finita, non potest exhaurire cognoscendo infinitatem diuini Esse.

III. III. Hinc est, quod Seraphini apud Isaiam ex senis alijs *duabus* tantùm *volabant, duabus autem faciem Dei, & duabus alijs pedes operibant*: quia Deus incomprehensibilis est, tum

ex

ex effectis suis tum ex facie sua, quando etiam illam datur conspicere. pedes sunt creaturæ ab eo conditæ; facies autem, visio beatifica: vbi cernitur sicut est. Sed in vtraque cognitione opertus est: quia ex effectis non intelligimus, quid sit; sed, quòd ex ijs non sit; quæ sensibus, aut mente percipiuntur. In visione autem clara etiam latet incomprehensibilis Maiestas; quatenus exæquari intelligendo, nisi à se ipsa, non potest: vt nec infinitum à finito.

PVNCTVM IV.

I. AESTIMANDVM est beneficium, quòd Deus nobis de se reuelauerit; tum ista, non excedentia humanum lumen, quò certius & sine errore à nobis perciperentur tum alia, supra captum. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* & ad hoc misit Filium: *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* I. Dei bonitas in reuelando. *Psal. 50. 8.* *Ioan. 1. 18.*

II. Hinc gaudium concipiam de tanta gloria Dei mei; gratusque existiam, quòd se mihi reuelarit. Deinde excitabo, exerceboque fidem, ideò credens, quia ipse reuelauit. II.

III. Denique spem illuc perueniendi, vbi non amplius in ænigmate, sed apertè credita conspiciam facie & faciem. Quin in hac vita assequi possum clariorem mysteriorum intelligentiam: dum studeam mentis puritati. Nam *beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* III. *Matt. 5. 8.*

MEDITATIO IV.

Quòd sit vnus Essentiâ, trinus personis.

PVNCTVM I.

I. Deus noster vnus est. I. QVòD sit vnus essentia. 1. quia vnum est summum bonum, in quo sunt omnes rationes boni. nam, si aliud ab illo esset, tunc careret ea ratione boni, qua alterum ab ipso differret; & ita non esset omne bonum; sed limitatum, ac proinde, non esset Deus. 2. In hac veritate fundatur debitum amandi Deum ex toto corde, & supra omnia, quia ipse est vnum, summum, atque omne bonum, de quo participant creaturæ, quod habent bonitatis. Et ita sicut ex Deo sunt bonæ; ita propter illum diligenda bonitas ipsarum, non aliter; quod est amare ipsum bonum creatum in suo fonte potius, quàm in se ipso: amatur enim in se ipso, non in Deo; quando ratio amandi, non est Deus ipse; sed sistit affectus in bono creato secundùm se quod facit omnis peccans; vnde dicitur, *frui vtendis* à D. Augustino: frui enim est, ibi quiescere; non aliò referre, oportet autem vti bono creato ad fruendum bono increato.

II. Deus vnus & solus. II. Quia vnus tantùm Dominus, & gubernator mundi esse potest: alioqui, si plures, dissidere possent voluntate, & alter alteri repugnare: ex quo mundi ordo non subsisteret.

Omne

Omne enim regnum in se diuisum desolabitur: Luc. 11. 17.
quòd si subordinatus vnus esset alteri, iam non esset Deus, qui subijceretur: quia nec supremus Dominus. In hac veritate fundatur Præceptum illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nemo potest duobus Dominis seruire:* quia possunt contraria præcipere; vnde oportebit vni obedire, & alterum contemnere. est igitur vnus Deus, vnus Dominus. vni seruiam.

Deut. 6. 13. Matt. 6. 24.

III. Deus legislator supremus.

III. Vnus supremus legislator, & Iudex, & finis vltimus esse debet. si plures legislatores: cuinam conformari oporteret? Si Iudices: nulla foret suprema sentẽtiã; si plures fines: vnus non expleret, satiaretve hominẽ: & sic neuter esset finis vltimus. In hac veritate fundatur, quòd vna esse debet nostra intẽtio, & in vnum tendens. Colligam, quàm infelices sint Idololatræ, qui vnum Deum ignorant. Item, qui, cùm non ignorent, ventrem, aut pecuniã pro Dijs colunt. Studebo cogitationes, desideria, studia omnia in vnum dirigere. *quid turbaris erga plurima? Vnum est necessarium.* Complectar omnes charitate non ficta, quando vnum omnes habemus Deum, principium, finem: *Numquid non vnus Deus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrûm fratrem suum?*

Luc. 10. 41. Malac. 2. 10.

PVNCTVM II.

I. Deus vnus, & trinus.

I. QVÒD sit trinus Personis. Hîc debet captiuari intellectus in obsequium fidei. licet autem ita ratiocinari: Deus est infi-

mum bonum, in quo sunt omnes creaturarũ perfectiones eminentius, absq; imperfectionibus earundem: Igitur est *vnum*, sine diuisione: quæ est imperfectio; & *plures* sine diuersitate, quæ est etiam imperfectio. nam, quæ diuersa sunt, eorum quoduis caret alterius bono Habent ergo vnam essentiam, sapientiam, potentiam voluntatem, & quidquid boni est; nec in eo diuiduntur: sunt tamen plures, quò bono etiam societatis inter se fruantur; & plures sunt per communicationem; quâ Filius à Patre, & ab vtroque accipit Spiritus sanctus Diuinitatem: Sicque illud etiam bonum in Deo reperitur, quod semel communicat, non ad extra tantùm, per quandam participationem limitatam; sed intra etiam per totius substantiæ communicationem.

II. ffectus. II. Hinc primò concipiam admirationem ex incomprehensa Maiestate: cuius si sapientia, & iudicia incomprehensibilia sunt, quomodo non eius Esse & Diuinitas? Domine adauge fidem, quò valeam intelligere: intelligam, vt amem.

III. III. Deinde concipiam gaudium de arctissima illa vnitate inter Diuinas personas: quibus associari, & vnum fieri, pro modulo, cupiam. Nam & Christus ita orauit: *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Id etiam fiet, si quẽadmodum Patris, & filij, & Spiritus sancti est
m. 17. 11. vnum sentire, & velle: ita meum sit idem cum illis per omnia. Fiam etiam vnum cum superioribus meis, qui locum Dei tenent, confor-

mitate

mitate iudicij & voluntatis: item cum fratribus meis, idem sapiendo, & dicendo. Quare exprimam viuam imaginem illius vnitatis & amicitiæ, qua inter se Diuinæ personæ communicant.

PVNCTVM III.

I. MODVS processionis diuinarum personarum. PATER intelligendo seipsum, clarè, & perfectè, format sui imaginē adæquatam; non accidentariam, vt quam format homo rei conceptæ; sed substantialem, quæ sit idem cum substantia Patris intelligētis; quòd in Deo nihil accidentale esse possit. Hæc igitur imago, vt prodiens à PATRE cōcipiente seipsū, dicitur, & est FILIVS Est etiā VERBVM; quia mētis quidā partus; & sapiētia, quia per notitiā, qua se PATER cōprehendit, exprimitur. Hinc *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, & imago inuisibilis* nominatur.

I. Modus cōsiderandi mysterij.

Heb. 1.3. Colos. 1. 15

II. Rursum PATER hanc sui imaginem contemplans, in eaque communicatam cernens omnem suam perfectionem substantialiter; fertur in illā amore adæquato, hoc est, infinito: Et vicissim verbum cernens in Patre eandem naturam, tanquam in principio communicātē, pari impetu amoris impellitur: isq; impetus reciprocus SPIRITVM SANCTVM spirat. Est enim ille impet' cōmunicatiuus' illius ipsius boni, in quod fertur; & cōmunicādo producit tertiā Personam diuinitatis, quæ vocatur AMOR, quia amādo producitur, & est amoris quasi termin', seu amor terminat'. Nā

II.

& in creatis ſicut intelligẽdo producitur verbum, ſeu conceptus expreſſus; ita amando producitur quædam in rem amatam ſiue propenſio, ſiue magis quies, ſed in creatis vtrumque eſt accidens; in Deo autem eſt ipſamet Dei ſubſtantiale.

III. III. Igitur ab vna ſubſtantia, quam Pater in ſe habet, & ex ſe: Filius autem & Spiritus ſanctus per communicationem, dicuntur omnes tres, & ſunt vnus Deus, vnus creator, vnus ſanctificator, vnus glorificator. Sunt autem ab æterno omnes, quia non liberè, ſed naturaliter; eò quòd eſt PATER, generat: ipſeque, & Filius ſpirant. Idcirco nulla eſt inter perſonas prioritas exiſtentiæ; ſed ordo tantùm proceſsionis. Quia verò omne ac infinitum bonum in ſe continent, non opus habent creaturis ad partem aliquam felicitatis: ſed ſui boni inamiſsibili poſſeſsione beatæ ſunt: quo fruuntur comprehendendo inuicem, & amando ex omni æternitate.

Colloquium ad Patrem.

I. Cum Patre Isai. 66. I. Approbando quod ait; *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* parit autem vnicum, non plures filios: quia eſt generatio adæquata; qua totum eſſe communicat; non ſimile, ſed idem omnino: Neque idem pluribus communicare poteſt generando: quia vna eſt tantùm ſui ipſius notitia, & comprehenſio, qua gignit; non alia, atque alia; & ita ſemel dicit PATER, quod cõprehendit; non ſæpius:

proin-

proindeque vnum est tantùm illius Verbum, & Filius.

II Porro, ô Pater æterne, quantopere tibi II.
complaces in hac generatione, in hoc Filio? Nã Prou.10.1.
si filius sapiens lætificat Patrem, quantò hic Matt.3.17.
magis te, cùm sit ipsa sapientia? ideo in Iorda- Psal.2.7.
ne, & in monte testificatus es: Quia *hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Et ad ipsum ais, *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* istud *hodie* omnem continet durationis differentiam, præteritum, præsens, & futurum: quia æternitatem significat. Ergò ab æterno, & nunc, & in perpetuum gignis filiũ! quia semper manet & est illa notitia, & comprehensio, qua procedit ex te Filius. Quin in nobis, postquam mens nostra formauit verbũ intelligendo, dum hoc permanet, à mente formante procedit, desinit autem, cùm mens desinit formare. Tu autem, PATER æterne, nũquam desinis, neque desinere potes comprehendere te; atque ita producis verbum indefectibile, prout tu ipse es: *Verbum enim Domini manet in æternum* Hæc est paternitas, à qua 1.Pet.1.25
omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra Ephes.3.15
Ad exemplar istius nos quoque efficimur adoptione filij, fratres autem Christi. O totus mundus transeat in adoptionem tuam, Pater æterne, ô Pater luminum, cuius splendor est filius tuus: per hunc, & propter hunc illumina cor meum, vt *cognoscam te verum Deũ, & Filiũ tuũ Iesum Christũ*: quo sim filius lucis & a- Ioan.17.3.
liquãdo te videã in lumine tuo facie ad faciẽ.

2. perseueret. 2. vt in apprehensam bonitatem totus ferar per amorem, eique inhæream. Vt
Can.3.4. sponsa, *inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Hinc sequetur fruitio, & gaudium, quale promittitur in cœlo, ex similitudine diuina. Ibi enim *similes Deo erimus,*
1.Ioan. 3.2. *quia videbimus eum, sicuti est.* quam similitudinem nunc ex parte assequi possumus, sicut
1.Cor.13.9. *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.*
3. 3. sicut diuinæ personæ ineffabiliter sibi inhærentes, vnum habent velle, & sentire: ita ego per hanc cum Deo internam communicationem non aliud velim, quàm quod ille. Et quia Deus sic intra se sibi sufficientissimus est, vt tamen ad creaturas se diffundat; ita ego cupiam alijs quoque prodesse. Hoc vocatur otium animæ, quia vacat strepitu, & sollicitudine exteriorum; & est negotium omnium
Psal. 45.11. præstantissimum, ad quod inuitamur: *vacate & videte, quia ego sum Deus.*
1.Ioan.5.7. *Tres* igitur *sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus:* ipsi testificantur de se, vt in mundi creatione & præ-
Gen.1.6. cipuè hominis, *quem fecerunt ad imaginem & similitudinem suam,* in Christi Baptismo, & transfiguratione.

MEDITATIO V.

Quòd Deus sit infinitè perfectus.

PVNCTVM I.

Deus perfectissimus. PERFECTVM dicitur, cui nihil deest, quod ei cõmunicari posit & debeat Deu[illegible]

proculdubio perfectus est, ac proinde habet, quæ ei conuenire possunt: conuenit autem ipsi omnis omninò ratio Entis, quo fit, vt omnis in illo sit, siquidem est Ens perfectum, cui nihil deest, quod ad eius perfectionem faciat. Differt igitur à creatura, quacunque etiam possibili, quòd hæc, cùm limitata sit, perficitur certis rationibus, Deus autem cùm sit Ens illimitatum, non potest concipi perfectus, nisi omnia in se contineat. Quare dicitur: *ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Deus meus, & omnia, cur quæram aliquid extra te, quando in te habeo omnia? in Deo igitur sunt tãquam in Ente simpliciter perfecto, & simul tãquam in Idea & principio efficiente, ex quo omnia: agit enim vnumquodque, secundùm quod habet in se: quia nemo dat, quod non habet, habet autem Deus omnia eminentiori modo, quàm sint in seipsis.

Rom. 11. 36.

PVNCTVM II.

In Deo eminenter perfectiones creaturarum.

ET *reliqua huius Medit.* Speciatim in Deo sunt omnes perfectiones corporum inanimatorum, ac proinde potest sine illis agere, quidquid illa agunt. Deinde viuentium, sentientium, & intellectualium creaturarum: omnes autem sunt in Deo vna simplex infinitaque perfectio, vti in aureo nummo continentur multi minuti nam si distinguerentur, vna excluderet alteram, & singulæ finitæ essẽt & limitatæ. Sic enitar omnes meas actiones, quasi vnum facere per intentionem, qua soli

do, quod minus valeo intelligendo. Suspirabo ad illum statum, quando *non iam in ænigmate; sed facie ad faciem cognoscam: sicut & cognitus sum.* 1. Cor. 13. 12.

PVNCTVM III.

I. I. NON solùm Deus non est vt creata, quantumuis perfecta; sed est infinitè supra illa in quouis genere perfectionis. quod est dicere: non solùm est supra omnia, sed infinitè supra omnia: *Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis.* proinde & incomprehensibilis. nam Angeli, cum sint substantia & virtute finiti, quod infinitum est, comprehendere nequeunt. Et ita quando etiam reuelata facie cernitur, non potest comprehendi. Quo sensu Apostolus dixit: *quem nemo vidit vnquam; sed nec videre potest.* Psal. 144. 3. Prou. 3, 25. 1. Tim. 6. 16

II. II. Vbi aduerte, quòd in secundo puncto etiam dicebatur Deus non posse capi; sed id ex comparatione creaturarum: at modò consideratur incomprehensibilis simpliciter; etiam, cùm in se ipso clarè cernitur in gloria: quia creata intelligentia, etsi potest eleuari; atque sustolli, vt non iam ab effectis, sed ipsam in se cognoscat diuinitatem; tamen, quia creata est & finita, non potest exhaurire cognoscendo infinitatem diuini Esse.

III. III. Hinc est, quod Seraphini apud Isaiam ex senis alijs *duabus* tantùm *volabant, duabus* autem *faciem Dei, & duabus alijs pedes operiebant*: quia Deus incomprehensibilis est, tum

ex effectis suis tum ex facie sua, quando etiam illam datur conspicere. pedes sunt creaturæ ab eo conditæ; facies autem, visio beatifica: vbi cernitur sicut est. Sed in vtraque cognitione opertus est: quia ex effectis non intelligimus, quid sit; sed, quòd ex ijs non sit; quæ sensibus, aut mente percipiuntur. In visione autem clara etiam latet incomprehensibilis Maiestas; quatenus exæquari intelligendo, nisi à se ipsa, non potest: vt nec infinitum à finito.

PVNCTVM IV.

I. AESTIMANDVM est beneficium, quòd Deus nobis de se reuelauerit; tum ista, non excedentia humanum lumen, quò certius & sine errore à nobis perciperentur tum alia, supra captum. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* & ad hoc misit Filium: *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* I. Dei bonitas in reuelando. *Psal*, 50. 8 *Ioan* 1. 18.

II. Hinc gaudium concipiam de tanta gloria Dei mei; gratusque existiam, quòd se mihi reuelarit. Deinde excitabo, exerceboque fidem, ideò credens, quia ipse reuelauit. II.

III. Denique spem illuc perueniendi, vbi non amplius in ænigmate, sed apertè credita conspiciam facie & faciem. Quin in hac vita assequi possum clariorem mysteriorum intelligentiam: dum studeam mentis puritati. Nam *beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* III. *Matt*. 5. 8.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO IV.

Quòd sit vnus Essentiâ, trinus personis.

PVNCTVM I.

I. Deus noster vnus est.

I. QVòD sit vnus essentia. 1. quia vnum est summum bonum, in quo sunt omnes rationes boni. nam, si aliud ab illo esset, tunc careret ea ratione boni, qua alterum ab ipso differret; & ita non esset omne bonum; sed limitatum, ac proinde, non esset Deus. 2. In hac veritate fundatur debitum amandi Deum ex toto corde, & supra omnia, quia ipse est vnum, summum, atque omne bonum, de quo participant creaturæ, quod habent bonitatis. Et ita sicut ex Deo sunt bonæ; ita propter illum diligenda bonitas ipsarum, non aliter; quod est amare ipsum bonum creatum in suo fonte potius, quàm in se ipso: amatur enim in se ipso, non in Deo; quando ratio amandi, non est Deus ipse; sed sistit affectus in bono creato secundùm se quod facit omnis peccans; vnde dicitur, *frui vtendis* à D. Augustino: frui enim est, ibi quiescere; non aliò referre, oportet autem vti bono creato ad fruendum bono in creato.

II. Deus vnus & solus.

II. Quia vnus tantùm Dominus, & gubernator mundi esse potest: alioqui, si plures, dissidere possent voluntate, & alter alteri repugnare: ex quo mundi ordo non subsisteret.

Omne

Omne enim regnum in se diuisum desolabitur. quòd si subordinatus vnus esset alteri, iam non esset Deus, qui subijceretur: quia nec supremus Dominus. In hac veritate fundatur Præceptum illud: ***Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nemo potest duobus Dominis seruire***: quia possunt contraria præcipere; vnde oportebit vni obedire, & alterum contemnere. est igitur vnus Deus, vnus Dominus. vni seruiam. *Luc. 11. 17.* *Deut. 6. 13.* *Matt. 6. 24.*

III. Vnus supremus legislator, & Iudex, & finis vltimus esse debet. si plures legislatores: cuinam conformari oporteret? Si Iudices: nulla foret suprema sentétiã; si plures fines: vnus non expleret, satiaretve hominẽ: & sic neuter esset finis vltimus. In hac veritate fundatur, quòd vna esse debet nostra intẽtio, & in vnum tendens. Colligam, quàm infelices sint Idololatræ, qui vnum Deum ignorant. Item, qui, cùm non ignorent, ventrem, aut pecuniã pro Dijs colunt. Studebo cogitationes, desideria, studia omnia in vnum dirigere. *quid turbaris erga plurima? Vnum est necessarium.* Complectar omnes charitate non ficta, quando vnum omnes habemus Deum, principium, finem: *Numquid non vnus Deus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; nostrûm fratrem suum?* III. Deus legislator supremus. *Luc. 10. 41.* *Malac. 2. 10.*

P V N C T V M II.

I. QVÒD sit trinus Personis. Hîc debet captiuari intellectus in obsequium fidei. licet autem ita ratiocinari: Deus est infi- Deus vnus, & trinus.

 nitum

finitum bonum, in quo sunt omnes creaturarũ perfectiones eminentius, absq; imperfectionibus earundem: Igitur est *vnum*, sine diuisione: quæ est imperfectio; & *plures* sine diuersitate, quæ est etiam imperfectio. nam, quæ diuersa sunt, eorum quoduis caret alterius bono Habent ergo vnam essentiam, sapientiam, potentiam voluntatem, & quidquid boni est; nec in eo diuiduntur: sunt tamen plures, quò bono etiam societatis inter se fruantur; & plures sunt per communicationem; quâ Filius à Patre, & ab vtroque accipit Spiritus sanctus Diuinitatem: Sicque illud etiam bonum in Deo reperitur, quod semel communicat, non ad extra tantùm, per quandam participationem limitatam; sed intra etiam per totius substantiæ communicationem.

II. Affectus. II. Hinc primò concipiam admirationem ex incomprehensa Maiestate: cuius si sapientia, & iudicia incomprehensibilia sunt, quomodo non eius Esse & Diuinitas? Domine adauge fidem, quò valeam intelligere: intelligam, vt amem.

III. III. Deinde concipiam gaudium de arctissima illa vnitate inter Diuinas personas: quibus associari, & vnum fieri, pro modulo, cupiam. Nam & Christus ita orauit: *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Id etiam fiet, si quem-
Ioan. 17. 11. admodum Patris, & filij, & Spiritus sancti est vnum sentire, & velle: ita meum sit idem cum illis per omnia. Fiam etiam vnum cum superioribus meis, qui locum Dei tenent, confor-

mitate

mitate iudicij & voluntatis: Item cum fratribus meis, idem sapiendo, & dicendo. Quare exprimam viuam imaginem illius vnitatis & amicitiæ, qua inter se Diuinæ personæ communicant.

PVNCTVM III.

I. MODVS processionis diuinarum personarum. PATER intelligendo seipsum, clarè, & perfectè, format sui imaginē adæquatam; non accidentariam, vt quam format homo rei conceptæ; sed substantialem, quæ sit idem cum substantia Patris intelligētis; quòd in Deo nihil accidentale esse posit. Hæc igitur imago, vt prodiens à PATRE cōcipiente seipsū, dicitur, & est FILIVS Est etiā VERBVM; quia mētis quidā partus; & sapiētia, quia per notitiā, qua se PATER cōprehendit, exprimitur. Hinc *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, & imago inuisibilis* nominatur.

I. Modus cōsiderandi mysterij.

Heb. 1.3. Colos. 1. 15.

II. II. Rursum PATER hanc sui imaginem contemplans, in eaque communicatam cernens omnem suam perfectionem substantialiter; fertur in illā amore adæquato, hoc est, infinito: Et vicissim verbum cernens in Patre eandem naturam, tanquam in principio communicātē, pari impetu amoris impellitur: isq; impetus reciprocus SPIRITVM SANCTVM spirat. Est enim ille impet' cōmunicatiuus' illius ipsius boni, in quo d fertur; & cōmunicādo producit tertiā Personam diuinitatis, quæ vocatur AMOR, quia amādo producitur, & est amoris quasi termin', seu amor terminat'. Nā

& in creatis ſicut intelligẽdo producitur verbum, ſeu conceptus expreſſus; ita amando producitur quædam in rem amatam ſiue propenſio, ſiue magis quies, ſed in creatis vtrumque eſt accidens; in Deo autem eſt ipſamet Dei ſubſtantiale.

III. III. Igitur ab vna ſubſtantia, quam Pater in ſe habet, & ex ſe: Filius autem & Spiritus ſanctus per communicationem, dicuntur omnes tres, & ſunt vnus Deus, vnus creator, vnus ſanctificator, vnus glorificator. Sunt autem ab æterno omnes, quia non liberè, ſed naturaliter; eò quòd eſt PATER, generat: ipſeque, & Filius ſpirant. Idcirco nulla eſt inter perſonas prioritas exiſtentiæ; ſed ordo tantùm proceſsionis. Quia verò omne ac infinitum bonum in ſe continent, non opus habent creaturis ad partem aliquam felicitatis: ſed ſui boni inamiſsibili poſſeſsione beatæ ſunt: quo fruuntur comprehendendo inuicem, & amando ex omni æternitate.

Colloquium ad Patrem.

I. Cum Patre *Iſai. 66.* I. Approbando quod ait; *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* parit autem vnicum, non plures filios: quia eſt generatio adæquata; qua totum eſſe communicat; non ſimile, ſed idem omnino: Neque idem pluribus communicare poteſt generando: quia vna eſt tantùm ſui ipſius notitia, & comprehenſio, qua gignit; non alia, atque alia; & ita ſemel dicit PATER, quod cõprehendit; non ſæpius:

proin-

proindeque vnum est tantùm illius Verbum, & Filius.

II Porro, ô Pater æterne, quantopere tibi complaces in hac generatione, in hoc Filio? Nã *si filius sapiens lætificat Patrem*, quantò hic magis te, cùm sit ipsa sapientia? ideo in Iordane, & in monte testificatus es: Quia *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et ad ipsum ais, *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* istud *hodie* omnem continet durationis differentiam, præteritum, præsens, & futurum: quia æternitatem significat. Ergò ab æterno, & nunc, & in perpetuum gignis filiũ: quia semper manet & est illa notitia, & comprehensio, qua procedit ex te Filius. Quin in nobis, postquam mens nostra formauit verbũ intelligendo, dum hoc permanet, à mente formante procedit, desinit autem, cùm mens desinit formare. Tu autem, PATER æterne, nũquam desinis, neque desinere potes comprehendere te; atque ita producis verbum indefectibile, prout tu ipse es: *Verbum enim Domini manet in æternum* Hæc est paternitas, à qua *omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra* Ad exemplar istius nos quoque efficimur adoptione filij, fratres autem Christi. O totus mundus transeat in adoptionem tuam, Pater æterne, ô Pater luminum, cuius splendor est filius tuus: per hunc, & propter hunc illumina cor meum, vt *cognoscam te verum Deũ, & Filiũ tuũ IesumChristũ*: quo sim filius lucis & aliquãdo te videã in lumine tuo facie ad faciẽ.

II.
Prou. 10. 1.
Matt. 3. 17.
Psal. 2. 7.
1. Pet. 1. 25
Ephes. 3. 15
Ioan. 17. 3.

Colloquium ad Spiritum sanctum.

TVes per excellentiam Spiritus, vitam à Patre & Filio accipiens,qua illi viuunt, quæ est diuinitas ipsa : accipiendo autem gaudes,prout illi dando, omnes pari & vno gaudio gaudentes, quia vnus estis Deus, & de vno gaudetis bono,quod ipsimet estis.

Procedis, vt impulsus quidam,quia amando spiraris à Patre & Filio: sed non ideò foras prodis, sed in vtroque manes; procedis enim, vt amor Patris ad Filium, & vicissim Filij ad Patrem,&,cùm intra Deum procedas,& in eo maneas,necessariò es Deus.

Vocaris *sanctus*, quia es amor diuinus, qui est vera sanctitas, certè nos eò sancti sumus, quòd Deum amamus, sicut oportet. Huius igitur amoris inspirator, cùm sis ipsemet amor, singulariter *sanctus* diceris, quippe fons sanctitatis.

Vocaris per excellentiam ***Donum,quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*** Tu ergò donaris nobis,quando charitas donatur. Dona te mihi libenter,liberaliter,dilata cor meum, vt impleatur à te,& de te. *Rom.5.5.*

PVNCTVM V.

1. De mentis oratione ad similitudinem Trinitatis.

QVòD oratio mentalis ad similitudinem istius mysterij conformari debet. 1. vt mens Deum, quoad fieri potest, perfectè concipiat intra se ipsam,& in ea contemplatione

2. perseueret. 2. vt in apprehensam bonitatem totus ferar per amorem, eique inhæream. Vt
Can. 3. 4. sponsa, *inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Hinc sequetur fruitio, & gaudium, quale promittitur in cœlo, ex simi-
1. Ioan. 3. 2. litudine diuina. Ibi enim *similes Deo erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* quam similitu-
1. Cor. 13. 9. dinem nunc ex parte assequi possumus, sicut *ex parte cognoscimus, & ex parte propheta-*
3. *mus.* 3. sicut diuinæ personæ ineffabiliter sibi inhærentes, vnum habent velle, & sentire: ita ego per hanc cum Deo internam communicationem non aliud velim, quàm quod ille. Et quia Deus sic intra se sibi sufficientissimus est, vt tamen ad creaturas se diffundat; ita ego cupiam alijs quoque prodesse. Hoc vocatur otium animæ, quia vacat strepitu, & sollici-
Psal. 45. 11. tudine exteriorum; & est negotium omnium præstantissimum, ad quod inuitamur: *vacate*
1. Ioan. 5. 7. *& videte, quia ego sum Deus.*

Tres igitur *sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: ipsi testificantur de se, vt in mundi creatione & præ-
Gen. 1. 6. cipuè hominis, *quem fecerunt ad imaginem & similitudinem suam*, in Christi Baptismo, & transfiguratione.

MEDITATIO V.

Quòd Deus sit infinitè perfectus.

PVNCTVM I.

Deus perfectissimus. PERFECTVM dicitur, cui nihil deest, quod ei cõmunicari possit & debeat Deu[illegible]

proculdubio perfectus est, ac proinde habet, quæ ei conuenire possunt: conuenit autem ipsi omnis omninò ratio Entis, quo fit, vt omnis in illo sit, siquidem est Ens perfectum, cui nihil deest, quod ad eius perfectionem faciat. Differt igitur à creatura, quacunque etiam possibili, quòd hæc, cùm limitata sit, perficitur certis rationibus, Deus autem cùm sit Ens illimitatum, non potest concipi perfectus, nisi omnia in se contineat. Quare dicitur: *ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Deus meus, & omnia, cur quæram aliquid extra te, quando in te habeo omnia? in Deo igitur sunt tâquam in Ente simpliciter perfecto, & simul tâquam in Idea & principio efficiente, ex quo omnia: agit enim vnumquodque, secundùm quod habet in se: quia nemo dat, quod non habet, habet autem Deus omnia eminentiori modo, quàm sint in seipsis. *Rom. 11. 36.*

PVNCTVM II.

ET *reliqua huius Medit.* Speciatim in Deo sunt omnes perfectiones corporum inanimatorum, ac proinde potest sine illis agere, quidquid illa agunt. Deinde viuentium, sentientium, & intellectualium creaturarum: omnes autem sunt in Deo vna simplex infinitaque perfectio, vti in aureo nummo continentur multi minuti nam si distinguerentur, vna excluderet alteram, & singulæ finitæ essēt & limitatæ. Sic enitar omnes meas actiones, quasi vnum facere per intentionem, qua soli

In Deo eminenter perfectiones creaturarum.

Matt. 6. 22. Deo placere in omnibus velim. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidũ erit.* Item in quouis bono opere plures iungam affectus bonos qui me ad id impellant, vt vnica actio sit multiplex virtus.

MEDITATIO VI.

Quòd Deus sit summè bonus.

Gen. 1. 31. BONITAS est duplex, naturalis & moralis. de priori: *Vidit Deus omnia, quæ fecit, & erant valdè bona.* habebant scilicet, quicquid naturæ cuiusq; cõueniebat, quo fiebant amabilia. Moralis autem bonitas inest actionibus liberis, vt debitè fiant, & ex recta ratione. Cæterum Deo hæc etiam bonitas est naturalis, & essentialis, cùm homini sit aduentitia, ab eaq; possit deflectere.

PVNCTVM I.

Dei bonitas in tribus. QVÒD Deus est summè & infinitè bonus
1. 1. quia omnem rationem bonitatis in se cõtinet, sicut & essendi. Vnde ad Moysen Deus,
Exod 33. 19. *ostendam tibi omne bonum.* 2. quia per essentiã
2. habet, ac proinde indefectibiliter. 3. quòd crea-
3. turæ, præ illo, non sint bonæ, sicut nec sunt: nam limitata est bonitas illarum, & participata, ac defectibilis. quare Christus, *Nemo bo-*
Luc. 18. 19. *nus nisi solus Deus.* & apud Iob: *Inter sanctos*
Iob 15. 15. *eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius.* Hinc quiuis coram Deo humiliari debet licèt sanctus: quia *Sanctus, San-*
Isa. 6. 3. 4. 5. *ctus Sanctus, Dominus Deus exercituum* Non

est sanctus, vt Dominus, nec est alius extra te. 1. *Reg.* 2. 2.
Sanctitas autem est bonitas moralis.

PVNCTVM II.

SPECIALIVS licet discurrere per singulas virtutes, easque in Deo cogitare, absq; imperfectionibus simulq; vnitas: nam hoc habēt virtutes, vt quando ad summum veniunt, sint inuicem connexæ & colligatæ, trahantque se mutuo, vt annuli in catena. Deinde quòd virtutes in Deo sunt exemplar nostrarum: quare nostræ eò sunt perfectiores, quò exemplari diuino similiores. Cæterùm solent quatuor genera virtutum distingui. 1. *Moralium*, in quibus spectatur conformatio ad regulam rectæ rationis. 2. *sublimiorum*, quibus aspiratur ad similitudinem Dei, cùm Christus dicat: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* 3. illarum, quæ hominem, iam assecutum illam similitudinem, comitantur, siue ex parte, vt in viris valdè perfectis in hac etiā vita; vel planè, vt in beatis. 4. Demum sunt ipsa exemplaria virtutum in Deo, qui proinde est etiam largitor virtutum, à quo & peti debent.

1. Idea plenitudo virtutum.

2. Iuda reliquarum.

Mat. 5. 48.

PVNCTVM III.

HINC est, quòd duplex illa iustitiæ pars, *declinare à malo, & facere bonū*, Diuinę bonitati maximè conuenit. quoad 1. non potest ipse peccare, nec peccati esse caussa, imò nec in natura assumpta potuit peccare, quòd repugnet bonitati Diuinæ, & infinitæ quoad 2. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & iustus*

Psal. 36. 27. Virtutes Dei purissimæ.

in

Psal. 144. 13. 14. *in omnibus vys suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et: *Sancti estote, quia ego sanctus*
Leuit. 19. 2. *sum.* æmulabor hanc sanctitatem, illud
Deut. 18. 13. memorans: *Perfectus eris, & absque macula*
Ephes. 5. 27. *cum Domino Deo tuo.* Talem voluit *Eccle-*
Cant. 4. 7. *siam* suam esse, *absque ruga & macula.* Et talem laudat: *Tota pulchra es & macula non est in te.* A sanctitate cognomen accipit tertia persona Diuina, vt *Spiritus sanctus* diceretur per excellentiam, & sub hoc nomine tota Trinitas laudatur: *Sanctus, sanctus, sanctus.*

MEDITATIO VII.

Quòd Deus sit, vt summè bonus, ita summè communicatiuus sui.

PVNCTVM I.

De Diuinis nomi. c. 4. BONVM *est diffusiuum sui,* teste Dionysio. Deus autem cùm sit summum bonum, ita maximè cõmunicatiuus sui, quod facit excellenter. 1. Quia liberè pro bona voluntate
Psal. 53. 8. sua, non coactè. Vicissim, ego *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* 2. Quia nullo suo emolumento:
Psal. 15. 2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* sequitur autem, *sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis:* quasi dicat, quia non poteram ei benè facere, conuertit voluntatem meam, vt sanctis eius benefacerem pro ipso. 3. Quia summè se cõmunicat pro modo suæ sapientiæ. sic & ego

PVNCTVM II.

COMMVNICAT se, dans esse naturale rebus, secundùm quatuor gradus, substantiæ corporeæ, viuentis, sentientis, & intelligentis; quos singulos diuersis creaturis tribuit, homini omnes, vt sint tanquam quatuor flumina ex fonte paradysi egredientia, ex summo bono, & irrigantia vniuersum mundum: quæ cùm in vno homine colliguntur, meritò requiritur ab eo, vt Deum amet ex toto corde pro bono corporis, ex tota anima pro bono vitæ, ex omnibus viribus pro bono sentiendi, ex tota mente pro bono intelligendi.

PVNCTVM III.

COMMVNICAT ampliùs se, dans esse supernaturali, idq́, quatuor etiam modis. 1. Dans esse *gratiæ*, qua Diuinæ efficimur consortes naturæ, & Filij Dei. 2. Esse *gloriæ*, in qua *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*. 3. Esse *personale* Verbi diuini, vt homo sit verus Deus. 4. Hoc Verbum Caro factũ est, communicatur ineffabiliter omnibus volentibus in Eucharistiæ mysterio.

Excellentius se cõmunicat.

2. *Pet.* 1. 4.

1. *Ioan.* 3. 2.

Ex his quatuor communicationis modis duo posteriores soli homini concessi sunt, non Angelis, quæ est prærogatiua singularis. Itaque homo non solùm factus est ad imaginem Dei per naturam, sed est factus imago Dei substantialis per vnionem hypostaticam. O si ego me vicissim totum communicem, red-

dam-

damq; Deo, vt vnde fluxerunt aquæ, ad Deum reuertantur.

Deinde obserua, quòd cùm conueniret, vt Deus hypostaticè se cōmunicaret cuiuis creaturæ, elegit hominem, in quo omnes creaturas sibi assumeret, quòd in eo sint omnes gradus essendi. Ergò omnes laudent illum: & ego præsertim exhibebo me sanctum, tum corpore, tum spiritu, quando in homine sic honorificauit Deus vtramque substantiam per vnionem Personalem.

MEDITATIO VIII.

Quòd Deus sit summè amabilis.

BONVM est, quod omnia appetunt, vt definit Philosophus, expetitur autē vel propter seipsum, vel propter vtilitatem, vel causa delectationis: vnde triplex bonum existit, honestum, vtile, delectabile.

PVNCTVM I.

DEVS est summè amabilis propter seipsum, quia est summè & infinitè bonus, & ipsa bonitas. Et est vltimatè propter seipsum amabilis, vt non ob alium finem debeat amari, cùm sit ipse summum bonum, sed alia omnia propter ipsum: siquidem est fons omnium, & ideò finis vltimus. 1. Sequitur non posse amari à creatura, quantum est amabilis, siquidem est infinitè bonus, sed à seipso tantū. O, amem saltem, quantum possum. 2. Debere amari saltem super omnia alia, & ita *ex toto cor-*

to corde mente, & viribus. 3 In illa bonitate posse spectari varias perfectiones, singulasq; infinitas, quasi totidē motiua amandi ipsum: est enim totus desiderabilis. 4. Quàm detestabile sit odisse Deum, in quo nihil odio dignum. vnde Dominus ait: *oderunt me gratis;* sine causa. nam quando etiam punit, amabilis est illius iustitia. *Ioan. 15. 25*

PVNCTVM II.

EST amabilis etiam ob vtilitatem nobis ex illo prouenientem. 1. Propter esse naturale acceptum, & quòd res omnes in vsum nostrum procreauerit. Cogita, te audire singulas tibi dicentes: *Da, & accipe, & iustifica animam tuam*: accipe me ipsam, tanquam Dei munus & vicissim, da animum gratum largitori, sicque iustitiæ partes implebis. *caue, ne sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* 2. Propter esse Gratiæ & Gloriæ. quòd si amorem illi debeo ob naturalia, quantò maiorem ob supernaturalia? si propter temporalia, quid propter æterna? si ob res extra ipsum positas, quid pro eo, quòd seipsum fruendum mihi dat? ô anima mea, da, & accipe! 3. Quia omnis ratio boni vtilis, quæ reperitur in creatis, in Deo est perfectiùs, & ab illo impertitur rebus. Si ergo amo creaturas, quà vtiles, ad finem aliquē consequendum, amem ipsum fontem magis, vbi bonum illud vtile est melius, & à quo accipio. *Eccl. 14. 16.* *Eccl. 4. 35.*

Cæterum motiuum hoc amandi Deum ob

vtili-

vtilitatem sic vsurpabo, vt non Deum referam ad meum commodum, tanquam ad finem, sed vt illam ipsius Dei bonitatem præcipuè amẽ, qua ille se in nos effundit.

PVNCTVM III.

DEVS est bonum summè delectabile. est autem delectatio actus quidam animi conquiescentis, & gaudentis de bono possesso: sequitur autem cognitionem, & amorem Dei, per quæ posside tur Deus.

1. Hinc 1. DEVS ipse, qui seipsum perfectè comprehendit, & amat, adæquatam infinito bono suo delectationem ex seipso percipit hoc est, infinitam. Porrò illius delectationis mens creata fit particeps, pro vt plus minus de noti-

2. tia Dei, & amore participat. 2. Oblectatur

Psal.103.31. communicando seipsum creaturis: *Lætatur Dominus in operibus suis.* & : *delecta-*

Prou. 8. 30.

Gen. 1. 31. *bar per singulos dies, ludens in orbe terrarum*; quod significat approbatio illa circa creata: *& erant valde bona.* Atque hoc ipso, quòd de nobis delectatur, redditur nobis ipse val-

Prou. 8. 31. de delectabilis, siquidem ait: *delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* 3. Quæcunque rationes delectabilium insunt creaturis, reperiuntur in Deo perfectiùs. Vnde potest per seipsum absque creaturis nos mirabiliùs delectare; quod & insinuat, quando promittit *centuplum.* quia inæstimabiliter maius gaudium confert relinquentibus terrenas oblectationes propter ipsum, quàm quod afferre possunt

omnia simul mundi delectabilia. 4. Cùm tam delectabilis sit Deus, & ipse tanta affluat delectatione, & delectabiliter se nobis cōmunicet, & nobiscum sit: planè conuenit vt, delectabiliter ipsi seruiamus. *Iubilate Deo: seruite Domino in lætitia; & introite in conspectu eius in exultatione. non enim habet amaritudinem conuersatio eius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*. & *hilarem datorem diligit Deus*. Disce, quàm abominabile sit, ob delectationem ex creaturis, posthabere summū delectabile, & infinitum. Et sunt, qui sic agūt, innumerabiles. *Absit à me: Ego in omnipotente delectabor*: & *exultabo in Deo Iesu meo*. 4. Psal 99.2. Sap.8.16. 2. Cor. 9.7 Iob.27.10. Habac.3.18.

MEDITATIO IX.

Qualem charitatem Deus habeat.

AMOR tres habet actus. 1. est *beneuolentiæ*, qua benevolumus amato, & in eo, quod habet, acquiescimus. 2. *concupiscentiæ* in rem, quam alicui, vel nobis cupimus. 3. *amicitiæ* inter plures, ob bonum, in quo communicant. quod si supernaturale sit, dicitur charitas. ex his oritur *beneficentia* erga *amatum*.

PVNCTVM I.

De Amore Diuino erga seipsum.

1. DEVS Amore beneuolentiæ amat seipsum, quantū est amabilis infinita eius

bonitas. qui amor rectissimus est & debitus: non vt amor proprius, quo creatura amat se præ Deo, illius postponens voluntatem. nempe amor in creaturam debet esse subordinatus amori in summum bonum, alioqui vitiosus est. 2. Inter diuinas personas est amor amicitiæ perfectæ. nam sunt æquales, & communicant in bono infinito, & habent vnum velle, quin vnum intelligere, & operari.

Gaudebo, quòd sit aliquis amor, quo Dei bonitas ametur, quantum est amabilis, nempe Diuinus, quo se Deus amat.

Deinde gratulabor mihi, quòd ex illo amore oritur, vt etiam amet nos, quasi quid sui. Ita vicissim amor noster erga Deum vrgere debet nos ad amandum proximum, quem ille sic amat; amor enim noster debet esse participatio Diuini: ergo sicut ille se amando, conuertit amorem in hominem; ita nos, Deum amando, debemus similiter in proximum conuerti.

PVNCTVM II.

QVOMODO Deus amat alia extra se. I. Differt modus amandi à nostro, quoniam Deus amando confert creaturis id ipsum, vnde sint amabiles: quare amare & benefacere in Deo sunt coniuncta. Amando cœlum, stellas, elementa, plantas, animantes, hominem, dedit esse, quod sint, & sic amat spontaneè, non ex necessitate. At ego, Domine,

mine, non valeo sic amare te, vt aliquid tibi conferam; amabo autem sic, vt, quod abs te accepi, totum in obsequium tuum impendam, nec non, vt proximis meis loco tui benefaciam.

II. Amat hominem præ alijs creaturis corporeis, quia homo est ad imaginem Dei conditus, similitudo autem est causa amoris. Hic dupliciter ad amandum Deum excitabor, &, quia fecit mihi magna, imaginem sui me faciens, & quia, si *omne animal diligit sibi simile*, quantò magis ego Deum, cuius similitudinem gero, & cui similem esse, tantæ est excellentiæ? *Eccl. 13, 19.*

III. Creaturas irrationales amat Deus amore concupiscentiæ, non amicitiæ, amat enim, vt seruiant homini, alioqui eas non producturus. Non sunt autem capaces, vt amentur amore amicitiæ, quia non possunt Deum redamare: voluit autem eas creare, vt ex illis, & in illis, homo amaret, laudaretque Deum. *Domine, quid est homo, quòd memor es eius? omnia subiecisti sub pedibus eius, quàm admirabile est nomen tuum!* Ideo admirabile, quia sic hominem amasti. quot sunt res, in singulis amasti hominem, & ego non te vicissim in singulis amabo? totidem donarem corda, si suppeterent totidem vitas. *Psal. 8. 5.*

(§)

PVNCTVM III.

QVÒD Deus nihil excludit à suo amore, sed amat omnem creaturam, eò saltem, quòd ab illo habet esse. Diligis omnia, quæ
Sap. 11. 25. sunt: & *nihil odisti eorum, quæ fecisti*: vnde & tribuit singulis, quæ à natura ei conueniunt. Hominem quoque peccatorem amat, tametsi minimè peccatum eius.

Hinc 1. petam à Deo, vt remoueat, quicquid ego mali adieci ad bonum naturæ, quod
Iob 10. 8. ipse contulit: ***manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me?*** Absit: sed tolle à me, vnde me præcipitas. 2. Discam amare omnes, & velle ijs suum bonum; tantùm peccatum odisse:
Matt. 5. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* 3. Imitabor Deum, qui omnia ex amo-
Sap. 11. 25. re operatur, sicut ait Sapiens: *Neque odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* & Dionysius:
Cap. 4. de Diuin. Nomin. Amor est causa omnium rerum, ac, si amaret Deus desineret, interirent omnia. Ego vicissim omnia opera mea, vt in charitate fiant, ela-
1. Cor. 13. 2. borabo, vt suadet Apostolus: alioqui, ***si charitatem non habuero, nihil sum***, perit fructus.

PVNCTVM IV.

QVÒD Deus hominem non solùm amauerit, sed amicum etiam suum fecerit.
I. Amicitiæ autem conditiones sunt istæ I. Debet esse inter æquales, & quia creatura infini-

tè in-

tè inferior eſt Creatore, quò nos eſſemus capaces amicitiæ Diuinæ: *maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficeremur diuinæ naturæ conſortes.* vnde animam iuſti vocare dignatur, *ſororem & ſponſam*, quæ ſunt nomina æqualium, vt paſsim Filius, imò Deus: *Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes.* quòd ſi Dauid iure miratur, quòd Deus hominē conſtituerit ſuper omnia bona ſua, & paulò minus ab Angelis minorem fecerit, quantò iſtud mirabilius, quòd æqualem Angelis per gratiam, & ſuæ naturæ conſortem effecerit. *2. Pet. 1: 4.* *Cant. 4. 9.* *Pſal. 81. 6.*

II. Amicorum eſt communicare in bonis vnde illud: amicorum ſunt omnia communia: certè Deus communicat ſua iuſto, quando naturam, gratiam, & gloriam confert, vt verè vſurpet illud: *omnia mea tua ſunt.* At iuſtus ex parte ſua non habet bona, quæ viciſsim communicet, niſi quæ à Deo ipſo acceperit: hæc igitur reddet, agnoſcendo ab illo omnia, atque in illius gloriam iiſdem vtendo. II. *Luc. 15. 31.*

III. Amici ſunt vnum, eſt alter ego, eſt vna anima in duobus corporibus, magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. hinc auent conuiuere mutuaque præſentia & colloquio frui, nihil inter ſe celant. Ita *qui adhæret Deo* per amorem, *vnus ſpiritus cum illo fit*, teſte Paulo. pro pupilla ſua iuſtos habet: *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*, quaſi dicat: vos eſtis oculi mei. Porrò *delitiæ* ſunt eius, *eſſe cum filijs hominum.* Et tandem to- III. *1. Cor. 6. 17.* *Zach. 2. 8.* *Prou. 8. 31.* *Ioan. 15. 14*

tum se eis aperit. *iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque accepi à Patre meo, nota feci vobis.* Quid autem, *cùm se reuelabit facie ad faciem*? ô Domine *quid est homo: quia sic magnificas eum? & apponis erga eum cor tuum!* O, valeam reddere vicem. sed quod minùs possum Deo exhibere, præstabo proximo meo propter ipsũ; imò ipsi Deo in proximo, exercens amicitiæ proprietates, & munia. Præstabo me æqualem & humanum etiam infimis: communicabo libenter cum illis quæcunque habuero, eisque proderunt, tum corporalia, tum spiritualia. Denique fiam cum illis vnum, vt & ipsi cum Deo sint vnum per charitatem.

Iob 7. 17.

MEDITATIO X.

De quatuor excellentijs Diuinæ Amicitiæ, & Charitatis.

Ephes. 3. 18.

HAE continentur verbis Apostoli: *vt possitis comprehendere, quæ sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum.* Est autem *longitudo* amicitiæ æternitas; *latitudo*, qua neminem excludit, sed omnibus patet; *sublimitas*, in cœlestium bonorum communicatione; *profundum* est abyssus secretorum, quæ amicis patescunt.

Digitized by Google

Hæ proprietates & excellentiæ non in humana, sed in diuina tantùm amicitia insunt, de quibus aliquid insinuatum in præcedenti meditatione: sed nunc ex instituto.

PVNCTVM I.

AMICITIA & Charitas Dei sunt æterna ex parte Dei, nam ex quo est Deus, amauit, quos creare constituit ; & gratia ac gloria donare, quantũ in se erat, sed præcipuè prędestinatos, vt verè dicat, *in charitate perpetua dilexi te.* ô si, ex quo ego sum homo, amasse illum! saltem, ne vlterius differam seriò amare amicum tam antiquum. verè monet Sapiens: *Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis ei.* Ier. 3. 8. Eccl. 9. 14.

Iam qui ab æterno amauit, proculdubio amauit prior: in quo charitas eius commendatur, sicut ait eius dilectus: *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Vnde sequitur, quòd non amauerit propter aliquod suum commodum, sed gratis : quia bonus est ipse. Colligit hinc Ioannes: *Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos.* Fiat, fiat. 1. Ioan. 4. 9.

Neque ab æterno solùm amat; sed in æternum. Et *misericordia eius ab æterno vsque in æternum*, vtique & amor. *quis nos separabit à charitate Dei?* inquit Paulus. Quis efficiet, vt nos Deus non amet? à quo amore accipimus Psal. 102. 27 Rom. 8. 35.

virtutem; *in omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Quod si à gratia excidamus; pergit amare, dum paratus est in gratiam nos
e.3. 1. recipere: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere, & ego suscipiam te.* ô Domine ita me ama, & ad hoc ama, vt te constanter amem; nec amandi te cursum interrũpam; multò verò minùs in fine abrumpam: sic fiet, vt neque mors, neque vlla creatura præualeat
m.13. 1. aduersum me. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexisti eos.* ô & me in finem dilige: da perseuerare in charitate.

PVNCTVM II.

LATITVDO charitatis Dei est infinita, sinu suo complectens omnes omnino homines: quia omnes vult saluos fieri, quantum
att. 5. 45. in se est: & *solem* iustitiæ, Filium suum, *oriri facit super iustos & iniustos,* & *pluit* doctrinæ illius imbre *super bonos & malos*; quin rece-
m.12.20. dentes à se blandè reuocat, & beneficijs demeretur: *congregans carbones ignis, super ca-*
b.11. 24. *put inimicorum suorum: dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: ita cum illis agens, ac si ignoraret eorum culpas, dum ad pœnitentiam eos adducit, suæque restituat amicitiæ. Nihilominus electos peculiari prosequitur amore; vnde dicit: *Iacob dilexi, Esau*
m. 9. 13. *autem odio habui.* Sed heu, *infernus dilatauit os*
i. 5. 14. *suum absque termino*, ô, claude, claude Domine Deus; & cœlum potius pande, vt repleatur domus tua.

Deinde

Deinde conſidera, quòd etſi amicitia humana, teſte Philoſopho, debeat eſſe inter paucos, quòd qui fideles amici ſint, non eſt reperire multos; & quia familiaris conuictus non poteſt eſſe ad multos: at diuinæ alia eſt ratio: potens eſt enim Deus ſibi multos parere ſinceros & fideles amicos : & ita ſingulis poteſt conuiuere, ſeq; ipſum cõmunicare, ac ſi vnus tantùm foret. quare de multitudine fidelium, tanquam de vna perſona, & ad vnam loquitur: *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* ô ſim columba per innocentiam, perfecta per charitatem; æmulabor diuinam, dilatans cor in amorem omnium abſque exceptione. Et omnes ſint mihi inſtar vnius amici, in Deo omnes complectendo. *Cant. 6.8.*

Pvnctvm III.

SVBLIMITAS charitatis eſt immenſa, vt dona communicata. Nam 1. *videte qualem charitatem dedit vobis Pater? vt Filij Dei nominemur, & ſimus.* quid ſublimius? & porrò ad dignitatem filiorum adiecit, quidquid decet Filio Dei: quod quantum ſit, non aſſequimur modò, teſte Ioanne: *Nunc Filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. ſcimus, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* 2. Amplius ſe extulit charitas Dei, *ſic enim dilexit mundũ, vt filium ſuum vnigenitum daret, & in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia filiũ ſuum v-* *1. Ioan. 3.1.* *Ioan. 3. 16.* *1. Ioan. 4.9.*

Digitized by Google

nigenitum misit in hunc mundum, vt viuamus per eum. Voluit Deus ex hominibus sumere, qui esset simul verus Deus, & talem cum homine amicitiam contrahere, quæ propria foret illi, qua diuinæ inter se personæ cohæres-cunt, illæ enim sunt vnum essentia: Deus autẽ & homo per Incarnationem, sunt vnum persona. In qua coniunctione & amicitia Christi hominis cum Deo fundatur nostra, quam cũ Deo contrahimus, nam quia Filiũ suum nobis per Incarnationẽ dedit, ideo *cum illo omnia nobis donauit.* Rom. 8. 33. ô charitas sublimis, quousque extolleris? qui est Deus verus, fit verus homo; vt in hoc Deo & homine adoptemur ipsi in filios, atque in amicos intimos adsciscamur. Fiã vnus ex istis! *Respice Domine in faciem Christi tui,* meque ad imaginem illius renoua. 3. adiecit charitas ad hæc, vt Deus in assumpta humanitate abderet sese sub speciebus panis & vini: quò mirabiliter in pectus & animam ipsam vniuscuiusque peruaderet, nexuque ineffabili iungeretur singulis. 4. ipsum Spiritum sanctum suum donat nobis, donorũ maximũ; & charitatem ipsam: vt postquam cætera dedit, fontem ipsum donorum effunderet in nos. Quid non hîc concipiã desideriorũ? quid non aggrediar? auscultabo monenti Apostolo: *hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu spirituali, vt probetis potiora: vt sitis sinceri; & sine offensa, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam, & laudem Dei.* Philip. 1. 9. Amen!

PVN

PVNCTVM IV.

PROFVNDITAS charitatis tanta eſt, vt Deum, quo nihil excelſius, humiliauerit ad humanam conditionem *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens & habitu inuentus vt homo,* quia enim amicitia quandam requirit æqualitatem, demiſit ſe Deus, *aſsimulatus per omnia nobis,* vt fiduciam præberet ſuæ amicitiæ conſequendæ. Hoc modo naturam noſtram aſſumere propter nos voluit; ſed etiam ærumnas, quia *maiorem hac charitatem nemo hab:t, quàm, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Impleuit ſupremum officium amicitiæ. Quanquam maius aliquid facit, non enim pro amicis id promerentibus mortem ſubijt, ſed pro inimicis; vt ſibi eos faceret amicos Et in hoc *commendat charitatem ſuã: quoniam cũ adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* ô charitas Dei verè patiens, verè benigna; ſed & in myſterio Euchariſtię Deus ſe profundè humiliat, vſque in noſtra ipſa viſcera ſe dimitti volens, ſecundũ viſcera charitatis ſuæ. Poſtremò, profunda etiã iudicia ſunt Dei, & viæ, per quas deducit amicos ſuos ad optatũ finẽ. Nã *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* etiã aduerſitates, & tentationes; nec non ſubinde ipſi lapſûs: vnde cautiores firmioreſq; reſurgunt. Et quis poſsit inueſtigare ſecreta prouidentiæ Dei erga ſuos amicos? Igitur *in charitate radicati & fundati æmulemur chariſmata meliora,* has Diuinę charitatis quatuor Excellẽtias; *Lõgitudinẽ,* vt ma-

Phil. 2, 7.
Heb. 2, 17.
Ioan. 15. 13.
Rom. 5. 8.
c. 8, 28.
Ephes. 3. 17.

neat per omnẽ vitã; *latitudinem*, vt nullũ hominẽ, nullũ genus officij nõ cõplectatur; *sublimitatẽ*, vt nihil sapiat terrenũ, Deũ in omnibus intueatur: denique *profunditatem*, vt velit etiam conculcari propter dilectum suum.

MEDITATIO XI.

Quòd Deus vult amari à nobis.

PVNCTVM I.

CHARITATIS quidem est amare potiùs, quàm velle amari; sed & hoc auet charitas Dei erga nos, vnde & præceptum cõdidit, quo iubet se amari, & quidem sine modo, *ex toto corde*, &c. Postquam ipse ita amauit, & de facto amat, & quò plus amatur, plus
Prou. 8. 17. amat. *Ego diligentes me diligo*; & pro dilectionis modo ego etiam diligo: nam quanto mamagis diligitur, plura confert, vnde diligatur.

Mat. 22. 37. Hoc præceptum vocat Christus *primum* & *maximum*, pluribus de causis. 1. quia est *fundamentum* reliquorum, & omnis perfectionis. 2. *dignitate*: quia sine charitate reliquæ virtutes
1. Cor. 13. 13. nihil sunt. 3. *merito*, quia *si distribuerem facultates in cibos pauperum, & corpus tradam, ita vt ardeam, nihil mihi prodest sine charitate.* 4.
Mat. 11. 30. *suauitate*: hinc enim *iugum Christi suaue est, & onus eius leue*; & charitatis fructus est *gau-*
Rom. 14. 17. *dium in Spiritu sancto.* 5. *efficacitate*: quia facit implere omnia præcepta. Vnde Christus, in hoc *tota Lex pendet & Prophetæ*; & *plenitudo*

legis

legis est dilectio, & finis praecepti charitas: quare monemur: *Omnia vestra in charitate fiant*. Si quidem tanti est, satagam, vt illud impleam perfectè, quod fiet, si remoueam omnem alium amorem à me, & quæcunque charitati aduersantur, aut eius feruorem remittunt. Deinde si accingar ad exequenda illa, vnde conseruatur & augescit. Rom. 13. 10. 1. Tim. 1. 5. 1. Cor. 16. 14.

Diligam igitur ex *toto corde*, mortificans quidquid est amoris proprij, & meam abnegans voluntatem, vt impleam diuinam, ex *tota anima* refrenans illius passiones, & seruire faciens Deo, ex *tota mente*, captiuans intellectum in obsequium fidei, & diuinæ voluntatis. Ex *omnibus viribus*, vt omnes facultates animæ impendam in Dei seruitium.

PVNCTVM II.

NON præcipit solùm, vt amemus: sed ipsam infundit charitatem, quâ id præstare possimus, & insuper inspirat per inspirationes internas ad amandum, vtendumque charitate infusa: vnde illa magis augeatur & roboretur.

Ampliùs confert charitatis fontem, Spiritum sanctum. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, & in hoc cognouimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*. Porrò Spiritus sanctus est in nobis, fouens donum suum, & ad operandum secundùm illud nos instigans. 1. Ioan. 4. 13. 16.

Digitized by Google

Quin Pater & Filius aduenient: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Conuiuunt personæ diuinæ amanti animæ per communicationem amicitiæ singularis ac intimæ, quali vniuntur inter se ipsæ.

Ioan. 14. 23.

O diligam te Domine, fortitudo mea. Si Deus charitas est, quid ea potest esse melius? si is, qui est in charitate, est in Deo, quid potest esse securius? & si Deus in eo est, quid potest esse lætius? quid itaque diligis, si talem charitatem non diligis?

PVNCTVM III.

LICET Deus id non præcepisset, amari debuit: at inuitat etiam præmijs amplissimis: nam cùm posuisset dilectionis mandatum subdit: *Vt benè sit tibi* non mihi inde benè, sed tibi. 1. mensura gloriæ datur pro mensura charitatis. *qui diligit me, ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* prout dilectio fuerit, ita erit manifestatio sui in gloria, quæ est beatitudo essentialis. 2. Dona & fauores Dei peculiares in hac vita promeretur charitas. vnde Sapientia; *in vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij; vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* 3. fouet Deus in nobis ignem charitatis, adiectione beneficiorum, tanquam materiæ optatæ: vnde magis inflammetur. *Ignem veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt ardeat?* hi sūt *funiculi Adæ,*

Deut. 10. 13.
Ioan. 24. 21.
Prou. 8. 20.
Luc. 12. 49.
Osea 11. 4.

la cha-

vincula charitatis, quibus nos trahit ad amandum se: vult enim in terra habere suos Seraphinos. O sim.4. Comminatur supplicia, nisi amemus: vt vel sic adigat, *qui non diligit, manet in morte.* Et *qui non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema*, maranatha. 1. Ioan.3.14. 1 Cor.16.22

Porrò Deus diligendus est, propter bonitatem suam præcipue; non propter spem mercedis, aut metum supplicij, licet tamen hoc quasi triplici vinculo se obstringere ad amandum; & propter bona, quæ nunc recipimus; & propter futura sperata, & ob mala declinanda.

MEDITATIO XII.

Quòd Deus sit infinitè misericors.

PVNCTVM I.

IN operibus Dei misericordia & iustitia vigent; sed magis illa iuxta illud: *Misericordia superexaltat iudicium*, vincit. Iacob. 2. 13.

I. Misericordia præcedit iustitiam: quia non plectuntur, nisi qui misericordia abusi sunt. *Numquid voluntas mea est mors impij & non vt conuertatur & viuat? Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum.* Ezec.18.23. & c.33.11. Sap. 1.13.

II. Comitatur vbique iustitiam, etiam in puniendo admiscet Deus misericordiam. *Nūquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* quasi dicat: nec in Psal.76. 10.

irascen-

irascendo desinet misereri. *Cùm iratus fueris,*
Hab.3.2. *misericordiæ recordaberis.* Nempe offert veniam, etiam tunc; & ad hoc castigat, vt resipiscam, & infra meritum flagellat: quin in ipso inferno citra condignum mulctat. est igitur misericordia veluti finis iustitiæ: nam & ex damnatione reproborum intendit & procurat salutem electorum, qui inde proficiunt.

III. Maiora Deus præstitit misericordiæ
Psal.144.9. documenta, quàm iustitiæ, vt mox dicetur. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Hinc fiduciam concipiam. oportet quidem iustitiam præ oculis habere, ne præsummam, sed præcipuè inhærebo misericordiæ: ad quam tanquam ad maius quodammodo tribunal
Heb.4.16. prouocabo, hortante Paulo. *Adeamus ergò cum fiducia thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

Misericors Dominus & iustus, & Deus no-
Psal. 114.5. *ster miseretur*, quasi dicat: sed præcipuè miseretur; *iustus Dominus & iustitias dilexit, æqui-*
Psal. 10.8. *tatem vidit vultus eius. Ego sum Deus zelotes,*
Exod. 20.5. *visitans patrum iniquitatem in filios, in tertiam & quartam generationem.* At sequitur: & *faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

PVNCTVM II.

AMPLITVDO diuinæ misericordiæ, quæ omnes creaturas complectitur, & omnibus miserijs subuenit: vnde misericordia

fun-

fundatur in omnipotentia. *Misereris omnium; quia omnia potes.* Bonum factum, quòd ambæ adsunt; vt cùm per misericordiam velit, per potentiam valeat opitulari. *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui; quia potestas Dei est; & tibi Domine misericordia.* Sap. 11.24. Psal. 61.12.

Ad omnes creaturas extenditur: quia *misericordia Dei plena est terra.* omnes res habent aliquem defectum; vnde misericordiâ Dei egent. de brutis; *homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Et: *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* At quantò magis hominibus impendet? vnde & ad Ionam ait, *Tu doles de hedera; & ego non parcam Niniue?* Psal. 32.5. Psal. 35.7. Psal. 146.9. Ion. 4.11.

Verè *Domine, melior est misericordia tua super vitas:* quia nihil nisi abs te venit. *Veniant igitur mihi miserationes tuæ & viuam.* Gaudeo, quia nihil est miseriarum, quod leuare non possit, & velit, pro ordinatissima sua prouidentia, quantum expedit mihi. Psal. 62.4. Psal. 118.77.

PVNCTVM III.

SIGILLATIM misericordia Dei erga peccatores expendenda est. De qua Sapiens: *Misereris Domine omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt; parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine qui amas animas.* Hinc colligũtur Sap. 11.24.

proprietates misericordiæ diuinæ. 1. est, quòd neminem excludit. *Misereris omnium Domine.* duas tantùm reddit caussas. 1. quòd omnes ab ipso facti 2. quia amat omnes.

2. Ad omnia peccata extenditur, quantumuis magna & multa. 3. quòd expectat patienter, dum resipiscat peccator: & non semel, aut
Mat. 18. 22. *septies sed septuagesies septies*, & infinities re-
Rom. 2. 4. cipit pœnitentem. Quæ *benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit*, non fræna laxat peccandi 4. Quòd misericordia Dei maximè se impendit eis, qui & ipsi misericordes sunt er-
Matth. 5. 7. ga proximos. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

PVNCTVM IV.

MISERICORDIA Dei erga electos,
Rom. 9. 23. quos Paulus vocat *vasa misericordiæ*
Psal. 102. 17. 1. est *æterna*, & *vsque in æternum, super timentes eum*: & quidem erga electos, omnino erga omnes quantum in ipso est. 2. Comitatur ele-
Psal. 58. 11. ctos ab ortu, & *misericordia eius præueniet*
Psal. 107. 5. *me*. 3. est altissima quia euehit ad summa: *Magna est in cœlo*, & super cœlos *misericordia*
Psal. 102. 11. *tua*. Et *secundùm altitudinem cœli à terra corroborauit Deus misericordiam super timentes se.*

PVNCTVM V.

DOCVMENTA diuinæ misericordiæ. 1. cùm Deus non esset capax affectûs tristitiæ, ex miserijs nostris: *voluit per omnia fratribus aßimilari, vt misericors fieret.* 2. non affectu tantùm, sed re cõmunicare voluit miserijs nostris: *Non enim habemus Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris; tentatum* autem *per omnia pro similitudine absque peccato.* 3. *memoriã fecit mirabiliũ suorũ misericors & miserator Dominus, escã dedit timentibus se.* Summa hæc misericordia, qua voluit esse cibus noster, medicina, hostia, & quid nõ! *Confiteantur tibi misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem repleſti bonis.* Heb. 2, 17. cap. 4. 15. Psal 110. 4. Psal. 106. 9

Siquidem Deus ita misericors est, imitabor ipsum pro viribus erga proximum, quod monet Christus ipse: *estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est:* quare cupiam dari mihi occasionem exercendi, vt cùm Dauid dicebat: *Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Dei inquit, qualẽ Deus exhibet. *O Pater misericordiarum, ostende nobis misericordiam tuam:* fac intelligamus illius magnitudinem, & experiamur in nobis, quò (?)anquam filij tibi similes in exercenda reddamur. Luc. 6. 36. 2. Reg. 9. 3. 2. Cor. 1. 3.

MEDITATIO XIII.

Quòd Deus sit infinitè liberalis.

PVNCTVM I.

Iacob 1.5. Dei liberalitas ex quibus cognoscitur?

EST summè liberalis: quia *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Spectatur in istis. 1. in multitudine donorum naturæ, & gratiæ. 2. in excellentiâ, siquidem se etiam ipsum dat 3. erga omnes absque acceptione personarum. 4. nullo debito tantùm quia bonus est, & per se propensus ad largiendum, vnde ab eo cœpit liberalitas. *quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* ait apud Iob. sicut Paulus: *quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 5. non spectat compensationem; quia *bonorum nostrorum non eget.* Quòd si requirit gratitudinem, facit, quòd iustitia id postulet, & quò plura largiatur. Similiter, si obedientiam, cùm sit summus legislator, iubet autem quæ nobis expediunt. Itaque sicut *nemo bonus, nisi solus Deus*: ita neque liberalis.

Iob. 41.2. *Rom. 11. 35.* *Psal. 15.2.* *Luc. 18.19.*

Studebo vicissim liberalem me exhibere Deo in omnibus quæ ei grata fore cognouero: idque *non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus:* neque spe retributionis, sed pro bonitate ipsius; & quia is maximè cupit, imò petit: *Fili præbe mihi cor tuum.* illud ei tradam, quia non alibi meliùs locari potest; cumque illo omnia mea desideria &

2. Cor. 9.7. *Prou. 23.16.*

affectus offeram, vti sponsa: *omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Can. 7. 13.

PVNCTVM II.

SINGVLARITER liberalis est in eos, qui ipsi se præstant liberales. 1. in eorũ exaudiendis orationibus: siquidẽ ipsi prompti sunt, placita ei præstare. 2. si nos immemores simus petẽdi, *ipse spiritus postulat pro nobis*: inspirãs, vt petamus, quia dare cupit. 3. dat etiam non petentibus: *antequam clament, ego exaudiam.* 4. replet consolationibus cœlestibus, in primis eos, qui eius caussa reliquerunt omnia. 5. prouidentiam eorum gerit singularem, peculiaremque in tentationibus & periculis: assumit ad magna opera: virtutes meritaque accumulat, quò liberaliùs remuneret; iuxta illud: *Date & dabitur vobis mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superaffluentem dabunt in sinum vestrum.* Vincit immensum liberalitas diuina nostrum. Ergo *non sit porrecta manus tua ad accipiendum & ad dandum collecta. Aperit* enim ille *manum suam, & implet benedictione.*

Deus liberal s erga eos qui ipsi sunt liberales. Rom 8. 26. Isai. 65. 24. Luc. 6: 38. Eccles. 4. 36. Psal. 103: 28.

PVNCTVM III.

QVAM ego sim parcus erga Deum. Petenti aquam Samaritana non dedit; sitienti in cruce Iudæi obtulerunt acetum. Sic ego, aut non facio, aut vitiosa facio. Percurram præcepta, consilia, regulas Instituti, præscripta superiorum, inspirationes diuinas. Par-

Deus parcus in te, quia tu parcus.

cum me præsto in omnibus, vt mirum non sit, si experiar Deum mihi parcum, si non exaudiar, si consolatione priuer, & bonis, quibus à Deo abundant liberales. Mihi dici cogitem à
Isa. 50. 2. Deo: *nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea vt non possim redimere?* nequaquam, sed tua me prohibet parcitas, & dolet, sic se cogi, ne sit liberalis. O expergiscar à torpore isto.

MEDITATIO XIV.

Quòd Deus sit immensus, & vbique præsens.

PVNCTVM I.

Dei immēsitas. DEVS est in omni loco. *Numquid non cælum & terram ego impleo?* & *spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* quare quocunque vadam, per Deum ipsum vado, & illic eum inueniam. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quin si millia millium orbium essent, omnes repleret: ita vt mundus hic pro puncto sit respectu spacij, quod replere potest. Quare Salomon: *Cæli cælorum te capere non possunt.* Viua fides huius præsentiæ efficax est, & iuuat eleuationem mentis ad Deum, iaculatoriè per interualla. Si fiat, quod de Moyse scribitur: *inuisibilem tanquam videns sustinuit.* & huc respexit Paulus,

Iere. 23. 24.
Sap. 1. 7.
Psal. 138. 7. 8.
3. Reg. 8. 27

Volo viros orare in omni loco. O, Israel quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis illius. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus. Excelsior cælo es, & super stellarum verticem sublimatis, esq; profundior inferno. Heb. 11. 27. 1. Tim. 2. 8. Bar. 3. 24. Iob 11. 8.

PVNCTVM II.

MODVS existendi vbique. 1. Vbique est per essentiam, hoc est, per suam substantiam; &, quia substantia eius est etiam ipsius operatio, vbique est, seipsum comprehendens, amans generans, spirans, gubernans, & creans omnia. Quare frui eo vbique potes, & perfectiones eius præsentes contemplari, amare. Non enim est diuisus, vt alia alibi illius pars existat, sed indiuisibiliter totus est vbique. 2. Per præsentiam: quia cognoscit, quidquid agitur vbique. Non enim est in loco, vt homo dormiens & ignorans, quid ibi agitur, nec vt anima nostra in corpore, nequaquam videns, quæ in illo sunt nec tenebræ obstant: quia *tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Deus vbique. 1. Per essentiam. 2. Præsentiam. Psal. 138. 12.

Quare ò anima si oras: ipse *videt in abscondito*: si tentatio vrget, cogita, quòd *oculi eius sint mundi, ne videant malum. & respicere ad iniquitatem non possunt.* Si affligeris, vtiq; videt, & vult in tempore subuenire: si bonum operaris, non hominibus, sed omnia intuenti placere stude. nam *oculi eius in omni loco contemplantur bonos & malos.* 3. Per potentiam, Mala. 1. 13. Prou. 15. 3. & c. 16. 2. 3. Potentiam

qua dat omnibus esse, necnon etiam operari;
Act. 17. 27. & eos conseruat. *In ipso* enim *viuimus, moue-mur & sumus*. Itaque sicut intuens hominem eiusque actiones, cogito animam in eo existentem, dantemque ei esse, & operari, ita res omnes, & singulas considerans, Deum in iis communicantem, quòd sint & agant, contemplabor; non tanquam sit forma, aut pars rerũ, sed modo eminentiori, vt prima caussa omnis esse.

Quare gaudebo, quòd ita Deus creaturis suis coniunctus sit: ac, si pulchræ sint, non capiar tamen ab illis, sed dantem quòd sunt, potius amabo, si fœdæ & terribiles, nec multum
Iob. 17. 3. mouebor, in eis contemplans Deum. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*
si consistant aduersum me castra, non timebit
Psal. 26. 3. *cor meum. Prouidebam Deum in conspectu meo*
Psal. 15. 8. *semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.*

PVNCTVM III.

Deus. 1. Circa me. SPECIALIOR consideratio Diuinæ præsentiæ in me. 1. Quòd sit circa me, ambiens circum me totum, vt mare pisces, vt mater prolem vtero claudit. Gaudebo, me sic vallatum, & conclusum à Deo, quasi intimis visceribus. Cogitabo, Deum tanquam ignem
Deut. 4. 24. toto mundo effusum, (nam *Deus ignis consumens est*) & mirabor, si non ignescam. Item, vt lucem purissimam, à qua optem illustrari.
2. In me. 2. Quòd sit in me, & intra me magis, quã anima in corpore, & intimiùs, per triplicem mo-

dum,

dum, essentiæ, præsentiæ & potentiæ. Ibi tres personæ Diuinæ sunt, & Diuinitas, ibi perfectiones *bonitas* se mihi communicans; *sapientia*, mentem illuminans, *potentia*, faciens me operari, oculos videre, aures audire, &c sum ego quasi domus continens Deum, sed quæ, illo abscedente, mox corruit Ibi est Deus tanquam in conclaui, ad quod proinde me recipiam, oraturus, vt Christus monet: *Cũ oraueris, intra in cubiculũ tuum.* Matth. 6. 6. circũspiciam, ne quid ibi sit, quod displicere possit habitatori Deo. quid foris quæram, qui intus habeo totum?

PVNCTVM IV.

SVNT alij modi peculiares, quibus Deus est in certis locis. 1. In cœlis est manifestus, vbi suam essentiam beatis ostendit. pro- inde dicitur *tabernaculum Dei cum hominibus, vbi ipsi populus eius erunt, & Deus cum eis erit eorum Deus.* 2. Specialiter est in locis alijs, vbi suæ præsentiæ singulare aliquod exhibet signum, vt cùm apparuit Iacob in scalis; vnde dixit: *Verè Deus est in loco isto. Non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli.* quod in templa & orationis loca conuenit. 3. In iustis per gratiam. nam ait Ioannes: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vicissim in se manent, quia amans est vbi amat, amant autem se inuicem Deus & iustus. Deinde iustus in Deo est per protectionem, habitans in adiutorio Altissimi; Deus autem in iusto, operans in illo opera gratiæ. 4. Est in

Alij modi præsentiæ Dei. 1. Apoc. 21. 3. 2. Gen. 28. 12. 3. 1. Ioan. 4. 16. 4.

quibusdam eximijs amicis modo singulari, insinuans se illis intimè. vnde existit in illis fiducia magna, securitas, gaudium, & quoddam internum testimonium gratiæ præsentis, & futurum gloriæ pignus.

Ex his modis tertius nobis sollicitè procurandus est, quartus autem suspiciendus.

MEDITATIO XV.

Quòd Deus sit infinitè sapiens.

PVNCTVM I.

Comprehendit seipsum, & omnia extra se in seipso.

COMPREHENDIT seipsum, & ita omnia, quæ per suam omnipotentiam facere potest, & omnes rerum euentus possibiles, & quidquid à se disponi potest circa creata, atque hæc in seipso cognoscit. Quæ est ipsius beatitudo. Congaudeo ipsi de tanto gaudio; & ô, sim aliquando particeps, non iam ipsum in creaturis, sed ipsum in se, & in eo creata contemplans. Tunc satiabitur illud inexplebile sciendi desiderium: *satiabor, cùm apparuerit gloria* eius. Nam, vt ait Gregorius, quid non videt, qui videntem omnia videt. Tunc *erimus sicut Dij, scientes bonum & malum*, sed minimè per experimentum.

Psal. 16. 15. Gen. 3. 5.

Lib. 4. Dialog. cap. 33.

PVNCTVM II.

EST sapiens, non accidentali sapientiâ, sed per suam essentiam: vnde non ab alio didicit: *quis enim consiliarius eius fuit*, aut

... pie is per essentiam ... Isa. 40. 13.

Magister? & est sapiens, non limitatè circa aliqua tantùm, vel aliquatenus, sed *sapientiæ eius non est numerus*. qui proinde solus est sapiens, sicut solus bonus. Humilietur ergo homuncio, & dicat cum Salomone ipso: *stultissimus sum virorum, non didici sapientiam*. Et quod Ieremias, *stultus factus est omnis homo à scientia*. vnde rectè Socrates: *hoc vnum scio, me nihil scire*. A natiuitate nullam habet scientiam homo; quod autem acquirit, tenue est; & quantum tandem, præ infinita sapientia? quare est insignis arrogantiæ, vt homo assequi velit Diuinæ Sapientiæ rationes. Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei, & *sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigabit? Abscondita est*, inquit Iob, *ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet*, ipsos Angelos. vnde dicitur, *qui ascendis super Cherubim*: qui alioqui à scientia nomen acceperunt.

Psal. 14. 6. 5. *Prou. 30. 2.* *Ierem. 10. 14* *Eccl. 1. 3.* *Iob 28. 21.* *Psal. 57. 11.*

PVNCTVM III.

PECVLIARIA Diuinæ Sapientiæ inuenta. *Meditabor in omnibus operibus eius. & in adinuentionibus eius exercebor.*

Psal. 76. 13. Sapientiæ diuinæ inuenta.

I. Est opus orationis: Fide enim *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, vt ex inuisibilibus visibilia fierent: hoc est, quæ in arcano Diuinæ Sapientiæ latebant, foras prodirent. Vbi de opere sex dierum licet cogitare.

I. *Hebr. 11. 3.*

II. Genes. 2. 7. II. Opus sapientiæ est ipse homo: quem *ex limo plasmauit*; & , inspirato spiritu incorporeo & immortali, *fecit in animam viuentem.* Mira est in hominibus ingeniorum, propensionum, facierum varietas; & his excogitatæ artes mirabiles, inuentæ scientiæ: quæ sunt omnia diuinæ sapientiæ participatio. Nam *Deus scientiarum Dominus est.* 1. Reg. 2. 3.

III. III. Opus gratiæ: quò pertinet stupenda humanæ naturæ assumptio in personæ verbi vnitatem: tum ineffabilis communicatio Dei cum singulis hominibus per Eucharistiæ mysterium: & viæ mirabiles per quas deducit electos ad salutem: quæque cum singulis agit, intus, forisque disponit.

IV. IV. Vniuersè in operibus Dei relucent ipsius perfectiones: quod est eximiæ sapientiæ inuentum, quòd ita se Deus exhibet cognoscendum. vnde dicitur: *omnia in sapientia fecisti; & effudit illam super omnia opera sua.* Psa. 103. 24. Eccles. 1. 10.

Ergo in rebus licèt deploratis non diffidam, quando Dei sapientia potens est exitum reperire. Ego quoque adinuentiones excogitabo, magis quotidie Deo placendi, meque ipsum mortificandi: quoniam *iustus fructum adinuentionum suarum comedet.* Isai. 3. 10.

PVNCTVM IV.

QVOMODO sapientia Dei omnia fecerit in numero pondere, & mensura: nã comprehendit, & definiuit numerum dierum, rerumque omnium, vel minutissimarum: indi-

dit

dit rebus propensiones,& dirigit in proprios fines; definitum perfectionis gradum vnicuique attribuit.

PVNCTVM V.

SAPIENTIA exæquat æternitatem. 1. nouit omnia præterita;& ita habet præsentia, vt non possit in eum cadere obliuio, & nouit perfectè absque errore, ambiguitate, aut dubitatione. *Oculi* enim *Domini multò plus lucidiores sunt super solem.* Ac ita nihil boni, aut mali, quod egerim, ipsum latet. 2. intuetur præsentia. *Viuus sermo eius & penetrabilior omni gladio ancipiti: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*: vnde circumspectè me geram in oculis Dei, seruans illud: *Videant oculi tui recta,& palpebræ tuæ præcedant gressus meos* 3. prospicit futura, quasi existentia.

1.
Eccl. 23. 28.
2.
Iere. 17. 10.
Heb. 4. 12.
Pro. 4. 25.
3.

PVNCTVM VI.

PRAETER dicta, nouit, quæcunque cadunt sub diuinam omnipotentiam, innumerabiles mundos,& alios alijs perfectiores. Porrò de sua sapientia *communicauit:* creaturis *sine inuidia*, præsertim Angelis & beatis;& ante omnes Christo homini: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei* ita vt nouerit prorsus omnia ab æternitate in æternitatem: possibilia autem non potest comprehendere vt homo; quia nec omnipotentiam. *Verè magnus es Domine, vincens scientiam nostram.* ô, *doce me vtilia: Mitte sapientiam de cœlo sancto tuo*,

Cognoscit omnia possibilia.
Sap. 7. 13.
Colos. 2. 3.
Iob 36. 26.
Isai 48. 17.

Sap. 9. 10. *cto tuo, vt mecum sit, mecumq; laboret; vt sciam, quid acceptum sit ante te omni tempore.*

MEDITATIO XVI.

Quòd Deus sit omnipotens.

PVNCTVM I.

DEVS est omnipotēs, ita vt possit facere, quidquid non implicat contradictionem in genere entis, vt Philosophi loquuntur. Et hoc indicauit Gabriel: *quia non erit impoßibile apud Deum omne verbum.*

Luc. 1. 37.

1. Excellentia Diuinæ omnipotentiæ.

Quare. 1. potest plures res, & mundos absque certo numero facere, & perfectiores: vt quidquid factum est, præ eo, quod facere possit, quasi nihil sit. Nam diuina essentia est infinita: creaturæ autem sunt participatio quædam illius: cùm igitur eius perfectio nunquā possit exhauriri, aliæ atque aliæ sine fine res à Deo produci possunt. Vnde Sapiens, *multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia illius, glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc: & admirabilis magnificentia illius.* 2. potest circa res iam creatas facere quidquid libuerit. *Ipse est omnipotens super omnia opera sua.* Hinc miracula. 3. velle eius est posse: *omnia quæcunque voluit Dominus*

Eccl. 43. 36. Ver. 31.

2. Ver. 30.

3. Psal. 113. 11.

fecit:

fecit: subest ei cùm voluerit, posse. Dicam ergo cum leproso illo: *Domine, si vis, potes.* Sap. 12. 18. Matt. 8. 2.

PVNCTVM II.

OMNIPOTENTIA est propria Dei. 1. quia est per essentiã potens: vnde & *solus* 1.
potens: creatura autem sicut ex se non est, ita 1. Tim. 6. 15.
nihil potest. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* 2. Cor. 3. 5.
2 quia potest solus omnia facere, absque alicuius adminiculo: creaturæ autẽ, 2.
quod, Deo date possunt: nõ faciũt, nisi Deo mouente. *qui*, vt ait Isaias, *opera nostra operatur in* Isai. 26. 12.
nobis. & Christus: *sine me nihil potestis facere.* 3. Ioan. 15. 5.
quòd omnipotentiam suam communicat cre- 3.
aturis, maximè Angelis, & hominibus. vt Deo coniuncti, tanquam eius instrumenta, valeant quiduis. sic Paulus: *Omnia possum in eo, qui me* Phi'ip. 4. 13
confortat: & Christus, *si credis: omnia poßibilia sunt credenti.* Matt. 9. 23.

PVNCTVM III.

QVòD Deus non otiosam habeat omnipotentiam; sed assiduè exerceat, simul cum sapientia & bonitate; quibus tanquam *tribus* Isai. 40. 12.
digitis appendit molem terræ, conseruat, gubernat. Nam sapientia disponit, bonitas vult, potentia exequitur. Hæc appropriatur Patri; sapientia Filio; bonitas Spiritui sancto, qui, vt vnum sunt principium, ac fons omnium, ita sunt vna sapientia, bonitas, & potentia His respondent tres virtutes, sapientiæ fides; potentiæ spes, bonitati charitas.

MEDI-

MEDITATIO XVII.

De Omnipotentia Dei in creatione; & de huius beneficio.

PVNCTVM I.

Gen. 1. 1. PRIMVS articulus fidei hic est, quòd *in principio creauit Deus cœlum & terram; mare, & omnia, quæ in eis sunt*, visibilia, & inuisibilia. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine*
Ioan. 1. 3. *ipso factum est nihil.*

1\. Circa quòd cogita. 1. quòd ante illud initium nihil extitit, nisi Deus solus; cætera nihil erant. Hoc fundamentum humilitatis propriæ.
2\. Prou. 16. 4. 2. quod creauerit non necessitate, non commodo suo, non bonitate creaturæ: sed sua impellente. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*.
3\. 3. quòd huius ordinis rerum exemplar ipse sibi fuit; non aliunde sumpsit; quòd ista, non alia: hoc modoq; non alio fecerit; ipse sapientia & bonitate sua disposuit. Agnoscam, & gratus ero, quod me inter ea esse voluerit, quæ ex nihilo euocauit, tot alijs sibi relictis in suo non esse.

PVNCTVM II.

Ex quatuor relucet omnipotentia. IN Creatione mundi elucet omnipotentia multipliciter 1 quòd ex nulla præcedente
1\. Rom. 4. 17. materia creauerit; Efficientia autē creata nihil agunt sine illa, *vocat ea quæ non sunt, tan*

quam ea quæ sunt. 2. quòd ex creatis rursum produxit alia; ex elementis plantas, & animantes; quò disceremus potentiam illius super res à se factas. 3. quòd solus fecit; nec adhibito ministerio Angelorum. *Qui extendit cœlos solus*, ait Iob: nempe, vt solus agnosceretur auctor: & ita Sancti dant illi gloriam in cœlo: *quia tu creasti omnia; & propter voluntatem tuam erant.* 4. fecit sine resistentia, sine mora, verbo. *Dixit, & facta sunt.* ô, sic ego obediam creatori heu, sola resistit peruersa voluntas. ô, dic efficaciter, & fiet.

2. 3. Iob 9.8. 4. Apoc. 4. 11. Psal. 148. 5.

Pvnctvm III.

QVòd per interualla sex dierum perfecit, cùm momento potuisset; ita voluit. 1. vt sapientiæ Diuinæ dispositio meliùs à nobis attenderetur. 2. vt rerum ipsarum consequentia, & necessitas cerneretur: dum aliæ per alias perficiuntur. 3. ad insinuandũ, quòd ita fit in sanctificatione hominis, per quosdam gradus deducendo hominem ad perfectionem.

Modus creationis. 1. 2. 3.

MEDITATIO XVIII.

Circa id, quod initio temporis creatum est.

IN *principio creauit Deus cœlum & terram; terra autẽ erat inanis & vacua; & tenebræ* Genes. 1. 1

erant super faciem abyßi; & spiritus Domini ferebatur super aquas.

PVNCTVM I.

Creatio cœli. *Isai. 40. 12.* IN Principio temporis creauit cœlum, corpus illud pulcherrimum & amplissimum, quod quantum quantum est, *palmo ponderauit*, vt ait Isaias: & cùm sit perfectè sphæricum nullo fulciente stare iussit; omnes autem cœlestes orbes Empyreo circumdedit: qui foret aula & thronus Dei, sedesque sanctorum, tum Angelorum, tum hominum: vbi eis manifestaret gloriam suam. *Psal. 113. 16.* *Cælum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum*, pro tempore viæ & peregrinationis. *Psal. 83. 5.* *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Porrò cœlum condidit non vacuum, sed refertum nouem ordinibus Angelorum, multitudine innumerabili, quos naturæ & gratiæ donis ornatissimos creauit; mox etiam donãdos gloria: qui in auctorem suum conuersi, primo illo suæ creationis momento exultauerunt in Deo suo: nam de illis apud Iob Dominus ait: *Iob. 38. 7.* *vbi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Astra dicuntur matutina; quòd in primo exortu mundi, & quasi diluculo extiterunt. Gratulabor, & congaudebo ipsis; atq; ad Dei laudes celebrandas prouocabo. *Psal. 148. 2.* *Laudate Deum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.*

PVNCTVM II.

SIMVL etiam creauit terram intra cœlum, & in centro illius posuit, & quasi appendit: sicut dicit Iob: *& appendit terram super nihilum.* & Isaias: *appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera.* librata dicitur, quia in neutram partem reclinare potest *fundata est super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Sic terra mea; corpus meum non degrauabit animum, si super nihilum suum steterit; & cogitauero, quia terra sum, & mox dissoluenda.

Creatio terræ. *Isai. 40. 12.*

Psal. 103. 5.

Porrò terram operiebat abyssus aquarum, vt non conspiceretur: ita cor terrenum operiunt malorum gurgites. Quare ad Deum clamandum: *circumdederunt me aquæ Domine vsque ad animam: abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum: sed tu Domine Deus meus subleuabis de corruptione vitam meam*

Ioan. 2. 6.

PVNCTVM III.

TERRA, cùm creata est, *inanis erat, & vacua* absque omni ornatu plantarum, & incolentium animalium: Insuper *tenebræ erãt super faciem abyssi;* hoc est, spatium inter cœlum & terram, quod aquis ac nebulosis vaporibus repletum erat, omni prorsus luce carebat.

Genes. 1. 2. Ruditas terræ & aquæ.

Per hæc repræsentatur status hominis post Adæ lapsum; inanis à fine suo, frustratus fine,

vacuus gratiâ & donis; tenebris peccati & ignorantiæ obrutus.

Cur aliter cœlum Empyreum, aliter terra
1. initio producta sit. 1. quòd cœlum significat
Psal. 8. 6. statum gratiæ: terra autem conditionem hominis ex se ipso. *vniuersa vanitas, omnis homo*
2. *viuens*. 2. quòd cœlum Empyreum est sedes perfectorum, qui finem suum consecuti sunt: terra autem viatorũ, & pergentium ad finem, & pro tempore tantùm habitanda. Nunc ego me peregrinum cogitabo in terra miseriæ: &
Psal. 83. 6. suspiciam, quò tendam, *ascensiones in corde* meo *disponens in valle lachrymarum: donec videam Deum Deorum in Sion.*

PVNCTVM IV.

Genes. 1. 2. Spiritus sanctus super aquas.

QVÒD *Spiritus Domini, ferebatur super aquas*, quas vocauerat abyssũ, nimirũ virtutẽ tribuẽs: vt ex aquis gignerẽtur volatilia & pisces, & terræ etiam fœcunditatẽ impertiens. Significabatur etiam sanctificatio aquarum ad regenerandos in Christo homines, quam postea Spiritus sanctus operaturus erat. Et quòd idem Spiritus peccatoribus, gratia vacuis & in obscuro positis, se communicat, vt ad meliorem statum reuocet *Ferebatur*, inquit, quo significatur irrequieta cura prouidentiæ circa nos & ferebatur quasi confouens aquas ad gignendum; sicut gallina sub alis pullos, vt succrescant & solidentur.

MEDITATIO XIX.

De opere primæ diei.

DIXIT Deus: *fiat lux; & facta est lux: & vidit, quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem, diem: & tenebras, noctem.* Gen. 1.3.

PVNCTVM I.

OPVS fuit luce in mūdo, qui licèt omnem aliam accepisset perfectionem; sine luce inutilis fuisset: nam eius pulchritudo non fuisset homini perspecta; nec homo ipse suis functionibus, ad vitam necessarijs, commodè vti posset Lux exhilarat omnia, præcipuè hominem, vnde Tobias dicebat, *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* per lucem quoque in mundo inferiori gignuntur, & fouentur omnia. Ergo gratias Deo agam pro hoc dono, & bene illo vtar, ad cognoscendum Deum ex omnibus operibus suis. Contrà detestabor eos, qui abutuntur ad peccandum, vel, *qui oderunt lucem, vt malefaciant, & ne arguantur opera eorum.*

I. Lux corporalis.

Tob. 5.12.

Ioan. 3. 20.

Est & lux spiritualis, qua pellantur ex anima tenebræ peccati, & ignorantiæ, qua Deum ipsum cognoscimus, & agenda à nobis. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* per hanc gignūtur fouenturque virtutes ô Pater luminum! gratias tibi ago pro hac potissimum luce. ô fons luminis, *illumina tenebras meas* Fiat in

II. Lux spiritualis.

Psal. 4. 7.

Psal. 17. 29.

me *ſicut lux ſplendens, quæ procedit, & creſcit,*
Prou. 4. 18. *vſque ad perfectam diem.*

PVNCTVM II.

I. Tria in luce perpendenda.

PRIMA die lux facta eſt; quia nec dies fuiſſet ſine luce; ac proinde principium dierũ à creatione lucis eſſe debuit. Potuiſſet tamen creari poſt alium mundi ornatum; ſed voluit in luce creare cætera, nam & in ſpiritualibus lux præcedit omnem actionem. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* ô Domine, præueni me luce tua, quò te agnoſcam & amem. *Præueniam & ego ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorabo*, nam ita faciendum, monet Sapiens exemplo Iſraelitarum, qui manna ante ortum ſolis colligere debebant.

Pſal. 126. 3.

Sap. 16. 28.

II. Nihil præter lucem prima die creauit; quam obire circum totum mundum voluit, diemque efficere. Sat operis pro vna die exiſtimans, diem conſtituiſſe. Docemur & nos magnifacere lucem ſpiritualem; & bene diem eſſe collocatum, quo in luce profecerimus. Quod ſtudium conſtanter adhibendum vſque ad extremum vitæ periodum, quaſi ad ſummum diei. O Sapientia, quæ feciſti *in Cœlis, vt oriatur lumen indeficiens*; oriatur, obſecro, in me etiam, vt nunquam occidat. ô *Lucifer, qui neſcis occaſum*, tu mihi nunquam occidas.

Eccl. 24. 5.

III. *Dixit, fiat lux* Dixit Pater per Verbum

ſuum, qui eſt eius Filius. *Vidit* Filius, qui eſt ſapientia: *quòd eſſet bona*; & Spiritus ſanctus qui eſt amor, complacuit in ea. Tota Trinitas vnus Deus, iuſsit fieri, & facta eſt; vidit, & in opere complacuit. O Domine dic quoque, vt in anima mea fiat lux.

PVNCTVM III.

DIVISIT *lucem à tenebris*: voluit viciſsitudinem eſſe, vt die operarentur homines, & animalia, noctu quieſcerent, in hoc etiam gerens curam noſtri. quare *benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite nox & dies Domino.* Diuiſio lucis à tenebris. Dan. 3. 71.

1. Sed & ſpiritualiter idem contingit. in primis Deus eſt ſerena illa lux, de qua Ioannes; *& tenebræ in eo non ſunt vllæ*. Et qui illam vident ſancti, ſemper in luce ſunt, abſque viciſsitudine tenebrarum. *Nox enim non erit illic*, ait Ioannes. At in terra alij ambulant ſicut in die filij lucis, alij in nocte. quin idem homo nunc lucis, nunc tenebrarum filius eſt. Diuidet autem Deus inter vtroſque (nam *quæ ſocietas luci ad tenebras?*) cùm ad iudicandum venerit. O pertineam ad lucem, & ad hanc diem! 1. Ioan. 1. 5. Apoc. 21. 25. 2. Cor. 6. 14

2. Præterea in ipſis iuſtis datur diuiſio lucis & noctis: quin in vno atque eodem, dum modò aduerſa, modò proſpera accidunt, & conſolationum, ac deſolationum vices alternant, feram vtramque ſortem cum gaudio de manu Dei.

3. Ipſe, *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſce*-

re, luceat in cordibus nostris ad illuminationem
2.Cor. 4. 6. *scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* claritatis inquam, qualis relucet in facie
Isai.5.20. Christi. *Væ qui dicitis, malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Non sic ego, sed quod Deus lucem dixit, mihi erit lux; similiter de tenebris.

MEDITATIO XX.

De opere secundæ diei.

Gen.1.6. DIXIT Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & factum est ita: vocauitq; Deus firmamentum cœlum, & factus est mane & vespere dies secundus.*

PVNCTVM I.

Aëris elementum. FIRMAMENTVM est aër fusus inter cœlum & terram, cuius elementi miræ sunt vtilitates: in eo stamus, & mouemur, respirationem & vitam ducimus, per illum species rerum ad sensus deferuntur colorum, sonorum, odorum: & de cœlo lux transmittitur cum reliquo influxu planetarum; ibi coalescunt pluuiæ, niues, ros, & venti, ne siti inferiora torpescant, atque marcescant, in omnem partem adspirant. igitur & propter hunc gratias agam Auctori, quoties respiro.

Cur aër firmamentū. Cæterùm etsi est corpus tenuissimum, & maximè instabile, vocatur tamen firmamen-

tum:

tum: quia constanter ac firmiter obit sua munia,& locum suum tenet, omnia replens,quocunque accessus datur, nec disiungi inter se corpora, vacuo interuallo, vllatenus sinens. Ergo assignatam stationem sibi immobiliter tuetur,non secus,atque ipsi cœli,licèt secundùm partes huc illucque agitatus.

Pvnctvm II.

Nubes.

DIVISIT *aquas ab aquis*. oportebat enim discooperiri terram propter germina, & nihilominus irrigari ad fœcunditatem. In hunc ergo finem super aëra coëgit nubes, seu locum nubium, quæ sunt aquæ supra firmamentum.

Nec id modò, sed nubes ipsas dispensat, & prouocat, promouetque,sicut placet eius prouidentiæ. Nam apud Iobum de nubibus dicitur,*quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Et quasi glorians ait: *quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris?* O qui pluis super iustos, & iniustos, ne quæso ab anima mea subtrahas imbrem salutarem gratiæ tuæ.

Iob 37.12. & c. 38 28. Matt. 5. 45

Aliter etiam Deus est mirabilis in nubibus cœli, quòd tantas moles sustinet suspensas, cumque defluere sinit, guttatim demittit, ne obruant animantes,& terrã eluuione destruant. vtrumq; Iob deprædicat: *Qui ligat aquas in nubibus suis,vt non erumpant pariter deorsum.*

Iob 26.8.

Iob 37. 11. Ampliùs, nubes pro vmbraculo sunt, excipientes lumen solis, & ardores à terra arcentes. vnde illud: *frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum:* reflectunt videlicet, ne feriat aduratque fruges. En quot, & quanta bona ab huius diei opere.

PVNCTVM III.

Cur firmamentum cœlum.

FIRMAMENTVM appellauit cœlum. Nam aër aspectu similis est orbibus cœlestibus, vt nihil oculus distinguat. Est enim diaphanus pariter, & lucem, astrorumque influxus transmittit. Firmamentum hoc, seu cœlum est anima iusti, illustrata à Deo secundùm intellectum, firma & stabilis in bono per gratiam, licèt conditione sua mobilis. In ea diuiduntur aquæ, dum spiritus cœlestia petit, caro autem ei subiecta obedit: sed & hæc à spiritu irroratur, vt etiam *exultet in Deum viuum.* (Psal. 83. 3.)

At cur Deus opus huius diei non approbauit, vt præcedentis? quia non illud hac die perfecit, sed sequenti, quoad aquarum diuisionē; postera enim die congregauit aquas inferiores in certa loca, vt detegeretur terra. Nempè docet, non qui cœperit, sed *qui perseuerauerit,* atque perfecerit, laude dignum. (Mat. 10. 22.)

Aliqui putant, hac die peccasse Angelos, & separatos bonos fuisse supra firmamentum, à malis in abysso: de quibus apud Iob: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* (Iob 26. 5.)

eis. Atque in odium peccati illorum reticeri laudem huius diei. Adde, quòd hæc dies initium dedit disiunctioni diei à die, cùm sit secunda: Deus autem amat vnitatem, atque concordiam.

MEDITATIO XXI.

De opere tertiæ diei.

PVNCTVM I.

DIXIT *Deus: congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Enituit Omnipotentia. 1. quòd momento, aut imperceptibili tempore paruerunt aquæ voci creatoris. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius*, nempe terræ: *super montes stabunt aquæ*: nam & hos operiebant. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui formidabunt.* Et quasi trepidæ festinatò parebunt. 2. quòd quamuis naturali inclinatione appeterent superstare terræ, eâ postpositâ recesserunt. O sic abnegare discam propriam voluntatem & propensionem. Et quando etiam ad humiliorem locum detrusus fuero, obsequar libenter. *Non quæram*, cum Paulo: *quod mihi vtile est, sed quod multis.* 3. quòd ibi se continent, nec excedunt: *circumdabat mari terminum suum & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* de quo etiam gloriatur Deus apud Iob: *quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi*

Genes. 1. 9.

1. In aquis maris patet Omnipotentia Dei.

Psal. 103. 6.

2.

1 Cor. 10. 33

3.

Psal. 103 9.

Sed ita Deus aquas congregauit in maria, vt quasi venas in terra ipsa aperuerit, per quas aquæ dulces commearent. vnde fontium ac fluuiorum varietas, vel ex ipsis rupibus prodeuntium. Nec temporariæ sunt scaturigines, sed perennes. Et cùm flumina ex mari prodeant salso, percolata dulcescunt ad humanos vsus, qui multiplices sunt, ad rigandã terram, ad potum animalium, ad lauandum, ad temperandum æstum, ad sanandos morbos. quare benedicite Deo, maria, flumina, fontes, terra, montes, & colles. 3. Fontes.

Postremò terram ipsam ita disposuit, vt pars esset pinguis, ad alendas plantas, & fruges; pars duresceret in metalla, quorum varia foret vtilitas. pro quo etiam gratias agam.

Verùm hæc non sunt recensita, vti reliqui terræ fructus, quòd intra terram abdita sint, & nolit Deus eorum nos cupiditate teneri. nam in cupidos dicetur: *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* Hoc est, ne partẽ illi habeant cum electis tuis, qui sunt pauci. quoniam inhiarunt & repleuerunt se thesauris, quæ tu extra oculos posueras, ne concupiscerentur. Cur nihil de metallis *Psal. 16. 14.*

PVNCTVM III.

VBI terra detecta fuit, placuit Deo & dixit: *Germinet terra herbam virentem.* Noluit ornatum terræ differre in diem alterum, sed postquam aquis quasi vestimento fuerat nudata, noluit rudem relinquere, sed su- *Gen. 1. 11.* Plantæ.

per-

llis escam in tempore. aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 5. Vt cō- 5.
modum foret perpetuum, dedit plantis virtutem seminalem ad propagandum se.

Ergo his tot nominibus *benedicam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.* *Psal. 115.12*

PVNCTVM IV.

INTER hæc *plantauit Paradisum voluptatis* hac ipsa die, in sedem peculiarem hominis, antequam ipsum conderet. *Gen. 2. 8.* Paradisi terrestris excellentia. 1. Is locus fuit in optima cœli temperie, & terræ qualitate. 1.
2. Omnigenis consitus plantis ad omnē oblectationem & alimentum, vt carnium vsus nunquam foret. 2.
3. In medio erat lignum vitæ à morte & corruptione præseruans, donec fuisset Deo visum, transferre hominem ad statum immortalem. 3.
4. Interfluebat amœnissimus fluuius, & saluberrimus ad potum, atque ad fœcundandam eam terram, qui mox in quatuor partiebatur, ad vicinas circum oras irrigandas. 4.
5. Fuit locus haud dubiè amplissimus, ad plurimorum incolatum, instar prouinciæ alicuius. 5. Gratus existam, quia non Adæ soli, sed mihi etiam Paradisum hunc cōdidit Deus. Et quando inde eiectus sum, adipiscor pro eo cœlestem. illum amisi interueniente culpa originali, qua iam deleta per Batismum, satagam, ne proprijs actibus excidā spe cœlestis. Conserua me Domine in Ecclesia tua, tanquam in Paradiso deliciarum, & præbe fructum ligni vitæ in cibum, quo

præ-

præſeruatus, tandem aſſumar ad te, vbi viuis & regnas in æternum.

PVNCTVM V.

Omnes res bonæ. Vſus malus.

ET *vidit Deus, quòd eſſet bonum*, quidquid hac die fecerat. Bona ſunt, quæ Deus in alimentum hominis creauit; vſus autem aliquando malus eſſe poteſt: quando ſcilicet prohibetur, vt lignum ſcientiæ boni & mali, ad probationem obedientiæ, vel cùm ob alios fines, vel ab Eccleſia, vel ſpontè interdicitur ad mortificationem carnis, vel cùm inordinatè rebus vtimur. Alioqui omnis creatura bona eſt, & *nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Nam verbo diuino approbatur, vt bonum, & oratione in ſumendo benedicitur.

1. Tim. 4. 4.

Inter alia ſpinæ & herbæ mortiferæ creatæ ſunt, ſed hæc etiam ipſa bona ſunt, ſi non homini, alijs ſaltem animantibus, vel ob alios fines vniuerſi. quin ipſi homini conducunt pro antidotis. & tandem inſtrumenta ſunt iuſtitiæ Diuinæ, cui etiam ſeruiunt res alioqui nobis vtiliſsimæ, vt aqua, dum ſuffocat, ignis dum exurit. Quare, vt ait quidã, omnes creaturæ dicunt homini: *accipe, redde, fuge.* Accipe beneficium; redde debitum; fuge ſupplicium. quaſi dicat: ſi non ob beneficium, ſaltem ob ſupplicium bene vtere.

MEDI-

MEDITATIO XXII.

De opere quartæ diei.

PVNCTVM I.

QVOD creauit solem, luminare maius: in quo multa insunt miranda. 1. magnitudo lucis, vt ad eius ortum obfuscentur reliquæ stellæ, qui & fons lucis dicitur, quòd ab eo astra eam mutuentur. 2. lux eius perpetua est, & constans, absque vlla variatione: quod Lunæ non conuenit. 3. amplitudo corporis, vt sexies millies superet lunam; terram autem centies. 4. efficacitas, quâ momento totum hemisphærium peruadit sua luce: motu verò diurno diem conficit, totam obiens illustransque terram. 5. vis calefactiua, qua omnia gignit, & viuificat. 6. distinguit tempora: facit annum proprio motu; & in eo statas temporum varietates, veris, æstatis, autumni, hyemis. Ob hæc vocatur *vas admirabile, opus excelsi*: per excellentiam *procedit vt sponsus; exultat vt gigas ad currendam viam*. Est symbolum Diuinitatis. quare dicitur: *In sole posuit* DEVS *tabernaculum suum*. Et conueniunt DEO multò amplius prædictæ solis excellentiæ Anima quoque perfecta est quasi Sol, *electa vt Sol*, & radios fundit bonorum operum.

(***)

[Marginal notes: Commoda ex sole. — 1. — 2. — 3. — 4 — 6. — Eccl. 43. 2. — Psal. 18. 6. — Cant. 6. 9.]

PVNCTVM II.

Lunæ excellentia.

ITEM creauit Lunam, luminare minus: cuius sunt excellentiæ. 1. Magnitudo aspe-
1. ctabilis, & pulchritudo singularis, cùm plena est, à sole, & à quo suum lumen accipit; quod non intra se continet, sed noctem pro sole il-
2. lustrat. 2. AEquabilis respectus ad solem,
Eccl. 43. 8. à quo pars ei obiecta semper illustratur, *crescens mirabiliter in consummatione*, vt ait Sapiens: hoc est, sensim deficiens, donec consum-
3. metur eius lux. 3. Vires habet magnas in ma-
4. re, & corpora, quas experimur. 4. Suo motu efficit menses, varietates temporum inducit, & particulares effectus gignit.

Cant. 6. 9. Luna symbolum animæ sanctæ.

Symbolum est animæ sanctæ, de qua dicitur: *Pulchra vt Luna.* nam respicit semper Solem iustitiæ, & ab eo illuminatur, crescit in consummatione, dum proficit in cognitione propriæ obscuritatis, & vilitatis, vsque ad defectum luminis, nihil se habere de suo intelligens. Crescit vicissim in studio virtutum, *vsque ad perfectam lucem.* O, decrescam per veram humiliationem, crescam antem, vadens de virtute in virtutem!

PVNCTVM III.

Stellarum excellentiæ.

CREAVIT etiam stellas, in quibus mira sunt. 1. Multitudo innumerabilis, vn-
1. de pro magno dicitur de Deo, *qui numerat*
Psal. 146. 4. *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, qui admirabiliter eas disposuit, tan-

quam

quam aciem castrorum ordinatam: *nec deficiunt*, vt ait Sapiens, *in vigilijs suis*. 2. Præsunt etiam nocti cum luna, ac mirificè cœlum ornant, *species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus*. Præterea dirigunt nauigantium cursum, & viarum duces sunt 3. Influunt in hæc inferiora, etsi nobis minus notæ sunt illarum vires. de ijs dicitur: *in verbis sancti stabunt ad iudicium*, nempe paratæ ad agendum secundùm inditam ipsis à Deo vim, & præscriptum. & alibi: *vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate eius, qui fecit illas.*

Eccl. 43, 11. 2. — vers. 10. — 3. — Bar. 3.

Pro his gratias agam, & laudabo Deum, porrò *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*. quātò pulchrius erit cœlum empyreum à gloria sanctorum! quàm ibi ordinatissimè disponentur secundùm merita cuiuscunque! Luceam nunc in Ecclesia militante, itē in vigilijs meis, vt illuc transferar aliquando.

Dan. 12, 3.

Pvnctvm IV.

Vidit *Deus, quòd esset bonum.* Vtique Domine, & eo vsque bonum, & pulcherrimum est, vt aliqui pro Deo habuerint hasce creaturas. At, *si horum specie delectati, Deos putauerunt: sciant quantò his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator omnia hæc constituit.* Igitur in hoc ipso errore disce, qualis quantusque sit Deus in se, qui

Sap. 13. 3.

sic in effectis suis est admirabilis. Ama illum, qui istam pulchritudinem produxit ad obsequium tuum. nam monet Moyses: *Attende, ne fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & astra: & errore deceptus, adores ea, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Deut. 4. 19.

PVNCTVM V.

Creatio ignis. Eius commoda.

ELEMENTVM quoque ignis non est omittendum, quod cœlis proximum est: sed à Moyse non commendatum, nec commemoratum, quòd non sit nobis conspicuum. Licèt autem ignis ille ab inferiore differat: huius hîc proprietates considerare opportunum fuerit, quòd Soli persimilis sit.
1. 1. Vicem solis noctu supplet intra ipsa cubilia.
2. 2. Pro sole per hyemem distante calefacit fouetque corpora.
3. 3. Impertit se sine diminutione sui, cùm ignis ignem accendit.
4. 4. Plurima commoda præstat, tanquam quædam vniuersalis causa: decoquit cibos, purgat metalla, absumit humiditates, emollit, liquatque dura, & plura alia præstat: vt deceat inde glorificare datorem.

Psal. 135. 1. 7. Ergo *confitemini Domino: quoniam bonus, qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis,* quin & ignem, *vt luceret eis per noctem.*

Ignis est symbolum Diuinitatis: vt in aduentu Spiritus sancti consideratum fuit, & nunc

nunc in eo, quòd supplet defectus creaturarum, vt dictum de igne, cùm humana desunt auxilia, & communicat seipsum liberaliter. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Psal. 33. 6.

MEDITATIO XXIII.

De opere quintæ diei.

PVNCTVM I.

PRODVCANT *aquæ reptile animæ viuentis.* Ad hoc imperium repleta sunt maria, & flumina piscibus supra numerum terrestrium, & volatilium animantium, figura & specie diuersissimis, magnitudine excedentibus quæuis terrestria. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis: illic draco, quem formasti ad illudendum ei.* & hæc ad vsum & delicias hominis, & oblectationem in capiendis. *Vt præesset,* inquit, *piscibus maris.* & Noë dixit: *omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & erunt vobis in cibum.* Gen. 1. 20. Pisces. Psal. 103. 25. Gen. 1. 26. Cap. 9. 2.

Atque vt beneficium esset perenne, benedixit illis, dicens: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.* Lauda potentiam atque prouidentiam.

PVNCTVM II.

Gen. 1. 20. Aues. ET *aquæ producant volatile super terram, sub firmamento cœli.* Ex eadem materia, qua pisces; sed subtiliori, & magis aërea, vt aër etiam concurreret ad animantes, quarum sedes erat. agnosce potentiam.

Commoda. At prouidentiam ex commodis. Aliæ aues delicatè nutriunt nos, aliæ cantu demulcent, aliæ plumis suis ornant, aliæ docent, dum artificiosè nidos construunt; prouident pullis, tempora obseruant. Et Deus ipse talibus se similem facit: Deut. 32. 11. Matt. 23. 37 Aquilæ *prouocanti pullos ad volatum;* Gallinæ *congreganti sub alas.* Discere autem vult nos ex miluo agnoscente tempus suum, & turture, hirundine, cyconia, Ier. 8. 7. *populus autem meus non cognouit iudicia Domini.* Vtimur quibusdam ad venandum alias, & sagacitatem ab eis discimus. Apis verò qualis industria, quod regimen, quæ vtilitates?

Gratias agam: imitabor aues pernicitate in Diuino seruitio, volatu ad cœlestia, & reliquâ industriâ.

PVNCTVM III.

VIDIT, *quòd bonum esset.* Probauit Deus. conuenit, vt simul aquæ, & aër replerentur, & ornarentur, quia sunt affinia. ita Deus benefacit coniunctis charitate, sed & significatur, quòd ex regeneratis aqua baptismi alij in sæculo manent, alij cœlestem vitam amplectuntur: *ex aquis ortum genus par-*

tim

tim remittis gurgiti, partim leuas in aera. duplex est vita, actiua, & contemplatiua priores sunt, vt Martha; qui turbantur circa plurima, vt qui in mari; posteriores, vt Magdalena, quæ partem optimam elegit; vtrosque probat Deus; sed hos maximè, illi in salsis & amaris aquis manent, quia pœnitentiæ lachrymis opus habent assiduis: istorum etiam lachrymæ sunt aquæ dulces, vt ex quibus aues extiterũt. priùs narratur de piscibus, quia in actiua prius exerceri oportet. & Lia prior ducta fuit, quàm Rachel.

Benedixit eis, vt multiplicarentur: vtraque vita gignit Christo filios: sed Actiua plures; vti & pisces, quàm aues; & Lia, quàm Rachel; sed hæc perfectos. Cupiam iungere vtramque, vt & vna die pisces & aues.

MEDITATIO XXIV.

De opere sextæ diei.

PVNCTVM I.

DIXIT *Deus: producat terra animam viuentem.* 1. post aquas, & aërem repleuit terram animantibus; ex ipsa similiter productis pro imperio, alia alijs potissimùm locis, vt conueniebat naturis, ac de alimento conuenienti prouidit illis, & quidem singulis. Quanta potentia, & prouidentia! 2. tria re

Genes. 1. 24.
1. Animalia terrestria.
2. Tria genera.

censet genera: iumenta, sic dicta, quòd iuuent hominem; vt sunt domestica, reptilia, à motu; bestias syluestres, & feras. In quouis genere diuersas species, & verò multa, cũ miris proprietatibus. de quibus gloriatur Deus apud Iob, & de prouidentia circa illa. quantò ampliorem habeat hominis, propter quem illa!

Iob. 38. ex tribus seqq.

3. commoda ex eis multa, & magna percipit homo: nutritur, vestitur, calceatur, ornatur, iuuatur, docetur: *Vade ad formicam piger.* Gratias agam pro bono concesso ipsis animantibus, quæ nequeunt per se agnoscere Auctorem: & quia id est totum meum.

3. Commoda *Prou.* 6. 6.

PVNCTVM II.

VIDIT, *quòd esset bonum*: etiam reptilia, licèt venenata; & bestiæ, licèt noceant: nam ita subiecerat homini, vt nisi peccasset, lædi nequiuisset. Et nunc iustitiæ instrumenta: sed & in ijs conspicitur prouidentia: dum non lædunt, nisi permissu, vt significat Sapiens: *creatura tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.*

Sap. 16. 24.

Deinde docent hominem, quid sequendum, aut fugiendum: *estote prudentes, sicut serpentes.* & à iumento discimus subijci diuinæ legi. *vt iumentum factus sum apud te.* Contrà verò vitare stoliditatem: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumen-*

Matt 10. 15. *Psal.* 72. 22. *Psal.* 48. 13 *Psal.* 31. 9.

mentis insipientibus & nolite fieri, sicut equus & mulus.

PVNCTVM III.

CVR non benedixit terrestribus animalibus, sicut alijs. 1. Quia eadem die erat facturus hominem, eique benedicturus: & in homine etiam istis, vt quæ cũ homine in terra habitarent. 2 Quia benedictio istorum pendebat ex iustitia hominis. Quare Iudæis promisit multiplicationem vtilium animaliũ, si legem custodirent. aut contrà fore, vt deficerẽt, feræ autem, & venenata augerentur. Attamen ibidem similiter de fructibus terræ loquitur, & aliæ etiam animantes possunt cedere ad præmium & pœnam.

1. 2. *Deut.* 28. 1. c. 32. 24.

Intelligam, quòd passiones brutales in homine inualescunt, cùm secundùm voluntatem rationalem ipse non est subiectus Deo: contrà verò debilitantur, & cicurantur, obsequentesque fiunt rationi, cùm Deo homo subiacet; adeo, vt etiam iuuent ad virtutem, & *caro* ipsa *exultet in Deum viuum.*

Psal. 83. 3.

MEDITATIO XXV.

De creatione hominis.

PVNCTVM I.

EADEM die cum bestijs creauit hominem, vt commonefaceret humilitatis, dum considerat, se cum illis participare naturam animalem, & sensitiuam.

Creatio hominis.

Digitized by Google

Deus in creatione viuentium cœpit ab imperfectioribus, & sensim ad perfectiora progressus est. quo monemur profectûs quotidiani in virtutibus; & vt cantemus DEO quotidie canticum nouum, ex nouo profectu.

Postremò creauit hominem, vt perfectissimum, & in quo omnem naturam copulabat, & cuius causa erant cætera. ac ita, vt statim eis frui possit, veniens ad habitationem plenè instructam.

PVNCTVM II.

Mysteria. 1. ALITER in creatione hominis loquitur Deus. 1 non ait; FIAT, aut, *producat terra.* quòd homo secundùm animam non fieret ex aliquo, sed à solo Deo ex nihilo. quo monemur, vt & ipsum super omnia diligamus, à quo solo sumus. ô Deus, *perfice vineam* hanc, animam istam, *quam plantauit dextera tua.* 2. ait, *faciamus* ad insinuandum mysterium diuinarum personarum; quarũ imaginem refert homo. & quasi deliberarent de creando homine, quem præuiderent fore ingratum, & tanto reparandum opere, & tamen concludunt. *Faciamus.* Quid tibi retribuam!3. monemur, omnia cum consilio agere, præsertim grauia. *Fili, sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebis. Consiliarius autem sit tibi vnus de mille;* Deus potissimum. *Consilium meum iustificationes tuæ.* Secundùm has consilia captanda.

Psal. 79. 15. 2.

3. Eccl. 32. 24.

Eccl. 6. 6.

Psal. 118. 24

4.

4. In-

4. Insinuat, se facere hominem tanquam capacem consortis cum Deo ipso,& amicitiæ illius. Nempè *delitiæ* eius ab initio fuerunt *esse cum filijs hominum.* Prou.8.31.

Pvnctvm III.

Excellentiae sex, secundùm quas anima hominis est imago Dei. 1. Deus est Spiritus, & ita inuisibilis, & indiuisibilis; proinde totus in quauis rei parte; & dat esse, vitam & motum rebus. Sic anima nostra inuisibilis est, & indiuisibiliter existens in quauis corporis parte, dant singulis vitam, & operationem, pro cuiusque partis exigentia. *Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem reuertentur.* gratias ago, quòd talem mihi dederis vt adorem te in spiritu, & veritate. Da, vt etiam *spiritu facta carnis mortificem.* 2. Quòd sit immortalis, vt à corpore non pendeat vita eius; & eo pereunte, Spiritus redeat ad Devm; qui dedit illum, à quo recipit locum pro meritis: O Domine, qui mihi dedisti Spiritum immortalem secundùm naturam, da etiam secũdùm gratiam, quæ est vita beata. Porrò Deus est immortalis per suam essentiam; homo per participationẽ; ac ita ex voluntate Dei pẽdet. *Soli Deo immortali & inuisibili honor & gloria.* 3. Anima refert Trinitatem, quòd vna existens, habet tres potentias, intelligendi, me-

Excellentiæ 1.

Psal.103.29. Rom. 8. 13.

2.

1.Tim.1.17.

morandi, quæ intellexerit, & volendi. Et sicut
3. Pater intelligendo producit Verbum, & a-
Tres potentiæ animæ. mando cum Filio producit Spiritum san-
ctum: ita anima format Verbum ipsius Dei,
& amorem spirat in illum. 4. Prædita est li-
bertate, quod sequitur ex præcedenti, vt à ne-
mine cogi queat. 5. Est capax sapientiæ & gra-
4. tiæ, vt à solo Deo expleri possit. 6. habet Do-
minium in omnia visibilia, & est finis proxi-
5. mus illorum: nam & compendio continet in
6. se totum mundum, vt Deus eminentissimè o-
mnia possibilia. Hæc est dignitas hominis.
Cuius est imago hæc? si Dei, rede eam Deo.
Agnosce homo dignitatem tuam.

PVNCTVM IV.

QVOD Deus creauit hominem ad simili-
tudinē suam, secundùm gratiam & dona
spiritualia. Vnde dicitur: quòd *Deus fecerit*
hominem rectum. Nam opera Dei sunt perfe-
Eccl. 7. 30. cta, cùm ergo homo capax esset supernatura-
lis similitudinis cum Deo, conueniebat, vt ta-
lis conderetur, accepit autem perfectam.
1. Quia anima perfectè subdebatur Deo, per
gratiam. 2. quia dominabatur appetitui per
1. iustitiam originalem, vt nullam sentiret re-
2. bellionem. 3. in ipsum corpus redundabat im-
mortalitas, qua posset non mori. nec mortuus
3. fuisset homo, nisi Adam peccasset. Hæc data
primis parentibus, at & mihi, & omnibus in
illis, ex diuina dispositiorum, si Adam persti-

stitis-

tillet. quare, vt pro acceptis, ſeu mihi exhibitis gratias agam.

Pvnctvm V.

Qvòd Deus fecit hominem aliarum rerum Dominum. quam dignitatem miratur Dauid: *quid eſt homo, quòd memor es eius? omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* vnde eis vti poteſt pro libitu, & mactare pro vſu, vel ad voluptatem. *Dominamini* inquit, *piſcibus* maris &c. quare etiam adduxit ea ad Adam, velut ad homagium ei præſtandum, & vt nomina imponeret.

Excellentiæ hominis.

Pſal. 8, 5.

Poſt peccatum etiam ius habet vtendi, & induſtriã à Deo accepit, vt ſibi ſubijciat, etiã feras, vt ait S. Iacob, *Omnis natura beſtiarũ, & volucrum, & ſerpentium, & reliquorum domantur & domita ſunt à natura humana.* Vtinam & paſsiones beſtiales ego domarem, in animalibus ſignificatas, in piſcibus concupiſcentiam carnalem, in volatilibus ambitionem & ſuperbiam, in ſerpentibus cupiditatem terrenorum, in feris, & beſtijs iram & vindictæ appetitum. Vna eſt *lingua*, quam *nemo domare poteſt*, vt idem ſubijcit Apoſtolus.

Iacob. 3. 7.

MEDITATIO XXVI.

De formatione corporis Adæ, & inspiratione animæ.

PVNCTVM I.

Corpus formatum ante animam.

QVÒD Deus voluit seorsim narrari formationem corporis, & quidem priùs quàm animæ infusionem. Nempè, vt intelligeretur, cùm reliquæ animantes ex terra sint secundùm animam & corpus, hominem non nisi secundùm corpus. Non creauit autem ex nihilo, sed *formauit ex limo*, vt intelligeret fragilitatem suam, & quòd ex se mortalis sit.

Documenta.

Eccl. 10. 9.

Rom. 9. 20.

Isai. 54. 8.

Iere. 18. 6.

Gen. 3. 19.

Hinc 1. humiliabitur, sibimet dicens: *quid superbis terra & cinis?* 2. non obloquetur Deo, quidquid sibi eueniat: *Nunquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* 3. confidit: & *nunc, Domine Pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis* 4. vt me resignem Deo, *ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus.* 5. Vt cogitem, vas istud confringi per peccatum, & in suum redigi puluerem, *puluis es, & in puluerem reuerteris.*

PVNCTVM II.

Corporis excellentię.

OMNIPOTENTIA Dei in corpore humano formando ex tam rudi, vilique

mate-

materia. 1. quia tot & tam diuersis partibus tamque delicatis constat, & coaluerunt omnes momento: *Domine omnia ossa mea dicent: Quis similis tibi?* Eadem membra in vtero formantur ex vili quoque materia, sed per intervallum, à Deo tamen, vt mater Machabæorum professa est: *Non ego membra compegi, sed mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem.* 2. Quòd tam pulchrum corpus, & complexionis tam eximiæ in iustam magnitudinem subitò eduxerit, cùm aliàs per triginta annorum incrementa perfici soleat. 3. Quòd figura erectum, & spectans in cœlum, quò mens & cor sustolli debent. At sunt, quos alligauit Sathan, vt mulierem illam, quã Dominus soluit & inclinati ad terram incedunt, nec possunt sursum respicere. 4. quòd tametsi ob perfectam complexionem corpus formatum est nudum, & inerme, cùm reliqua animalia vestita, & instructa ad sui defensionem ferè sint à natura tamen defectum hunc omnem supplet industria, qua pollet homo, ad se contegendum, muniendumque.

1. Psal. 34. 10. 2. Mac. 7. 22. Ecclef. 11. 5. 2. 3. Luc. 13. 16. 4.

PVNCTVM III.

ET *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* quo in primis significatur, animam hominis non esse ex terra, vt corpus, vel ex alia quapiam reproductam, sed creatam à Deo ex nihilo, atque ex præcordijs Dei procedere, ex more singulari, & per os eius. quod de sapientia diuina dicitur: *Ex ore altissimi prodij,* nempè

Gen. 2. 7. Anima ex nihilo. Eccli. 24. 5.

nempè quòd anima ſit imago Dei, vt ipſa ſapientia: ſed hæc increata, & conſubſtantialis. Tanta eſt animæ noſtræ nobilitas; de qua gloriari oporteat, non de proſapia maiorum, & glorificare largitorem, & illuc contendere, vnde exiuit, nempè ad Deum, in eoque eſſe per charitatem.

Animam vocat *ſpiraculum vitæ*, quia inſpirata corpori, facit illud viuere, & reſpirare, quod eſt ſignum vitæ. *In faciem* autem inſpirauit, quia in ea vigent præcipui ſenſus, & ipſa reſpiratio, quibus maximè vita conſtat. Igitur quoties reſpiro, ſuſpirabo ad illum, qui reſpirationem dat mihi. Nam ſicut corpus abſque animæ ſpiraculo non poteſt viuere, ita nec anima mea, niſi Deo illam conſeruante, & quaſi ſemper ſpirante.

Vita gratiæ.

Cogita etiam eſſe aliam vitam ſpiritualem gratiæ, quam ſimiliter inſpirat Deus, & fortè ideò in Hebræo dicitur: *quòd inſpirauit ſpiraculum vitarum*: hoc eſt, vitæ naturalis, & gratiæ. nam primus homo accepit ſimul ambas, creatus in gratia. Quanquam & naturalis vita eſt multiplex, vegetans, ſentiens, & rationalis. Ad ſignificandam inſpirationem vitæ gratiæ, Chriſtus dedit *Spiritum ſanctum per inſufflationem*. Nam Spiritus ſanctus ſanctificator animarum procedit à Patre per os Filij, tanquam diuinus flatus. O hunc, Deus, aſsiduè mihi affla, vt hac vita viuam.

Ioan. 20. 22.

PVNCTVM IV.

QVIS sensus Adæ, vbi se primùm, & creata circumspexit, cœlos, solem, astra, & conuestitam terram amœnitate admirabili? vbi in paradisum inductus? vbi animalia ad eum adductas? quibus & nomina dedit? & acceperat diuinitus scientiam, qua æstimare posset donorum magnitudinem! O quid erit in cœlestem illum Paradisum introduci! & tantò meliorem mundum spectare!

PVNCTVM V.

CVM aues, & terrestria animalia Deus creauerit in vtroque sexu: hominem non item; sed virum tantùm. 1. quòd homo creabatur, vt Deo vacaret, non generationi; etsi id tunc erat necessarium ad propagationem; sed quasi per accidens. vnde & in sopore ex eius latere Eua est producta: quòd coniugium non debet impedire studium orationis, *& qui habent vxores, sint tanquam non habentes.* 2. ad fouendam inter nos charitatem: quòd ex vno omnes, ex vno Patre in cœlo, & ex vno Patre in terris. Vnde Malachias: *Nunquid non vnus Pater omnium nostrum? numquid non vnus Deus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; fratrem suum?* 3. Significatur vnus Pater in esse gratiæ, Christus Dominus Pater futuri sæculi: ex huius latere sopiti, in cruce formata est Ecclesia, dum sanguis & aqua fluxit, in lauacrum regenerationis, quo illa ædifi-

Creatio viri prior.
1.
2.
1. Cor. 7. 29.
Malachia 2. 10.
3.

Ephes. 5. 27. catur, & efficitur *sine ruga & macula*, ex quo capite tantò plus. ad mutuum amorem excitari debemus.

MEDITATIO XXVII.

De approbatione totius operis, ac de Sabbatho.

PVNCTVM I.

Reflexio Dei super opera sua.

POST opera singula, *vidit Deus, quòd essent bona*: in fine autem reflectens se super omnia, vidit: *quòd essent valdè bona*, nempè vnaquæque res in se bona fuit, & in ordine ad perficiendum mundum, qui ex illis constat, valdè bonus.

Solus Deus potest ita loqui de omnibus suis operibus: tùm etiam Christus, qui peccare non potuit, quòd esset Deus. de quo dicitur: *benè omnia fecit*. & B Virgo, quæ non peccauit, ex singulari priuilegio. Alij quantumuis iusti: *in multis offendimus omnes*. Debemus opera nostra examinare, primò singula, vbi aliquod perfecimus; deinde ad vesperam, quæ per diem: tertiò in fine hebdomadæ pro confessione; quartò quotannis pro generali; demum in fine vitæ, vt *Princeps huius mundi* in nobis, quod suum sit, *inueniat nihil*.

Marc 7. 37

Iacob. 3. 2.

Ioan. 14. 30.

PVNCTVM II.

DIE *septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat.* Non quasi non posset plura facere; sed, quia iam istud perfectum erat. Nec requieuit in ipsis creaturis, vnde nihil accepit; sed in se ipso gaudens, quòd expleuisset æternum suum consilium creandi mundum. Sic ego in Deo, non in creaturis quietem ponam, lætari licet de illis: nam & *lætatur Deus in operibus suis.* Et *delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Sed non requiescere in illis verùm ad Deum referre. *Requieuit* Deus, non quasi laborasset: sic mihi ne sit labori, propter Deum operari. *Et benedixit diei septimo* Dei est benedicere, benefacere. Cessauit à creando, sed non à conseruando, & gubernando, quod fecerat, sed ex tunc vsque modò semper operatur, quæ est noua benedictio. Creaturæ quoque ipsæ secundùm acceptam virtutem deinceps operari cœperunt, atque ad fines suos tendere: neque enim conditæ sunt, vt cessarent, ac imprimis homo ipse, cui præcipuè sanctificatus est dies Sabbathi, vt moneretur æternæ quietis, & sabbatismi, quò adspirare deberet.

Benedictio diei septimæ.

Psal. 103. 31.
Psal. 91. 5.

PVNCTVM III.

PRÆCIPIT Deus Judæis: *memento, vt diem Sabbathi sanctifices*: idque ad memoriam beneficij creationis. Huic successit dies

Exod. 20. 10.
Mysterium cessationis ab omni opere.

Dominicus in memoriam renouationis, quam sua redemptione Christus perfecit, & illius, quam speramus in resurrectione corporum, & gloria cœlesti. Porrò sanctificatur dies Dominicus. 1. abstinendo à peccatis, quæ sunt opera maximè seruilia. Nam *qui facit peccatum, seruus est peccati*: nec maior potest esse ingratitudo, quàm tunc offendere Deum, cùm recolenda est memoria illius beneficiorum. 2. meditando acceptum beneficium per exercitium orationis. 3. laudando Deum etiam voce, quod fit in Ecclesia, quò conuenire oportet, *cantantes in cordibus nostris, & gratias agentes Deo, & Patri misericordiarum per Christum*. 4. offerendo sacrificium, quod fit ad cultum Dei in gratiarum actionem, & ad impetranda beneficia. Offerre autem cum sacerdote quisq; debet, iungendo intentionem suam, & preces, vt acceptabile fiat Deo sacrificium nobisque salutare. Addi etiam debet sacrificium spiritus contribulati, & cordis contriti, nec non sacrificium iustitiæ, & bonorum operum, quia non sufficit cessare à seruilibus, nisi adijciamus bona.

Ioan. 8. 35.

Colos. 3. 16.

Quando nos ita sanctificamus diem, vicissim Deus benedicet illi diei, replens nos benedictionibus cœlestibus, ac etiam temporalibus. Ergo *conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: recole accepta, adspira ad futura.

(§)

MEDITATIO XXVIII.

De conseruatione rerum, & dependentia à Deo.

Pvnctvm I.

Omnia pendent à Deo in conseruatione sui esse, quæ est quasi cõtinuata quædam creatio, sicut lumen in aëre, vt sole subtrahente concursum, statim pereat; ita, &c. Hoc est, quod Paulus ait: *portansq́ omnia verbo virtutis suæ.* Et Isaias: *conseruata sunt, & nunc creata sunt, & non ex tunc.* Omnes pendent à Deo. *Heb.* 1.3. *Isa* 48.6.

Hinc *fiduciam* concipiam ex Deo, vt ille: *Nos in omnipotente Deo confidemus, qui potest & venientes aduersus nos, & vniuersum mundum vno nutu delere.* *Mach.* 8, 18.

Item *timorem* à tam potenti, cùm iustus sit. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Quomodo timerem offendere eum, qui me tribus digitis appensum teneret in sublimi. *Iere.* 10. 24.

Item affectum concipiam *humilitatis*: cùm ex me non subsistam, nisi quà sustentor, & simul *charitatis* erga sustinentem me.

PVNCTVM II.

Beneficia ex conseruatione.

AD conseruationem etiam hominis concurrunt omnia à Deo creata, cœli, astra, motores, elementa & tot alia; vnde cibus, & quæcunque faciunt ad conseruationem hominis. quod in particulari applicabo ad quasuis res, quibus vtor pro sustentatione, & commodo, quæ licèt exiguæ, non extant tamen absque multis causis, tùm particularibus, tùm vniuersalibus, à cœlo, &c.

Item quòd Deus nunquam aliquid in nihilum redigit, sed ex vno aliud existere facit, nec peccatores & dæmones ipsos: quamuis aliquando dixerit: *pœnitet me fecisse hominem.*

Genes. 6. 7.

Item quòd multa nos latent beneficia Dei, pro conseruatione nostra auertendo pericula mille: nec est malum, quod aliquis patitur, quin ego similiter possem: latere autem ea vult & doceamur benefecere, non quæsita laude.

PVNCTVM III.

Actiones rerum à Deo pendent.

QVOD res omnes pendent à Deo, non in esse tantùm conseruando, sed vt operari possint. Vbi admiranda omnipotentia, quæ assistit omnibus in operando, ac si vni tantùm. Applicabo mihi, discurrendo per singulas operationes meas. *Omnia opera nostra operatus est Dominus in nobis.* Et *Pater meus vsque modò operatur.* Et hæc assistentia est infallibilis,

Isai. 26. 12.
Ioan. 5. 17.

bilis, nisi quando subtrahat ad gloriam suam manifestandam. vt cũ *ignis non combussit tres pueros in fornace*; & concurrit ad ipsasmet actiones, quibus inest culpa; ne deroget humanæ libertati. O, ego non abutar tuo concursu ad malum. ac siquidem *in te mouemur & sumus*: quod ago, & sum tibi seruiat. Dan. 3. 50. Act. 17. 28.

Hinc humiliabor, quòd nihil planè agere ex me possum. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. &, *sine me nihil potestis facere*. Vt homo non glorietur: *Numquid potest gloriari securis contra eum, qui secat in ea? Ergo humiliamini sub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore visitationis*. 2. Cor. 3. 5. Ioan. 15. 5. Isa. 10. 15. 1. Pet. 5. 6.

MEDITATIO XXIX.

Quid sit prouidentia, & quæ bona ex ea proueniant.

PVNCTVM I.

PROVIDENTIA est dispositio mediorũ per quæ fines suos consequantur res creatæ, ac præsertim homo. Vbi 1. considerandũ in Deo ex parte intellectûs inesse illi perfectã notitiam finium, & mediorum nec non & impedimentorum, quæ obijci possunt, & qua ratione eis occurrendum. vnde ex ignoratione non potest falli diuina prouidentia, sicuti potest humana. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ*. 2. Ex parte voluntatis, quæ est summè bona, voluit rebus præfigere Quid prouidentia? 1. Sap. 9. 14. 2.

excellentissimũ finem, qualis est manifestatio suæ gloriæ. sed præterea singulis rebus proprium & accommodatum, cũ opportunis medijs: homini autem, vt & Angelis, claram sui visionem, qui finis supra naturam est. 3. Ex
3. parte potentiæ nihil Deo deest ad præstandũ, quod ordinauit. Quare prouidentia vtitur his tribus: *Sapientia, Bonitate, Potentia*: quibus tanquam tribus digitis sustinet mundum.

1. Pet. 5. 7. Hæc ad me applicabo, atque ita *omnem sollicitudinem proijciam in ipsum, quia ipsi est cu-*
Cant. 2. 16. *ra de me. Dilectus meus mihi, & ego illi*, ipse mea curabit, ego, quæ illius sunt.

PVNCTVM II.

Bona Prouidentia Dei.

QVÒD Diuina prouidentia est mihi omnia; dat esse vt mater; gestat vlnis vt nutrix; instruit vt pædagogus, est vt Magister, Consiliarius, Rector, Amicus, Medicus, Iudex, Pastor: & quæcunque officiorum genera cogitari possunt, ex charitate & misericordia prouenientia, mihi præstat. Ab eadem proficiscitur quidquid animæ, & corpori boni obuenit: mala autem auertit, vel ex eis eripit.

PVNCTVM III.

Curam gerit suorum.

PROVIDENTIA Dei. 1. Tota est circa creaturas; non etiam circa se, cùm nihil aliunde accipiat. 2. Est circa singula vel minutissima. *Pusillum & magnum ipse facit, &*
Sap. 6. 8. *æqualiter cura est illi de omnibus* vnde confidã 3. Per se exequitur etiam prouidentiam quia etsi vtitur ministerio, tamen ipse adest o-

mni-

mnibus, & fine illo nihil fit, etiam ex liberis. 4. Nihil cafu euenit refpectu prouidentiæ Diuinæ.

MEDITATIO XXX.

De prouidentia in gubernatione mundi.

PVNCTVM I.

PROVIDENTIA in creatione mundi recolenda. antequam ipſum hominem conderet, ædificauit priùs illi domum.

PVNCTVM II.

QVI creauit, idem gubernat. *Quem conſtituit alium ſuper terram?* ait Iob; & Sapiens. *Tua pater prouidentia gubernat* à principio omnia. Communicat tamen partẽ aliquam cum creaturis. quare, *qui poteſtati reſiſtit: Dei ordinationi reſiſtit.* ipſe autem vt ſupremus gubernator, dirigit illos ipſos miniſtros ſuos.

Iob 34. 13.

Sap. 14. 3.

Rom. 13. 2.

PVNCTVM III.

EXCELLENTER gubernat. 1. Vt Pater. & ita ſuauiter dans rebus propenſionem ad fines, ad quos eas dirigit. Vnde homini indidit ad virtutem inclinationem, cumque ab appetitu retardari poſſet: ideò cum iuſtitia originali eum creauit. 2. Efficaciter: vt facere poſsit, vt velimus, quod ipſe vult, ſalua libertate. 3. Iuſtè: cùm alioqui ſit Dominus abſolutus, & quiduis poſsit de creatura. hinc

Excellentia gubernationis.

1.

2.

3.

4. ſupplicia & præmia proponit, & reddit pro merito. 4. Vtiliter: impertit participationẽ ſuæ bonitatis, cõſeruat, promouet ad profectum. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* imitentur, qui regunt, has proprietates prouidentiæ circa ſuos.

Pſal. 21. 1.

PVNCTVM IV.

EXTENDITVR ad omnes creaturas à ſupremo Angelo ad vermiculum. *Numerati ſunt capilli, nec vnus perit, neq; folium ſine voluntate Dei.*

Luc. 21.18. *Matt. 10 30*

MEDITATIO XXXI.

De prouidentia in victu, cultu & bonis fortunæ.

Sumitur hæc meditatio ex verbis Chriſti, Matt. 6 Luc. 12

PVNCTVM I.

Matt. 6. 25. Nimia ſollicitudo.

NE *ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neq; corpori veſtro, quid induamini* quæ ſollicitudo reprehenditur. 1. De ſuperfluis ad vitam, vel ſtatum. 2. Si nõ in tempore. 3. Si malo modo, cum iactura ſpiritualium, aut præ illis, aut per media illicita, aut [illegible] malos fines, aut ſi in eis conſtituitur finis [illegible] anxia, & cũ turbatione, vt Marthæ: quia [illegible]gnum inordinati affectus ad rem, & parũ [illegible] erga prouidẽtiam Dei. Examinabo me [illegible] vt cui dicitur: *ſtulte, hac nocte [illegible] tuam. & quæ paraſti cuius erunt?*

runt? sequar illud: *Omnem sollicitudinē projicientes in Deum quia ipsi est cura de vobis.* nō tamē reprehenditur debita diligentia in prouidendo, quæ careat prædictis vitijs. 1. Pet. 5. 7.

PVNCTVM II.

RATIO reddita à Christo: *nonne anima plus est quàm esca; & corpus plus quàm vestimentum*? tria insunt. 1. Quòd præstat anima escæ, corpus vestimento, quibus continentur omnia ad vitam & cultum. 2. Quòd sicut ex Deo habemus animam & corpus, ita ex eius dispositione venit, quòd egeamus esca, & veste. 3. Quòd qui dedit illa, dabit ista, ac proinde ei fidendum. Collige hinc, quòd esca & cultu vtendum, quatenus non obsint potioribus, sicut ait Paulus: *noli propter escam destruere opus Dei*; &, *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; anima verò sua detrimentum patiatur*? Item, collige vniuersè, quando præbet Deus aliquod insigne donum, daturum etiam quæ illuc spectant. Sic Paulus: *qui filium suum tradidit, quomodo non omnia cum illo*? sic, qui ad perfectionem vocauit, dabit media, & qui seipsum in Sacramento ad alimentum, etiam, corporalem cibum. Item collige, quòd siquidem de cibo & amictu Deus prouidet, etiam curam gerit eorum, vnde ista nobis proueniunt, agrorum, pecorum, &c. nec non pluuiæ, venti & influxuum, vnde illa pendent. Itaque vt propriam rem Deus curat.

Matt. 6. 25. Pro anima obicitum esc.

Rom. 14. 20.

Matt. 16. 26

Rom. 8. 32.

PVN-

PVNCTVM III.

ALTERA ratio ab exemplo animalium. *Respicite volatilia cœli, & considerate coruos; quia non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis?* de coruis Iob: *Qui præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes: eò quòd non habeant cibum:* & tamen illi non sunt filij, sicut vos: & sunt tantò viliores. Deinde aues non serunt, neque metunt: & tamen habent. *Aquila contemplatur escam, & pulli eius lambunt sanguinem,* quo nutriuntur. hirundines per aëra pinguescunt: depone erga anxietatem.

Matt. 6. 26. Luc. 12. 7. Iob 38. 41. Iob 39. 29.

Pariter nutrit. *Tu das escam illorum in tempore opportuno, qui das iumentis escam ipsorum: catuli leonum vt rapiant; & quærant* à Deo *escam sibi.* Ergo *iacta super Dominum curam tuam: quia ipse te enutriet.*

Psal. 144. 15. Psal. 103. 21.

PVNCTVM IV.

QVIS *vestrum cogitans potest adijcere ad staturā? Si ergo nec quod minimū est, potestis; quid de cæteris solliciti estis?* Statura cuique decreta est à Deo, & succresсit, ipso nihil agente: quid ni det nutrimentum ad eam necessarium? & dat sæpe modis occultis: vt magis aduertamus eius prouidentiam. Item ait: sicut frustra est sollicitudo pro statura; ita pro esca: si Deus non prouideat. Frustra ergo angeris

Psal. 54. 25. Matt. 6. 27. Luc. 12. 26.

geris. Hinc etiam collige, quemcunque contentum esse debere etiam statura,& alijs corporis qualitatibus,vti à Deo. *ipse fecit nos & non ipsi nos.*

PVNCTVM V.

DE *vestimento quid solliciti estis*? omnia viuentia vestiuit Deus, pisces squamis, aues plumis,pecora lanis,aut dura cute, plãtas etiam cortice. Hominem autem vestiuit iustitia originali;qua tutus erat, & nihil indecori inde patiebatur. Hac exutus per culpam cùm esset, prouidit de pellibus, docuitque modum se vestiendi.adeo non deserit hominem prouidentia, quamuis gloriosam stolam abiecisset. *Matt.6.28.*

Considerate lilia agri; nec Salomon sic fuit coopertus in omni gloria sua. Non ex animalibus sumpsit exemplũ; sed ex floribus,qui sunt ornatissimi.1.Vt indicaret,non ad necessitatem tantùm,sed etiam ad splendorem prouidere de vestimentis. 2. quòd si rem mox interituram sic ornat, quantò magis tibi prouidebit. *si fœnum agri,quod hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Potest referri ad reprobos mox perituros: quos non destituit prouidentia sua:quomodo Electos?

PVNCTVM VI.

NOLITE *solliciti esse dicentes: quid manducabimus*? toties abducit à superflua sollicitudine, tanti id facit. Lucas addit: & *Matt.6.31. Luc.12.29.*

nolite

nolite in sublime tolli. 1. vetat sollicitudinem de excellentia nominis, honoris, dignitatum. 2. ne de talibus inflemur, si obueniant, Deo largiente. 3. ne supra nostram paruitatem eleuari optemus, aut procuremus. 4. ne in astra cœli curiosè intenti, inde speremus; sed à Deo, *in*
Psal. 30, 16. *cuius manu sunt sortes nostræ*, & qui eas temperat. 5. ne velut absorpti præ sollicitudine incedamus. 6. ne quasi vices Dei nobis arrogantes, ac si nostra cura assequi possimus sine Deo.

Iob. 22. 13. Psal. 72, 11. Luc 12. 30. Addit duas rationes. 1. *Hæc enim omnia gẽtes inquirunt*, qui prouidentiam negant, dicentes: *quid enim nouit Deus? nec nostra considerat*; vel etiam carnales, qui facto ipso dicunt: *quomodo scit Deus?* 2. *Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Scit, est Pater, & potest. Hæc basis fiduciæ. quòd si se-
Prou. 12. 21. cus acciderit, quàm opto; *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*: dum reputat, ex prouidentia diuina venire.

PVNCTVM VII.

Matt. 6. 33. QVAERITE *ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ordo seruandus, vt promereamur Deo curę esse. *Primum*: Hæc prima cura & præcipua, & cuius causa curæ cæteræ. *Quærite*: non ait: solliciti estote: quia & in hoc vitanda anxietas ex diffidentia.

Regnum Dei, cœleste & æternum, vbi cum Deo regnetis, sed & vt ipse modo regnet,

longè lateque in hominibus, & in te

Et iustitiam eius: quia hæc est medium absolutè necessarium, perueniendi ad regnum.

Et hæc omnia adijcientur vobis promissio est certa. At *diuites eguerũt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* quòd si defectum patiantur; certò credant ita eis expedire. *Psal. 33. 11.*

Non ait; *quærite regnum Dei;* & postea hæc alia, quia nec tunc vult sollicitè quæri. sed *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes sint* nec ait: dabuntur vobis; sed *adijcientur*, vt auctuarium; non, vt præmium. *1. Cor. 7. 31.*

PVNCTVM VIII.

EXTRA ordinẽ etiã Deus prouidet de talibus, ad testandam suam curam Filijs Israel *pluit manna*. 40. annis *petra* potum dedit, *vestimenta & calceamenta non sunt consumpta*. Eliam aluit mane & vesperi, *carnes & panes per coruum* suppeditando, alioqui voracissimum, sic peccatores, alioqui cupidi, Deo agente, nutriunt seruos Dei. *Exod. 16. 35.* *c. 17. 6.* *Deut. 29. 5.* *3. Reg. 17. 6.*

Aliàs per pauperem viduam, cui nihil erat, sed locupletauit eam, vt posset alere seruum suum. Prouidet suppeditando pijs, vnde alant seruos Dei. *Ibidem.*

Item per Angelos: sic Eliæ fugienti apposuit Angelus panem, & aquam Et alius portauit Habacuc in Babyloniã ad Danielem cũ prandio. Tres hi modi singularis prouidentiæ

Digitized by Google

MEDITATIO XXXII.

De prouidentia Dei in aduersis & malis, tum culpæ, tum pœnæ.

PVNCTVM I.

Aduersa cur obueniant.

OMNIA mala, tum culpæ, tum pœnæ cadunt sub diuinam prouidentiam, quæ nouit; ex omnibus elicere bonum, præsertim
1. triplex 1. manifestat Deus suam excellentiam
2. in subueniendo malis. 2. conseruatio mundi id fert: quæ ex vicissitudine pendet, dum alia corrumpuntur, generantur alia. Sic naturalis inimicitia inter animalia ipsa, vt alia ex alijs
3. nutriantur. 3. peculiare bonum hominis, tum naturale, tum supernaturale: quod vtrumque ex malis contrarijs perficitur: nam virtutes inde eminent: itaque inter mala intendam animum ad bonum, quod Deus inde elicit.

PVNCTVM II.

Diaboli tentationes

DE prouidentia in Diaboli impugnationibus. 1. sine permissione Dei nihil po-
1. test, nec in porcos: cùm autem permittit, certo id limite, vt nihil vltrà possit. 2 cùm dæ-
2. mon intendat perdere nos; Deus elicit bonū, vt sic ad orationem, mortificationem, aliasque virtutes exercendas excitemur; & vnde volebat nos ad luxuriam, vel impatientiam impellere, reddamur in vtroque solidiores. 3. at-
3.

tempe-

temperat impugnationem viribus naturæ & gratiæ: *vt poßimus sustinere*; cùm & proficiamus inde: adest autem per viros spirituales, & per Angelos, & per internas inspirationes ac motus. Hinc non attendam ad Dæmonem impugnantem, sed ad Deum permittentem, de cuius manu venit: vt Iob, qui dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Deinde non respiciam ad mala, quæ Dæmon spectat; sed ad bona; quæ Deus inde parat mihi conferre. 1. Cor. 10. 13. Iob. 2. 10.

Pvnctvm III.

De prouidentia circa mala, quæ ab alijs hominibus patimur. 1. quòd nihil possunt, nisi quantum Deus suo consilio sinit. *passer non cadit in terram sine patre vestro; nec est in obliuione coram Deo. Sed & capilli vestri numerati sunt; nolite ergo timere.* Vbi duplex ratio continetur: quia, si vitæ passerum est tāta cura Deo, & si capillus nihili in numerato est, quantò magis homo, & quæ huius præcipua sunt? *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ergò custodi me, vt pupillam oculi tui. *sub vmbra alarum tuarum protege me.* 2. quòd Deus inde nobis procurat bonum, contrarium malo intento ab aduersarijs: & illos met aliquando iuuat. Sic Ioseph per occasionem venditionis *exaltatus est*; & fratribus succurrit, quod vtrumq; ipse obseruat. proinde dicam: *Obmutui, quoniam tu fecisti.* Et vt Dauid de Semei; *Dominus præcepit ei.* dicitur præcipere: quia permittit consulto in bonum tuum.

Persecutiones hominum. 1. Mat. 10. 29. Luc. 12. 6. Zacha. 2. 8. Psal. 16. 8. 2. Gen. 50. Psal. 38. 10. 2. Reg. 16. 10.

excellentissimū finem, qualis est manifestatio suæ gloriæ. sed præterea singulis rebus proprium & accommodatum, cū opportunis medijs: homini autem, vt & Angelis, claram sui

3. visionem, qui finis supra naturam est. 3. Ex parte potentiæ nihil Deo deest ad præstandū, quod ordinauit. Quare prouidentia vtitur his tribus: *Sapientia, Bonitate, Potentia*: quibus tanquam tribus digitis sustinet mundum.

1. Pet. 5. 7. Hæc ad me applicabo, atque ita *omnem sollicitudinem proijciam in ipsum, quia ipsi est cura de me.* Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, ipse mea curabit, ego, quæ illius sunt.

PVNCTVM II.

Bona Prouidentia Dei.

QVÒD Diuina prouidentia est mihi omnia; dat esse vt mater; gestat vlnis vt nutrix; instruit vt pædagogus, est vt Magister, Consiliarius, Rector, Amicus, Medicus, Iudex, Pastor: & quæcunque officiorum genera cogitari possunt, ex charitate & misericordia prouenientia, mihi præstat. Ab eadem proficiscitur quidquid animæ, & corpori boni obuenit: mala autem auertit, vel ex eis eripit.

PVNCTVM III.

Curam gerit suorum.

PROVIDENTIA Dei. 1. Tota est circa creaturas; non etiam circa se, cùm nihil aliunde accipiat. 2. Est circa singula vel minutissima. Sap. 6. 8. *Pusillum & magnum ipse facit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* vnde confidā 3. Per se exequitur etiam prouidentiam quia etsi vtitur ministerio, tamen ipse adest o-

mni-

mnibus, & sine illo nihil fit, etiam ex liberis.
4. Nihil casu euenit respectu prouidentiæ Diuinæ.

MEDITATIO XXX.

De prouidentia in gubernatione mundi.

PVNCTVM I.

PROVIDENTIA in creatione mundi recolenda. antequam ipsum hominem conderet, ædificauit priùs illi domum.

PVNCTVM II.

QVI creauit, idem gubernat. *Quem constituit alium super terram?* ait Iob; & Sapiens. *Tua pater prouidentia gubernat* à principio omnia. Communicat tamen partē aliquam cum creaturis. quare, *qui potestati resistit: Dei ordinationi resistit.* ipse autem vt supremus gubernator, dirigit illos ipsos ministros suos.

Iob 34. 13.
Sap. 14. 3.
Rom. 13. 2.

PVNCTVM III.

Excellentia gubernationis.

EXCELLENTER gubernat. 1. Vt Pater. & ita suauiter dans rebus propensionem ad fines, ad quos eas dirigit. Vnde homini indidit ad virtutem inclinationem, cumque ab appetitu retardari posset: ideò cum iustitia originali eum creauit. 2. Efficaciter: vt facere posit, vt velimus, quod ipse vult, salua libertate. 3. Iustè: cùm alioqui sit Dominus absolutus, & quiduis posit de creatura. hinc

supplicia & præmia proponit, & reddit pro merito. 4. Vtiliter: impertit participationẽ
4. suæ bonitatis, conseruat, promouet ad profe-
Psal. 21. 1. ctum. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* imitentur, qui regunt, has proprietates prouidentiæ circa suos.

PVNCTVM IV.

EXTENDITVR ad omnes creaturas à supremo Angelo ad vermiculum.
Luc. 21. 18. *Numerati sunt capilli, nec vnus perit, neq; folium sine*
Matt. 10. 30 *voluntate Dei.*

MEDITATIO XXXI.

De prouidentia in victu, cultu & bonis fortunæ.

Sumitur hæc meditatio ex verbis Christi, Matt. 6. Luc. 12.

PVNCTVM I.

Matt. 6. 25. Nimia sollicitudo. NE *solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini* quæ sollicitudo reprehenditur. 1. De superfluis ad vitam, vel statum. 2. Si nõ in tempore. 3. Si malo modo, cum iactura spiritualium, aut præ illis, aut per media illicita, aut ob malos fines, aut si in eis constituitur finis 4. Si anxia, & cũ turbatione, vt Marthæ: quia est signum inordinati affectus ad rem, & parũ fiduciæ erga prouidẽtiam Dei. Examinabo me
Luc. 12. 20. de his, ne sim, vt cui dicitur: *stulte, hac nocte repetent animam tuam, & quæ parasti cuius erunt?*

runt? sequar illud: *Omnem sollicitudinē proijcientes in Deum quia ipsi est cura de vobis.* nō tamē reprehenditur debita diligentia in prouidendo, quæ careat prædictis vitijs. 1. Pet. 5. 7.

PVNCTVM II.

RATIO reddita à Christo: *nonne anima plus est quàm esca; & corpus plus quàm vestimentum?* tria insunt. 1. Quòd præstat anima escæ, corpus vestimento, quibus continentur omnia ad vitam & cultum. 2. Quòd sicut ex Deo habemus animam & corpus, ita ex eius dispositione venit, quòd egeamus esca, & veste. 3. Quòd qui dedit illa, dabit ista, ac proinde ei fidendum. Collige hinc, quòd esca & cultu vtendum, quatenus non obsint potioribus, sicut ait Paulus: *noli propter escam destruere opus Dei*; &, *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Item, collige vniuersè, quando præbet Deus aliquod insigne donum, daturum etiam quæ illuc spectant. Sic Paulus: *qui filium suum tradidit, quomodo non omnia cum illo?* sic, qui ad perfectionem vocauit, dabit media, & qui seipsum in Sacramento ad alimentum, etiam, corporalem cibum. Item collige, quòd siquidem de cibo & amictu Deus prouidet, etiam curam gerit eorum, vnde ista nobis proueniunt, agrorum, pecorum, &c. nec non pluuiæ, venti & influxuum, vnde illa pendent. Itaque vt propriam rem Deus curat.

Matt. 6. 25. Pro anima obicitum &c.

Rom. 14. 20. Matt. 16. 26

Rom. 8. 32.

PVN-

PVNCTVM III.

ALTERA ratio ab exemplo animalium. *Respicite volatilia cœli, & considerate coruos; quia non seminant, neque metunt, neq; congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis?* de coruis Iob: *Qui præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes: eò quòd non habeant cibum:* & tamen illi non sunt filij, sicut vos: & sunt tantò viliores. Deinde aues non serunt, neque metunt: & tamen habent. *Aquila contemplatur escam, & pulli eius lambunt sanguinem,* quo nutriuntur. hirundines per aëra pinguescunt: depone erga anxietatem.

Matt. 6. 26. Luc. 12. 7. Iob 38. 41. Iob 39. 29.

Pariter nutrit. *Tu das escam illorum in tempore opportuno, qui das iumentis escam ipsorum: catuli leonum vt rapiant, & quærant* à Deo *escam sibi.* Ergo *iacta super Dominum curam tuam: quia ipse te enutriet.*

Psal. 144. 15. Psal. 103. 21. Psal. 54. 25.

PVNCTVM IV.

QVIS *vestrum cogitans potest adijcere ad staturā? Si ergo nec quod minimū est, potestis; quid de cæteris solliciti estis?* Statura cuique decreta est à Deo, & succresit, ipso nihil agente: quid ni det nutrimentum ad eam necessarium? & dat sæpe modis occultis: vt magis aduertamus eius prouidentiam. Item ait: sicut frustra est sollicitudo pro statura; ita pro esca: si Deus non prouideat. Frustra ergo angeris

Matt. 6. 27. Luc. 12. 26.

geris. Hinc etiam collige, quemcunque contentum esse debere etiam statura,& alijs corporis qualitatibus, vti à Deo. *ipse fecit nos & non ipsi nos.*

PVNCTVM V.

DE *vestimento quid solliciti estis?* omnia viuentia vestiuit Deus, pisces squamis, aues plumis, pecora lanis, aut dura cute, plãtas etiam cortice. Hominem autem vestiuit iustitia originali; qua tutus erat, & nihil indecori inde patiebatur. Hac exutus per culpam cùm esset, prouidit de pellibus, docuitque modum se vestiendi. adeo non deserit hominem prouidentia, quamuis gloriosam stolam abiecisset. Matt. 6. 28.

Considerate lilia agri; nec Salomon sic fuit coopertus in omni gloria sua. Non ex animalibus sumpsit exemplũ; sed ex floribus, qui sunt ornatissimi. 1. Vt indicaret, non ad necessitatem tantùm, sed etiam ad splendorem prouidere de vestimentis. 2. quòd si rem mox interituram sic ornat, quantò magis tibi prouidebit. *si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Potest referri ad reprobos mox perituros: quos non destituit prouidentia sua: quomodo Electos?

PVNCTVM VI.

NOLITE *solliciti esse dicentes: quid manducabimus?* toties abducit à superflua sollicitudine, tanti id facit. Lucas addit: & Matt. 6. 31. Luc. 12. 29.

nolite

nolite in sublime tolli. 1. vetat sollicitudinem de excellentia nominis, honoris, dignitatum. 2. ne de talibus inflemur, si obueniant, Deo largiente. 3. ne supra nostram paruitatem eleuari optemus, aut procuremus. 4. ne in astra cœli curiosè intenti, inde speremus; sed à Deo, *in*
Psal. 30, 16. *cuius manu sunt sortes nostræ*, & qui eas temperat. 5. ne velut absorpti præ sollicitudine incedamus. 6. ne quasi vices Dei nobis arrogantes, ac si nostra cura assequi possimus sine Deo.

Addit duas rationes. 1. *Hæc enim omnia gẽ*
Iob. 22. 13. *tes inquirunt*, qui prouidentiam negant, di-
Psal. 72. 11. centes: *quid enim nouit Deus? nec nostra consi-*
Luc 12. 30. *derat*; vel etiam carnales, qui facto ipso dicunt: *quomodo scit Deus?* 2. *Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Scit, est Pater, & potest. Hæc basis fiduciæ. quòd si se-
Prou. 12. 21. cus acciderit, quàm opto; *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*: dum reputat, ex prouidentia diuina venire.

PVNCTVM VII.

Matt. 6. 33. QVAERITE *ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ordo seruandus, vt promereamur Deo curę esse. *Primum*: Hæc prima cura & præcipua, & cuius causa curæ cæteræ. *Quærite*: non ait: solliciti estote: quia & in hoc vitanda anxietas ex diffidentia.

Regnum Dei, cœleste & æternum, vbi cum Deo regnetis, sed & vt ipse modo regnet,

longè lateque in hominibus, & in te

Et iustitiam eius: quia hæc est medium absolutè necessarium, perueniendi ad regnum.

Et hæc omnia adÿcientur vobis promissio est certa. At *diuites eguerũt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* quòd si defectum patiantur; certò credant ita eis expedire. Psal. 33. 11.

Non ait; *quærite regnum Dei*; & postea hæc alia, quia nec tunc vult sollicitè quæri. sed *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes sint* nec ait: dabuntur vobis; sed *adÿcientur*, vt auctuarium; non, vt præmium. 1. Cor. 7. 31.

PVNCTVM VIII.

EXTRA ordinẽ etiã Deus prouidet de talibus, ad testandam suam curam Filijs Israel *pluit manna*. 40. annis *petra* potum dedit, Exod. 16. 35 *vestimenta & calceamenta non sunt consumpta*. c. 17. 6. Eliam aluit mane & vesperi, *carnes & panes per coruum* suppeditando, alioqui voracissimum, sic peccatores, alioqui cupidi, Deo agente, nutriunt seruos Dei. Deut. 29. 5. 3. Reg. 17. 6.

Aliàs per pauperem viduam, cui nihil erat, sed locupletauit eam, vt posset alere seruum suum. Prouidet suppeditando pijs, vnde alant seruos Dei. Ibidem.

Item per Angelos: sic Eliæ fugienti apposuit Angelus panem, & aquam Et alius portauit Habacuc in Babyloniã ad Danielem cũ prandio. Tres hi modi singularis prouidentiæ

MEDITATIO XXXII.

De prouidentia Dei in aduersis & malis, tum culpæ, tum pœnæ.

PVNCTVM I.

Aduersa cur obueniant.

OMNIA mala, tum culpæ, tum pœnæ cadunt sub diuinam prouidentiam, quæ nouit; ex omnibus elicere bonum, præsertim triplex 1. manifestat Deus suam excellentiam in subueniendo malis. 2. conseruatio mundi id fert: quæ ex vicissitudine pendet, dum alia corrumpuntur, generantur alia. Sic naturalis inimicitia inter animalia ipsa, vt alia ex alijs nutriantur. 3. peculiare bonum hominis, tum naturale, tum supernaturale: quod vtrumque ex malis contrarijs perficitur: nam virtutes inde eminent: itaque inter mala intendam animum ad bonum, quod Deus inde elicit.

PVNCTVM II.

Diaboli tentationes

DE prouidentia in Diaboli impugnationibus. 1. sine permissione Dei nihil potest, nec in porcos: cùm autem permittit, certo id limite, vt nihil vltrà possit. 2. cùm dæmon intendat perdere nos; Deus elicit bonũ, vt sic ad orationem, mortificationem, aliasque virtutes exercendas excitemur; & vnde volebat nos ad luxuriam, vel impatientiam impellere, reddamur in vtroque solidiores. 3. at-

tempe-

temperat impugnationem viribus naturæ & gratiæ: *vt possimus sustinere*; cùm & proficiamus inde: adest autem per viros spirituales, & per Angelos, & per internas inspirationes ac motus. Hinc non attendam ad Dæmonem impugnantem, sed ad Deum permittentem, de cuius manu venit: vt Iob, qui dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Deinde non respiciam ad mala, quæ Dæmon spectat; sed ad bona; quæ Deus inde parat mihi conferre.

1. Cor. 10. 13.

Iob. 2. 10.

Pvnctvm III.

De prouidentia circa mala, quæ ab alijs hominibus patimur. 1. quòd nihil possunt, nisi quantum Deus suo consilio sinit. *passer non cadit in terram sine patre vestro; nec est in obliuione coram Deo. Sed & capilli vestri numerati sunt; nolite ergo timere.* Vbi duplex ratio continetur: quia, si vitæ passerum est tāta cura Deo, & si capillus nihili in numerato est, quantò magis homo, & quæ huius præcipua sunt? *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ergò custodi me, vt pupillam oculi tui. *sub vmbra alarum tuarum protege me.* 2. quòd Deus inde nobis procurat bonum, contrarium malo intento ab aduersarijs: & illosmet aliquando iuuat. Sic Ioseph per occasionem venditionis *exaltatus est*; & fratribus succurrit, quod vtrumq; ipse obseruat. proinde dicam: *Obmutui, quoniam tu fecisti.* Et vt Dauid de Semei; *Dominus præcepit ei.* dicitur præcipere: quia permittit consulto in bonum tuum.

Persecutiones hominum.

1\.

Mat. 10. 29.

Luc. 12. 6.

Zacha. 2. 8.

Psal. 16. 8.

2\.

Gen. 50.

Psal. 38. 10.

2. Reg. 16. 10.

PVNCTVM IV.

DE Prouidentia circa mala corporis, siue communia, siue priuata; & ex quacunque causa, siue naturali, siue malitiosa, siue incuria. Quia *non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*. 1. Igitur cogitabo, minuta quæque euenire ex prouidentia, & in numerato esse apud Deum *A Deo est omnis medela. Vita & mors à Deo sunt. percutit & sanat, mortificat & viuificat*. 2. ista permitti in bonum animæ, dum sic purior fit à culpis, vincit passiones, exercet virtutes. *virtus in infirmitate perficitur: & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Quare si caro refugit, dicam: ***Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum.***

Corporis aduersitates.
Amos 3. 6.
Eccl. 38. 2. & 11. 14.
Osee 6. 2.
1 Reg. 2. 16.
2. *Cor.* 12 9.
Ioan. 18. 12.

PVNCTVM V.

DE Prouidentia circa mala animæ; quorum alia sunt inuoluntaria, pugna carnis & spiritus, vagæ cogitationes, & inordinati motus, oborientes ex peccato originis quæ relicta sunt ad exercitium virtutum, & meritum, & Deus dat gratiam. Alia sunt volũtaria. quæ permittit, vt constet humana libertas; & inde surgit homo humilior, cautior, feruentior. Alia, vt à malis, qui peccant, exerceantur boni & perficiantur. Item, vt bonitatẽ suam ostendat, expectando peccatorem, & recipiendo; vel iustitiam, puniendo. Denique omnia cooperantur in bonum iustis, qui ex alienis etiam peccatis fiunt cauti, & ex

Animi miseriæ.

venia

venia aut pœna laudant misericordiam, aut iustitiam Denique multa nos latent diuinæ prouidentiæ effecta, ob quæ laudari debet, & gratiæ agi.

MEDITATIO XXXIII.

De Prouidentia in orationibus exaudiendis.

PVNCTVM I.

ORATIO est medium à Deo institutum ad obtinenda bona omnia, & auertenda omnia mala sancitum à Deo infallibili promissione: *Petite, & accipietis.* Est autem medium efficacissimum, quia nititur Diuina promissione; suauissimum, quia nihil facilius, quàm petere; & quidem à nostri amantissimo; & vniuersalissimum, quia valet ad omnia. Item per hoc medium Deus manifestat suas perfectiones, communicando se, miserando, remunerando, & mirabilia patrando supra naturam. Item quæ creauit, perficit per hoc medium, amoliens nocitura, & indulgens profcua; temperiem aëris, multiplicationem fructum & animalium, &c.

Oratio medium impetrandi. *Matt* 7. 7.

PVNCTVM II.

PROVIDENTIA concedit petenti vtilia, alioqui negat, pari charitate. *Si filius petierit panem, numquid Pater dabit ei lapidem?* Et quando res petita non expedit, dat tamen aliud melius; vt Paulo petenti, vt *stimulus carn-*

Matt. 7. 9. *Luc* 11. 13. 2. *Cor.* 12. 8

a .. *discederet*: data est gratia ad vincendum.

PVNCTVM III.

DAT opportunè; vel statim, si expedit; vel differt in tempus opportunius; cùm nó sumus dispositi ad accipiendum; vel ob alias causas: & perseueranti præbet copiosius, vt

Luc. 11. 8. illi *petenti tres panes dedit, quotquot habuit ne. essarios, ob improbitatem.*

PVNCTVM IV.

v. 9. PROVIDET omnibus hoc medio: *Omnis qui petit, accipit*; & ita singulis attendit, ac vni soli: & oblectatur orantium concursu. quin vrget nos: *petite, quærite, pulsate*: quia desiderat nobis benefacere. nec exterius tantũ prouocat

Rom. 8. 26. sed intus mouet, *quod oremus nescimus, sed spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Nec peccatores excluduntur, dum benè petunt, rem bonam, ob finem bonum. amoto obice rei petitæ, & perseueranter.

MEDITATIO XXXIV.

De prouidentia in custodia Angelorũ

PVNCTVM I.

Causæ. 1. Amor Dei. CVR assignauerit Angelos custodes. 1. vt intelligamus, quantopere nos amat, quãtique facit, & quàm cupit incolumitatem nostram, vt non satis ei fuerit, quòd cœlum & reliqua homini seruiant, nisi etiam *admini-*

Heb. 1. 14. *stratorios spiritus* exhiberet *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. quare cauet ne contemnatis

temnatis vnum ex pusillis, quos tanti ipse facit: vt *Angeli eorum videant faciem Patris.* Mat. 18.10.
Quid ergo mirum, quòd *subiecerit ali omnia sub pedibus eius;& paulò minus ab Angelis* hominem fecerit: quando illos etiam ministros fecit nostræ salutis? quia imbecilles eramus, 2.
& multis periculis cincti; ac, licèt per se poterat custodire: decuit potius per Angelos. Infirmitas nostra.
Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam Angelis Psal. 90. 13.
suis mandauit de te: quidnam? *vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, in omni loco, & negotio: & *in manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum* præseruabunt à periculis Nec vni, sed pluribus *Angelis mandauit de te* 3. propter Dæmones, hostes inuisibiles: vt vicissim auxiliatores inuisibiles haberemus, 4. Reg. 6. 17.
plures sunt pro nobis, aiebat Elisæus.

PVNCTVM II.

QVOD omnibus omnino hominibus exhibetur hoc beneficiũ: non prædestinatis tantũ, sed etiam reprobis; nec iustis tantũ, sed peccatoribus, quia vult omnes saluos fieri. & cùm vnus Angelus sufficeret toti ciuitati, aut regno, vult tamen singulis propriũ assignare: qui vbique adsit, vt pædagogus; idque ab ipso conceptu, quo nomine neminẽ contemnã, sed magis honore afficiam. vitabo offendere quẽcunq; reuerentiã Angeli ipsius. Ampliùs, non singulis tantũ suum præfecit, sed ciuitati, Regno, cœtui propriũ: qui ipse curã gerit singulo-

rũ, etiam vt membra eius corporis; nec nõ peculiarem Principibus & capitibus congregationum; & non ex infimo tantùm ordine; sed etiam ex Archangelis, Principatibus: denique, qui præsint etiam singulis speciebus rerum conseruandis.

PVNCTVM III.

QVOD Angeli magna voluptate præstant hoc ministerium. 1. præcipuè, quia ita
1. Tob. 12. 15. Psal. 102. 20 Deus vult, quo ipso illud habent pro honoratissimo. Videre licet in *Raphaele, ex septem vno qui Tobiam* duxit; nec minùs cupidè mancipiũ custodit, quàm alius Regem. *Potentes virtute ad faciendum verbum illius.* 2. ex charita-
2. Apoc. 19. 10. & c. 22. 9. te erga hominẽ, quem vident sic amari à Deo. Ideo *Angelus* vetuit *Ioannẽ*, ne se *adoraret*: *conseruus tuus sum & fratrum tuorum, qui habent testimonium Iesu*. In hoc glorior: ac ita pro vno de vobis tractari volo, non iam pro spiritu
3. cælesti, & beato. 3. quia cupiunt repleri sedes malorum Angelorum: vnde magnum *gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*. hinc vrgear ad profectum, vt lætificem Angelum meum, & ne contrà contristem.

PVNCTVM IV.

Vigilantia. BONA spiritualia à custode Angelo. Is, quòd videat faciem Dei, habet notitiã necessariã ad prouidendũ; & pro bonitate sua volũt, ac etiã possunt. Si quãdo eis non cõstet de volũtate diuina, cõtingit, vt contraria velint, donec innotescat. Sicut inter Angelos Israëlis & Persa-

rum-

rum. Ergo *ne dicas coram Angelo, non est prouidentia, ne fortè iratus Deus dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Dan. 10. 13 Eccli. 5. 5.

Tria sunt eorum officia, *purgare, illuminare, perficere. Purgant* ab erroribus & peccatis abducendo, & ad id remedia suggerendo *Seraphim accepto calculo ignito, tetigit labia Prophetæ, & auferetur,* inquit, *iniquitas tua. Illuminant* per illustrationes internas, atque ad virtutum exercitium permouent. Suggerunt etiam, vt discere velimus à spirituali Magistro, & hunc edocent *Perficiunt* per exercitia vnitiua homines cum Deo, & orationes nostras Deo offerunt. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Denique auertunt à nobis pericula. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Officia tria. Isai. 6. 6. Psal. 137. 1. Psal. 33. 7.

PVNCTVM V.

PROVIDET etiam in temporalibus & corporalibus, quatenus expedit saluti, vt videre est in Raphaële. Hinc 1. intelligam, quantum illi debeam, vt meritò dicere possim cum Tobia: *si meipsum tradam tibi in seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* 2. geram illum assiduè in oculis, & cauebo ne qua re oculos eius offendam; & quoniam aliquando ex latere discedit, accersam amicè. 3. Consulam in dubijs, implorabo in difficultatibus, gratias agam sæpè, gratulabor ipsi de suis bonis, & in tempus mortis conciliare curabo defensorem, quòd maximè fiet, si in vita ipsi obtemperauero. Tob 6. 4. c. 9. 2.

MEDITATIO XXXV.

De prouidentia in reparatione hominis per Christum.

PVNCTVM I.

Primi parentis lapsus quātus

CONSIDERANDA prouidentia erga hominem in statu innocentiæ. Nam creauit Adamum, vt caput totius generis, quo persistente in iustitia, facilè etiam cæteri. nam ex Iustitia Originali carebant tripiici impedimento, rebellione carnis, & spiritus, ærumnis mortalitatis, & impugnatione ab extrinseco inimico. nam etsi dæmon oppugnare potuit at non sicut modò, ipsum corpus alterando & ingerendo phantasiæ species, sed exteriùs tantùm proponendo & suadendo.

Porrò, etsi homo hanc prouidentiam à se auertit peccando, non illum tamen deseruit Deus, sed aliam orsus est excellentiorem. nec enim permisisset illum labi cum totius generis ruina; nisi reparandi modū habuisset. fuit etiam sic magis occasio ostendendi bonitatem suam, quando etiam inimicis benefaceret, & eundem solem oriri faceret super eos, quem propter amicos condiderat. Elegit autem ex pluribus istum modum, vt ipse per se in assumpta carne fieret Redemptor.

PVNCTVM II.

COMPARATIO delicti, & doni. quantò præstat Christus Adæ, tantò donum delicto. 1. in statu primo nati fuissent infantes in gratia, nunc in maiori per Christum renascuntur, & ea non gratuita, sed debita infinitis Christi meritis. 2. tunc homines caruissent rebellione, nunc etiam illam vincere possunt per Christum. 3. caruissent miserijs mortalitatis, nunc istæ sunt materia virtutum maximarum, & in felicitate reponuntur, postquam Christus pro nobis illas experiri voluit. 4. Misericordia vicit miseriam, & plus potuit Christus conferre, quàm Adam auferre. vnde sunt, qui nobis inuidere possent, qui tunc erant futuri, quia non solùm expiamur à delicto Adæ, & à proprijs, sed amplissimis fauoribus cumulamur, pro quibus Deus homo factus est, & passus, tanquam admirabile sacrificium perfecit, & Sacramenta instituit.

Gratia maior post lapsum.
1.
2.
3.
4.

PVNCTVM III.

CHRISTVS ipse gubernat nos, vt caput nostrum, qui *factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio*. 1. Est gubernator sapientissimus, qui perspicit necessitates nostras, & quomodo subueniendum; propensiones nostras, & quomodo obsecundandum, 1 Cor. 1. 30.

qui & nos sapere facit, non *sapientia* mundi,
Rom.8.30. *sed diuina, quam dat omnibus affluenter.* Terra
Iacob.1.5. *enim repleta est scientiâ Domini, & omnes*
Isai.11.9. *sumus docti à Domino.* 2. est iustissimus in se:
Ioan.6.45. per excellentiam iustus, in quem non potest cadere peccatum, qui proinde gubernat in iustitia, illuc spectans, vt iustificet multos: de
Psal.71.7. cuius tempore dictum est: *in diebus eius orie-*
Isai.48.28 *tur iustitia & abundantia pacis.* Et, *attendent mandata eius, & fiet illis sicut flumen pax eorum, & iustitia eorum sicut gurgites maris.* 3. sanctissimus: Sanctus Sanctorum, de cuius plenitudine omnes accipiunt. Hoc est, non solùm iustitiam impertit, qua mundamur à peccatis, sed sanctitatem, qua assimilamur
1.Pet.1.16. Deo. *Sancti estote, sicut ego Sanctus sum.* 4. potentissimus, ad saluandum ab inimicis, à peccato, diabolo & mundo, & ad nos asserendos in libertatem spiritûs.

MEDITATIO XXXVI.

De prouidentia in Ecclesia fundanda.

Circa illa verba: *Sapientia ædificauit sibi domum*, Prouerb. 9.

PVNCTVM I.

Ecclesiæ finis. FINIS Ecclesiam fundandi fuit, vt in ea esset remedium à peccato, & inferno, quæ sunt maxima mala; & adeptio gratiæ, & glo-

riæ, quæ sunt illis contraria; quin vt esset velut quædam domus voluptatis Filio Dei, ad conuersandum cum Filijs hominum in terris. Quòd si pro vita corporali tuenda tam mira fecit, quantò mirabiliora pro spirituali? præsertim cùm corporalia non nisi propter spiritualia prouiderit.

PVNCTVM II.

MEDIA ad finem reduci possunt ad septem: *excidit columnas septem.* 1. est *fides, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Nam *sine fide impossibile est placere Deo.* *Nec aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm Christi.* 2. *Lex* pura & sancta, qua continentur præcepta & consilia 3. est *cultus* externus, qui olim multis sacrificijs constabat in vnico templo, nunc vnico sacrificio in multis templis. 4. sunt septem *Sacramenta,* in quibus est mensa ad solidum animæ nutrimentum. 5. *chorus virtutum* sacer, quarum Theologicales tres, morales quatuor, cum eximio illarum studio, & exercitatione, quasi pulcherrima varietate. 6. *promissiones* amplissimæ, & certissimæ, tùm minæ, & supplicia. 7. sacra *Scriptura,* fons prædictorum omnium & mensa opifera, qua reficiuntur animæ. Nam *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & cõsolationem scripturarum spem habeamus.* His omnibus frui datum est mihi, & omnibus, qui in Ecclesia Christi sunt.

Media salutis.
Sap. 3.1.
1.
Ioan. 17.3.
Heb. 11.6.
Act. 4.12.
Roma. 15.4.

PVNCTVM III.

Ecclesia vna. HAEC domus est vnica, sicut vna Arca Noë, sicut vnus Deus, & vnus finis vltimus omnibus. Habet vnicum ostium, quod est Christus. *Ego sum ostium, per me si quis in*
Ioan. 10. 9. *troiuerit, saluabitur: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Gratulabor mihi, quòd ibi sim, tot extrà relictis.

MEDITATIO XXXVII.

De prouidentia in vocatione ad Ecclesiam & fidem.

PVNCTVM I.

Vocatio diuina quid sit. VOCATIO est interna illuminatio, & motio, qua preuenitur, & adiuuatur homo ad gratiam iustificationis percipiendam
Ioan. 6. 44. Et est donum Dei. *Nemo potest venire ad me,*
[c]. 11. 43. *nisi Pater meus traxerit eum:* instar illius vo-
Hebr. 11. 6. cis Christi: *Lazare veni foras.* Hac fit, vt homo credat: quia *sine fide impoßibile est placere Deo;* &, vt confidat de remissione peccato-
Rom. 8. 24. rum: *spe salui facti sumus:* & vt salutarem ti-
Eccles. 1. 28. morem concipiat. nam, *qui sine timore est, non potest iustificari;* tum demum doleat, & amet. Contingit autem vocatio absque meritis proprijs: *Qui nos vocauit, non secundùm*
[2]. Tim. 1. 9. *opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis.*

PVN-

PVNCTVM II.

QVÒD media & modi vocationis sint varij, & quòd omnes suo modo vocat: quia *est lux illuminans omnem hominem*, vnde in *linteo* illo Petri *continebatur omne genus animalium*, & *sapientia in plateis dat vocem suam*; & vocat per omnem vitam, *prima, tertia, sexta, nona, & vndecima* hora, vt nunquam sit de quoquam desperandum. Non ideo præsumā. Nam Deus finem suum assequitur, quamuis ego damner, quòd ei duo sint brachia, vnum misericordiæ, alterum iustitiæ. *Læua eius sub capite meo*, vt timore suo me sustineat, *dextera autem amplexetur me*, vt in amplexu prouidentiæ ipsius, & spe æternorum conquiescam.

Media vocationis.
Ioan. 1. 9.
Act. 10. 11.
Prou. 1. 20.
Matt. 20. 1.
Cant. 2. 6.

PVNCTVM III.

OBLIGOR ad obsequendum vocanti. 1. Quia vocat non vllo suo commodo, sed meo tantùm, quia ipse bonus est, & benè mihi vult, quia Creator, Dominus, & Pater meus est. 2. Quia bonum mihi & honorificum, quòd dignetur vocare me: alioqui dignum, qui deserar. 3 Quia ex miseria peccati, quæ est maxima, eripere vult, & auertere æternā. 4. Quia vocat ad maxima: ad vitam gratiæ, ad pacem super omnem sensum, ad arrham æternæ vitæ. 5 Quia suauiter vocat intùs, & exteriùs miris modis. 6. Quia si obsurdescam, iurauit, quia *non gustabo cœnam eius*. Ex his ipsis

Cur obligor parere vocationi.
Luc. 14. 24.

æstimandum beneficium vocationis, & gratiæ agendæ.

MEDITATIO XXXVIII.

De prouidentia in Sacramentorum institutione.

Zach. 4. 2. AVREVM *candelabrum* repræsentat Ecclesiam; *super caput eius lampas* quæ est Christus: & *circum septem lucernæ*, quæ est multitudo fidelium. *Infusoria* autem *aurea* etiam septem, quæ sunt Ecclesiæ Sacramēta, vasa Diuinæ gratiæ, ad sanandos morbos, & ad roborandos, perficiendosque fideles.

PVNCTVM I.

PARTICVLARES ac proprij fines cuiusque Sacramenti considerentur.

PVNCTVM II.

EXCELLENTIA Sacramentorum nouæ legis. 1. Quòd non sint egena elementa, vt antiqua, sed gratiam continent, & conferunt, quam significant. 2. Quòd faciunt ex attrito contritum, supplendo defectum contritionis. 3 Ex opere operato dant gratiam, ita vt præter gratiam respondentem actibus suscipientis detur propria, ratione Sacramenti.

PVNCTVM III.

OFFERVNTVR omnibus pro cuiusq; indigentia; sunt vasa, nō vitrea, & fragilia sed aurea & solida semper duratura. nunqu:

defi

deficiet in eis oleum, & gratia, quam continent, quamuis innumeris hominibus conferantur. sicut oleum pauperis viduæ propter verbum Elisæi, *nunquam cessauit fluere, quamdiu fuerunt vasa vacua*, in quibus reciperetur. Possunt etiam frequentari ad augmentum gratiæ. 4. Reg. 4. 6.

MEDITATIO XXXIX.

De prouidentia in institutione venerabilis Sacramenti.

In Festo corporis Christi.

PVNCTVM I.

1. Collatio cũ ligno vitæ.

CONFERAM cum prouidentia erga Adamum: quando præter tot alias arbores, dedit *lignum vitæ*, quo posset non mori: at multò hoc præstantius, quod dat vitam animæ, & est simile cœlesti, *reddenti fructus duodecim per singulos menses, & folia illius ad sanitatem gentium*. Nam in hoc Sacramento Christus ipse sumitur, *qui est via, veritas & vita*; & esus illius parit in nobis duodecim fructus Spiritûs: qui sunt *Charitas*, &c. Folia autem, id est, verba de hoc Sacramento, vt ait Christus, *Spiritus & vita sunt*, ad sanitatem gentium. Gen. 2. 9. Apoc. 22. 2. Ioan. 14. 6. Gal. 5. 22. Ioan. 6. 64.

PVNCTVM II.

2. Cum Manna.

CONFERAM cum prouidentia erga filios Israël, quibus dedit *manna*, *panem de cœlo*, & panem Angelorum eorum ministerio præparatum. At hic verus de cœlo est, & Exod. 16.

Spiritus sancti operâ paratus in vtero Virgi-
Num. 11, 8. nis. manna erat vt *ros, minutum, & in simili-
tudinem pruinæ cadebat super terram: hic au-
Psal. 71. 6. tem descendit sicut ros, & *sicut stillicidia stil-
lantia super terram. Illud frangebatur mola, & coquebatur in olla, Christus laboribus attritus, & in aqua afflictionum, ab igne charitatis excoctus fuit, vt melius in cibum esset.
Gen. 3. 19. quare pro maledictione illa: *in sudore vultus*
Sap. 16. 20. *tui vesceris pane tuo, panem de cœlo præstitit eis sine labore.*

Manna erat medicina etiam præseruans a
Psal. 104. 37 morbis: vnde *non erat in tribubus eorum in-
firmus. at hic melius sanat morbos peccatorum, & præseruat ab illis: quin dabit etiam
Ioan. 6. 55. corpori vitam: *qui manducat & bibit, habet
vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouißimo die. Igitur per cibum incurrimus mortem: per hunc cibum vitam acquirimus. O, ne hic ipse fiat in mortem, indignè sumptus! *sunt* enim inter nos *infirmi multi, & imbecilles,*
1. Cor. 11. 3. *& dormiunt multi*: quia sumunt *non dijudicantes corpus Domini.*

Manna erat vnius saporis ex natura, vt panes oleati; at hic panis cœlestis præbet iustis omne delectamentum suauitatis: ita Eucha-
Sap. 16. 20 ristia palato sapit panem, at Spiritui *omnes suauitates*: quia eius dulcedo super omnes est corporales, & quia facit, vt nobis sapiant omnes virtutes.

Manna sic erat: vt nec qui plus colligeret, præscriptâ mẽsurâ haberet amplius; nec, qui

minus

minus parauerat, reperiebat minus. ita in Eucharistia: tantum enim sub fragmento, quantum toto tegitur; & manet tamen Christus totus sub vtraque specie.

Pvnctvm III.

Qvòd *manna* debebat *colligi ante ortum solis*: alioqui liquefiebat, & peribat: quoniam *oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam accipiendam, & ad ortum lucis te adorare*; surgendum diluculo. 1. ad colligendum manna deuotionis, per sanctas huius Sacramenti meditationes, ante diurnas occupationes & distractiones. 2. ad memorandum beneficium, assistendo huic sacrificio. nam si dati mannæ voluit Deus extare memoriam, dum ex eo *Gomor vnum asseruari voluit in Arca*: multò magis huius, quo nos pauit, non iam 40. annis, sed millenis, vsque in finem. 3. præcipuè diebus communionis id agendum: & sicut ante sabbathum colligebatur duplex portio: quòd in sabbatho non decideret: ita sex diebus vitæ præsentis studiosè colligam fructus huius Sacramenti, vt in æterno sabbatho frui possim, reuelata iam facie. Ad hæc præstanda iuuabunt sequentes Meditationes de hoc Sacramento.

Exod. 16. 21. Sapient. 16. 27. 28. — 1. — 2. — Exo 16, 13. — 3.

MEDITATIO XL.

Quòd Sacramentum Eucharistiæ sit memoria mirabilium Domini.

Memoriam *fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escā* Psal. 100. 4.

dedit timentibus se. reducuntur ad septem.

PVNCTVM I.

Col. 2. 9. EST memoriale ipsius Diuinitatis, quæ in Christo habitat corporaliter; & totius Trinitatis, quia vbi vna est persona, etiam reliquæ ob naturæ vnitatem: & quia omnes simul operãtur, quidquid ibi est mirabile. proinde etiam ibi sunt omnes thesauri, sapientiæ & scientiæ Dei, nec non bonitatis, aliarumque perfectionum.

PVNCTVM II.

EST memoriale operũ omnipotentiæ Dei. 1. Dum acidentia separantur à substantia, ac sine illa conseruantur, ipsa desinente. 2. Quòd conuertitur in corpus Christi, quale habet in cœlo. 3. Quòd hoc fit sub speciebus indiuisibiliter, totum in quauis particula. 4. Quòd manens in cœlo, tot locis reponatur, per admirabilem conuersionem.

PVNCTVM III.

EST memoriale officiorum, quæ *Christus* præstitit in vita mortali, & in hoc *Sacramento* etiam exhibet: vt sunt Medici, *Magistri*, Redemptoris, Pastoris.

PVNCTVM IV.

EST memoriale virtutum, quas exercuit in vita, atq; hic etiam *Humilitatis*, qua se demittit ad species panis; *Obedientiæ* ad verbũ sacerdotis; *Mansuetudinis & patientiæ*, ob ea, quæ perfert ab hæreticis, & indignè cõmuni-

municantibus,& malis ſacerdotibus; *Charitatis* & miſericordiæ, ſic ſe donando in teſtimonium,quòd mortuus ſit pro nobis,& applicare volens nobis fructum ſuæ mortis; *Perſeuerantia*, dum ſpecies durant, & in finem ſæculi manendo nobiſcum per hoc Sacramentũ. Has quinq. virtutes à Chriſto petam, præſertim in communicando,intendendo ad quinq plagas. Per pedum plagas, petam humilitatẽ & manſuetudinẽ, per manuum obedientiam & perſeuerantiam,per lateris charitatem.

PVNCTVM V.

EST memoriale trium maximorum Dei operum: Redemptionis, Sanctificationis, Glorificationis. Recolitur memoria paſsionis eius,mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. de quibus ſigillatim meditandum.

MEDITATIO XLI.

De Euchariſtia, vt memoriali Paſsionis.

PVNCTVM I.

CVR Paſsionis amaræ memoriale voluit eſſe conuiuium. 1. Vt bonitatẽ & charitatem ſuam erga nos patefaceret, qui ſibi amara, nobis dulcia ſeruat. ita qui benè præſunt. 2. Vt intelligeremus inſtar cõuiuij fuiſſe ſibi, pati pro nobis; vnde dixit: *Deſiderio* — Cur memoriale paſſionis? *Luc. 22. 18.*

desideraui hoc Pascha manducare vobiscum: & quia dies passionis fuit ipsi desponsationis, qui proinde conuiuio celebrandus fuit. 3. Vt quò ipse benignior, nos accendamur magis ad amplectenda insuauia propter ipsum. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* 4. Vt commendaret suauitatem suæ legis: *iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Thren. 3. 29
Matt. 11. 29

PVNCTVM II.

Cur ipse Christus verè & realiter in Sacramento.

CVR voluit ipsemet esse memoriale, cùm suffecisset panis & vinum, sicut aqua Baptismi repræsentat sepulturam. 1. Vt intelligeremus, quanti sit, quòd pro nobis mortuus sit, siquidem per semet voluit esse monitor. 2. Vt indicaret se paratum sæpiùs pro nobis, & quotidiè mori, si opus foret, aut expediret: ideo voluit quotidiè immolari incruentè. sicut *ab origine mundi dicitur* occisus in typis sacrificiorum. Quid ni æmulemur? *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*: & *quasi oues occisionis*: vt Paulus: *quotidie morior per vestram gloriam fratres.* 3. Quia nos non sufficiebamus gratijs agendis, voluit supplere ipsemet pro nobis. Vnde vocatur EVCHARISTIA: *Confessio, & magnificentia opus eius*: hoc inquam opus est plena confessio laudis, & gratiarum, ac verè magnificentissima erga nos liberalitas.

Apoc. 13. 8.
2. Cor. 4. 10.
Rom. 8. 36.
1. Cor. 15. 31.
Psal. 110. 3.

* *
*

PVNCTVM III.

CVR sub speciebus panis & vini. 1. Vtrũque conficitur ex pluribus, conterendo & premendo, in vnum coalescentibus. ex quo memores simus passionum eius, qui in torculari crucis pressus, & calcatus pependit exanguis. 2. Sicut in Baptismo per immersionem significatur mors, & sepultura Christi, qui immersus est in profundis passionum velut aquarum. Ita, dum in hoc Sacramento teritur dentibus, significatur passio, & sepultura illius. O, sim dignum sepulchrum, gloriosum, nouum, & excauatum in lapide per imitationem Christi, qui est petra! *Rom. 6. 8.* *Psal. 68. 15.*

MEDITATIO XLII.

De Eucharistia, vt signo & causa sanctificationis.

PVNCTVM I.

QVÒD inter septem instrumenta nostræ sanctificationis voluit Christus ipse per se in vno eorum latere, & sanctificationem perficere. Ita est medicus, vt ipsemet applicet medicinam; Mater, vt per se lactet infantem.

PVNCTVM II.

MAIOR gratia datur, quàm in alijs Sacramentis. velut cùm Rex manu sua præbet eleemosynam. ibi exhibet animæ

ſpirituale conuiuium, replens gaudio, & ſanctis deſiderijs.

PVNCTVM III.

Ioan. 6. 54. VNIMVR ipſi intima charitate; *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

PVNCTVM IV.

verſ. 58. EFFECTVM huius Sacramenti explicat Chriſtus altiſsima ſimilitudine: *ſicut ego viuo propter Patrem; ita, qui manducat me, viuet propter me.* Viuit ille propter Patrem, quia ab illo accipit vitam Diuinitatis, & cum illa omnia: ita manducans, vt non iam ipſe viuat, ſed in eo Chriſtus. *Propter me*, inquit: eſt enim ipſe cauſa efficiens in nobis ſpiritualis vitæ; ipſe exemplar, ipſe finis, ac tandem materia, circa quam omnis noſtra actio, co-
1. Cor. 2. 2. gitatio, affectuſque verſetur: vt *nihil ſciat, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum.*

PVNCTVM V.

INTELLIGI etiam poſſunt effectus Sacramenti à ſimilibus. 1. Vt cibus ſuas impertit corpori qualitates: ita Chriſtus animæ. 2. Tanquam viti Chriſto palmes inſeritur, qui inde trahit ſuccum ſalutarem omnium vir-
Iacob. 1. 21. tutum. 3. Eſt *inſitum verbum, quod ſaluat animam.* vt cum trunco ſterili ſurculus bonæ arboris imponitur, producit fructum bonum.

PVNCTVM VI.

CVR in pane & vino. 1. quia sunt alimentum quotidianum: vt sic moneret frequenter sumendum. vnde peti iussit, *panem nostrum quotidianum*: &, *nisi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis*. 2. quia commune omnibus etiam vulgaribus: huc omnes inuitantur. 3. ad commendandam mutuam charitatem: quòd ex granis pluribus conficiatur vtrumque. Hæc vestis nuptialis. 4. quia panis cor hominis confirmat, vinum lætificat, neutrum parit fastidium. ita hoc. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt, adhuc sitient*. non sic *manna*, super quo *nauseabant*.

Matt. 6. 11.
Ioan. 6. 53.
Ecc. 24. 29.
Num. 25. 5.

MEDITATIO XLIII.

De Eucharistia, vt est pignus futuræ gloriæ.

PVNCTVM I.

AD sancienda pacta, vel promissa, solet dari pignus pretiosum, & aliquando obsides: ita Pater æternus, & ipsemet Christus dat se pignus: vnde certi simus promissorum. *Nam si dedit Filium, quomodo non cum illo omnia donauit?* pro iam donatis haberi debent.

Est pignus.
Rom. 8. 32.

* *
*

PVNCTVM II.

ITA est pignus, vt simul ducat ad promissa: quia minuit concupiscentiam, præseruat à lapsu, nutrit, ac roborat ad perseuerandum: quin vnit cum Christo: quæ iam est quædam inchoatio gloriæ, & *tanquam fons saliens in*
Ioan 4. 14. *vitam æternam*. Vnde etiam est arrha illius: est autem arrha, quæ ita in pignus datur, vt non repetatur, quamuis reddito promisso sed manet penes eum, qui accipit: *charitas* quippe
1. Cor. 3. 8. *nunquam excidit*.

PVNCTVM III.

EST pignus sui ipsius, & eò præstantius. Nam quod edunt & bibunt sancti in regno Patris, exhibetur etiam hîc; sed alio modo
Luc. 12. 37. pro statuus illic *præcingit se, & ministrat Christus discumbentibus*: quia, etsi reuelata facie vident Diuinitatem & humanitatem Christi, illam tamen præcinctè, quia non potest comprehendi. In Sacramento etiam magis, quando velatum se exhibet. Præcingam & ego meipsum, cohibendo fluxa desideria: vt dignè accumbam isti mensæ. nam & ideo prius orare iubemur: *fiat voluntas tua*; tum vbi in hac profecerimus, *Panem nostrum da nobis hodie.* Et quia vt conuiuium, est pignus æterni conuiuij; simul est viaticũ, in cuius fortitudine cũ
3. Reg. 19. 8. Elia pertingere possumus *vsque ad montem Dei Horeb*. Quare quoties sumo, ita me comparabo, quasi nunc profecturus. quò potest ap-

tari

tari illud : *quando sederis vt comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo.* moriturum te puta, & sic ad Christi Regis mensam accumbe. Prou. 23. 2.

MEDITATIO XLIV.

Applicatio sensuum ad Sacrosanctam Eucharistiam.

PVNCTVM I.

ASPICIAM species illas, considerans, consistere sine subiecto : & eius rei fidem exercens ac Omnipotentiam Dei laudãs: aspiciam sub illis Christum gloria coronatũ; & penetrabo ad intima, quòd sit *splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ eius.* Item; quomodo sacra illa humanitas coniuncta sit illis speciebus ineffabiliter. Heb. 1. 3.

PVNCTVM II.

AVDIAM, quid ibi existens loquatur mihi: audiam inuitantem: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam; & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Et *comedite, amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Et *omnes sitientes venite ad aquas, & comedite bonum & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Item exhortantem *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Audiam Angelos, cùm iam communicaturus sum, dicentes; *Ecce spõ-* Prou. 9. 5. Cant. 5. 1. Isa. 55. 1. Matt. 11. 29. c. 25. 7.

ſis venit, exite obuiam ei cum lampadibus. Et cùm accepero: *Loquere, Domine, quia audit*
1. Reg. 3. 9. Pſal. 84. 9. *ſeruus tuus; & audiam, quid loquatur in me Dominus.*

PVNCTVM III.

ODORABO ſuauitatem ſacrificij dum ſe Christus in hoc Sacramento offert Patri, in odorem ſuauitatis. Item fragrantiam
Mat. 14. 28. virtutum ipſius: & tanquam *aquilæ congregabor ad corpus;* quod faciunt animæ contem-
Cant. 1. 3. plationi deditæ. ô *trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

PVNCTVM IV.

GVSTABO: quàm ſuauis eſt Dominus præ omni manna; facit dulceſcere virtutum exercitia, quamuis amara ſenſibus. Quin ipſe Dominus paſcitur ſuauiter, dum editur à nobis, quia eſt panis viuus, & delectatur, dum manditur.

PVNCTVM V.

TANGAM ſpiritu, tangam & manu, cùm oportet, *quia virtus de illo erit ad ſa-*
Luc. 6. 19. *nandum omnes;* vt quæ dicebat: *ſi tetigero,*
Mar. 5. 28. *ſalua ero.* Quin oſculum petam in ſumendo, *oſculetur me oſculo oris ſui quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*
Cant. 1. 1. Hæc ſunt ſpecies Sacramentales, quæ continent ſuauitates præ omnibus terrenis. Amplius

us Spiritu penetrabo ad sacras cicatrices mittensque digitos & manus, exclamabo, *Dominus meus, & Deus meus*, &c. *Ioan. 20. 28.*

MEDITATIO XLV.

De supplicatione Corporis Christi.

PVNCTVM I.

COGITABO, Christum obeuntem ciuitates, & villas, *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*; & quo affectu fuissem tunc illum comitaturus: faciam iam, nec dubitem etiam nunc bene eis facere, qui ipsum glorificant; & relinquere suæ præsentiæ effectus, quocunque procedit. *Act. 10. 38*

PVNCTVM II.

COGITABO ingressum Ierosolymitanum; & pompam illam cum ista conferam: vehebatur autem tunc asinâ, iam exiguis speciebus clausus. cantabo: *Hosanna*.

PVNCTVM III.

COGITABO ignominiosas processiones, quibus Christus ab horto Gethsemani per tribunalia circumductus est: pro quibus redditur ei iste honor. *Sic honorabitur,* *Actio. 6. 9.*

quem

quem voluerit Rex honorare. Dignus es Domi-
Apoc. 4.11. *ne accipere honorem, & gloriam & virtutem.*
Sic Deus clarificat, à quo clarificatus est. Quòd
2. Reg. 6.14. si *Arca* à Dauide, quantò magis hic? Nec cu-
rāda Michol obtrectatio, quin tantò plus ge-
vers. 6. stiendum, sed cauendum exemplum *Ozæ*, si ir-
reuerenter attingatur.

PVNCTVM IV.

COGITABO cœlestem plausum, quo ex-
cipitur ibi Christus, ad cuius æmulatio-
nem nos in villa nostra aliquid faciamus. se-
Apoc. 4.8. niores deponunt coronas ad pedes eius. *Qua-
tuor animalia die ac nocte*, absque requie di-
cunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, erat, &
venturus est.* alij offerunt phialas odoramen-
torum. denique per plateas Ierusalem perpe-
tuum Halleluia cantatur. Sic ego coronam
deponam ante pedes per affectum humilita-
tis, agnoscens, ex me nihil habere. Acclamabo,
Sanctus, Sanctus, viua fide profitens: quia ve-
nit in carne, & venturus est iudex. Offeram
phialam cordis auream ex charitate, ple-
nam odoramentis thuris & myrrhæ,
feruentis orationis & mor-
tificationis.

(§)

Meditatio XLVI.

De prouidentia Dei in aſſignando cuique ſtatum.

Pvnctvm I.

PATERNE Deus etiam prouidet de ſtatu cuique accommodato, dum ipſe ſe regi ſinat, cùm non quiuis cuilibet conueniat, & alioqui ſint, ſicut in corpore, multa membra, ita in Eccleſia, & Republ. ciuili diuerſi ſtatus. Alij ſunt velut caput ad regendum; alij vt oculi, qui eminent doctrina; alij manus in vita actiua; alij pectus in recondito contemplatiuæ; alij pedes in humilioribus. Ergo qui non ſuſcipit certum ſtatum, ad Deum confugiat, & qui iam habet, in Deo confidat, ſe in illo ſaluum fieri, & *vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.*

Pvnctvm II.

1 Cor. 7. 20

PROVIDENTIAE diuinæ ſuauitas ſpectatur in eo, quòd varias hominibus indit propenſiones ad diuerſa, vt nunquam deſint, qui ſponte amplectantur conditiones, quamuis moleſtas, & ſeruiles, ne in publicum deſideretur aliqui. Quòd ſi aliquãdo imponat aliquid à propenſione naturali alienum; ſic illud dulcorat, vt reddat ſuaue, velut ſtatum religioſum. Et quando non ſic faciat delectabile, ita ratione perſuadet, vt inſpirata lux vincat na-

turæ

turæ repugnantiam. Ergo me illi totum committam.

PVNCTVM III.

QVOD Deus iuxta ſtatum prouidet de medijs ad ferendum. vnde cùm Moyſes delegiſſet adiutores regiminis, dictum ei à Deo eſt: *Auferã de ſpiritu tuo, tradamq́; ſeptuaginta ſenioribus, vt ſuſtentent tecum onus populi tui.* Quare ſi mihi duplicatur onus, etiam virtus. Hinc periculoſum eſt amplecti ſtatum, nõ ex voluntate diuina, quæ inquirenda eſt. nam deſtituitur is conuenientibus ſubſidijs. ſi tamen erratum eſt, nec licet regredi, recurrendum eſt ad Deum, qui non deſtituet nos. Alioqui omnis plantatio, quam non plantauit Pater cœleſtis, eradicabitur.

Num. 11. 17

Marc. 12.

MEDITATIO XLVII.

De prouidentia circa ſtatum Religioſum.

PVNCTVM I.

Cur diuerſi ſtatus Religioſi.

FINIS inſtituendi hunc ſtatum fuit multiplex. 1. vt eſſet ſchola perfectionis, quæ in charitate Dei, & proximi conſiſtit, vbi proinde amouentur omnia impedimenta perfectæ charitatis. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, & faciem eius ſemper.* Eſt Eccleſia filiorum ſapientiæ, quorum natio & conditio eſt obedientia, & dilectio. quare nituntur imi-

Pſal. 23. 6.

Eccl. 3. 1.

tari Deum, & Christum. *Estote perfecti, sicut Pater*, qui est 2. finis. 3. est domus refugij, à periculis mūdi 4. est domus solatij, quò diuertat Deus. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* 5. est *lucerna super candelabrum, & ciuitas super mōtem posita*, ad exēplum virtutis: vt *sitis sine querela*, &c. 6. est officina meritorum, quorum ampla seges, vt & gloriæ Hæ sunt *sex alæ Seraphin.* *Matt. 5. 48.* *Prou. 8. 31.* *Matt. 5. 14.* *Philip. 2. 15.* *Isai. 6. 2.*

PVNCTVM II.

PROVIDIT, vt essent varia Religiosorum instituta: quia cùm plura sint officia charitatis, non potuit vna in omnibus excellere, facilius autem alia sine alio. & cùm Christus sit exemplar perfectissimum omnium virtutum, non potuit per omnia exprimi ab vna aliqua Religione, & dum alia aliter eminet, redditur *Regina amicta varietate.* Et denique sunt hominum propensiones valdè diuersæ, & vires, ac facultates variæ, vt oportuerit modos assequendi perfectionem proponi diuersos. In ordinibus Regulæ. *Psal. 44. 10*

PVNCTVM III.

VOCAT ad Religionem ipse: non enim est humanarum virium. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Et *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit.* Non vocat omnes, quia non est status ad salutem necessarius, & vocat non ex merito, sed quia vult: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Hinc aliquando relinquit meliores, vocat au- Vocatio Dei. *Matt. 19. 11* *Ioan. 6. 44.* *cap. 15. 16.*

tem imperfectiores, vt eos perficiat. gratias agam. proinde inurbanum est, & ingrati animi, non sequi vocantem; imò periculosum, quando ideò vocat, quòd hunc statum ducat vocatis opportunum ad salutem. Quare de re-
Luc.14. 24. nuentibus dicit: *non gustabũt cœnam meam &*
cap.9. 62. *respiciens retro non est aptus Regno Dei.* Porrò in vocando Deus spectat duo, & commodum Religionis, ad quam vocat, & congruentiam ipsius vocati: nam prouidet tùm bono publico, tũ priuato: quare magnus error est, reniti.

MEDITATIO XLVIII.

De bonis status Religiosi.

PVNCTVM I.

Mundus quid? QVIA eruit à periculis mundi: est autem mundus multitudo seruientium *concu-*
1.Ioan.2.16. *piscentiæ carnis, oculorum, & superbiæ vitæ:* quorum alij per infidelitatem sunt extra Ecclesiam, alij autem per fidem, membra Ecclesiæ, sed putrida; inter quos viuunt quidem iusti, sed cum periculo ab occasionibus, ab exemplis conuiuentium, à rebus ipsis, siquidem
Matt.19. 24 facilius est, teste Domino: *Camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem intrare in Re-*
Genes.15.7. *gnum Dei.* Gratias ago tibi Domine, quia *eduxisti me de Vr Chaldæorum*, ab igne concupiscentiæ illius. triplices porrò varij & miri sunt modi educendi ex mundo, etiam per tentationes,

tentationes, & persecutiones; ac per ipsos graues lapsus à Deo permissos: & quasi *Loth apprehensa manu* exire facit. c. 19. 17.

Pvnctvm II.

Tria genera bonorum excellenter in statu Religioso inueniuntur: *Honestum*, ab omni choro virtutum, & donorum Spiritûs sancti; *Delectabile*, à gaudio in Spiritu sancto, & pace exuperante omnem sensum; *Vtile*, à medijs salutis consequendæ, vt in Religionem conueniat illud de sapientia: *venerunt* Sap. 7. 11. *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas, & diuitiæ plurimæ per manus illius: & ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* Et fundamentum transitus, vt ait Basilius, ab humano more viuendi ad cœlestem; vbi est bonorum omnium cumulus.

Pvnctvm III.

Colloquiũ Petri cum Christo. Mat. 19. 27.

Svper colloquio Christi cum Petro. *Ecce, nos reliquimus omnia*; vbi continetur quoddam pactum Dei cum Religioso. Ac ex parte Religiosi, is renũciat rebus omnibus, tum voluptati, & libertati per vota: Deinde addicit se Christi sequelæ per imitationem perfectarum virtutum: quò faciunt, quæ Paulus de Moyse & alijs Sanctis habet ad Hebręos cap. 11. Ex parte Dei promittuntur tria. 1. Sedes inter iudicantes, qui est honor specialis quia vt glorificarent Christum, semet abiecerunt. 2. Centuplum in hac vita, domus, & fratres, &c. vel spirituales consolationes, quæ centuplum

Promittũtur tria Religiosis.

ſupere t terrenas:ita vt ipſæ perſecutiones,& abiectiones fiant dulciores,quàm honores ſint mundanis.Et ideò ait:*centuplum cum perſecutionibus.* 3. Vita æterna,vbi intelligitur ſingularis prouidentia perducendi hominem illuc, ex quo hic ſtatus cum perſeuerantia in ſignis ponitur prædeſtinationis &c.

Marc.10.30.

MEDITATIO XLIX.

De prouidentia erga Prædeſtinatos.

PVNCTVM I.

CVM tres ſint effectus Prædeſtinationis, *vocatio,iuſtificatio,glorificatio*: mirè Deus ea perficit circa Prædeſtinatos.

PVNCTVM II.

VOLVIT Deus ſic quoſdā eligere ex bonitate ſua, ne omnes perirent, & vt in his oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ,tùm etiam, ne infinita Chriſti merita fruſtrarentur.

PVNCTVM III.

VARIA ſunt indicia prædeſtinationis: maximè, Verbum Dei libenter audire, obſecundare inſpirationibus, ſtudium ſeruandi mandata Dei, & conſilia;nec nō Sacramentorum,& orationis, & exercitatio in operibus miſericordiæ,& ipſa demum deuotio erga beatam Virginem.

MEDITA-

MEDITATIO L.

De humilitate, & resignatione pro consequendis fructibus Prouidentiæ.

HAEC est humilitas, quæ fundatur in cognitione proprij nihili. 1. secundùm esse naturæ, & gratiæ. 2. in conseruando illum. 3. in operando, & in vsu potentiarum. 4. quòd totum tandem nihil est, respectu Dei. 5. quòd ex me sim tantùm nihilum peccati. Et hoc est fieri, sicut paruulum.

PVNCTVM I.

EX comparatione paruuli concipienda humilitas. 1. ille, si inficiatur, non potest eluere, sic nec homo culpas. *Laua me ab iniquitate mea.* 2. si cadat, non potest se subleuare. *Domus Israel cecidit, & non adijciet, vt resurgat* 3. si erigatur, non consistit sine ope. *qui stat, videat ne cadat.* 4. si esurit, debet alius porrigere, per me implere bona desideria nequeo. 5. si algeat, si hostis immineat, nequit se iuuare, sic nec in calescere charitate, nec à carne, mũdo, diabolo, potest tutus esse homo. Porrò vt mater præstò est infanti: ita, ac magis etiam prouidentia Dei adest mihi. nam *si illa oblita fuerit: ego*, inquit, *non obliuiscar tui. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos; ad vbera portabimini, & super genua blandien-*

Similitudo infantis. *Psal.* 50. 4. *Amos* 5. 1. 1. *Cor.* 10. 12. *Isai.* 49. 15. *cap.* 66. 12.

tur vobis. Sed oportet pro infante se agnoscere, & gerere; Deo autem fidere.

PVNCTVM II.

RESIGNATIO in manꝰ Dei vt infās, qui absque cura per omnia se relinquit matri, à qua pro conditione tractatur, nec affectat aliud. *Omnem sollicitudinem proiicientes in eū, quia ipsi cura est de vobis, ipse me enutriet. nam si quis suorum, maximè domesticorum curam non habeat, fidem negauit:* quomodo Deus suos deseret? *non parcam ego Niniue, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominū, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram?* vel tales sufficiunt ad miserendum. O ne tradam obliuioni hanc rem, vt Ephraim, de quo Propheta apud Deum queritur, dicens: *cuius tu quasi nutritius eras, & portabas in brachijs tuis, & nesciuit quòd curares eum.*

.Petr. 5. 7. 'sal. 54. 23. . Tim. 5. 8. 'on. 4. 11. Osee 11. 3.

PVNCTVM III.

PRAEROGATIVAE paruulorum. 1. *talium esse Regnum cœlorum.* 2. *qui sic se humiliauerit, magnus erit in Regno cœlorum.* 3. *qui talem recipit, Christū recipit.* 4. qui talem *scandalizat, demergendus in profundum maris.* 5 *Angeli eorum vident faciem Patris.* significatur peculiaris custodia: vt cùm *Agar abiecit paruulum, exaudiuit Dominus vocem pueri, & adfuit Angelus.*

Mat. 19. 14. cap. 18. 4. vers. 5. vers. 6. vers. 10. Gen. 21. 15.

DE

DE COELESTI GLORIA.

MEDITATIO LI.

Quid sit, De loco, & socijs.

PVNCTVM I.

QVID sit. Est status bonorum omnium aggregatione perfectus, in quo nulla mala culpæ, aut pœnæ, & omnia bona, quæ desiderari possunt. Nam, teste Augustino, ille est beatus, qui habet omnia, quæ vult, & non vult aliquid mali. Porrò est æternus, securus, absque metu, quòd Deus mutet decretum, immutabilis sine diminutione, satians absque fastidio. Contrà, status vitæ præsentis, quantumuis fœlix, admiscetur multis malis, est ad tempus anxius, variabilis. Ideò, *nolite vobis thesaurizare in terra*, &c. Quid sit? Matt. 6. 19 Luc. 12. 33.

PVNCTVM II.

PRAESTANTIA loci. Describitur Apocalypsis 2. c. *Ex auro & lapide precioso*, quia apud nos nihil pręstāt ius. At excedit immensū. 1. est lucidissimus, suaui quadam luce. 2. temperatissimus, absque vicissitudinibus. 3. firmissimus, absque metu ruinæ, aut rimæ. 4. amœnissimus, nam si Adæ consitus locus deliciarum, & si tot hæc inferior habitatio communis, cum bestijs habet commoda, quid lo- Locus.

Psal.83.2. cus ille? O *quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*

PVNCTVM III.

Societas in cœlis quæ? CONVICTVS iucundissimus beatorum, Angelorum & hominum. Nam se omnes inter se noscunt, & communicant. Sunt autem Angelorum millia millium, & hominum turba,

Apoc.7.9 *quam dinumerare nemo potest* 2. sunt Angeli omni virtute ornatissimi, & amabilissimi. 3. varietas graduum, vt stella differt à stella in claritate. Ibi ordines Angelorum, ac inter eos permixti ex hominibus; quin aliqui supra omnes, ob vitæ meritum. Ibi chori Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotum, Confessorum, Virginum, &c. 4. mira concordia: quia vnusquisque gaudet de bono cæterorum, ac de proprio.

MEDITATIO LII.

De essentiali gloria animæ & corporis.

PVNCTVM I.

Bonum animæ & potentiarum. ANIMA repletur Deo, vt ferrum candens.
1. 1. memoria occupabitur, vt diuertere nequeat à præsenti bono; tùm memorabit omnia accepta à Deo, & recipienda, nec vllius recordatio affliget.
Psal.144.7. *memoriam abundantiæ, suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.*
2. 2. intellectus replebitur clara visione Dei in seipso, & intuebitur diuinam essentiam, & personas, attributa, modum Incarnationis; & quomodo Deus mirabiliter opera-

peratus sit, quæcunque fecit. Vnde cessabit fides, & spes, re iam possessa. Ibi intelliget arcanum diuinorum consiliorum, & rationē prouidētiæ circa se. 3. Voluntas ineffabiliter Deo adhærebit, atque in eum transformabitur amore, qui sit omnis amor, filij, sponsæ, amici, &c. vnde immensitas gaudij redundabit, & *inebriabitur ab vbertate domus Dei*, & verè intrabit in gaudium Domini sui, vndique circumfluens. Ab hoc amore ordinabitur voluntas ad omnem rectitudinem, vnde obedientia exactissima, humilitas profundissima, religio subtilissima existent. 4. Tandem cogita, inde te beatum fore, vnde ipse Deus est: quòd se videt, & amat. Collige, exercitium orationis esse adumbrationem quandam illius status, quando in illa studemus easdem animæ potentias circa Deum occupare pro modulo.

3. Voluntas. *Psal. 35. 9.*

4.

PVNCTVM II.

DOTES corporis gloriosi. 1. *Claritas. iusti fulgebunt sicut Sol*; membrorum proportio, figura, color, & nitor mirabilis. inspicientur etiam internæ partes, & harmonia totius corporis, tanquam crystallum. 2. *Impatibilitas* & immortalitas: *non esurient, neque sitient*: nec ab vllo extrinseco lædi poterunt. 3. *Agilitas*; etenim Anima ita dominabitur corpori, vt sine repugnantia illud celerrimè transferat quocunque, *sicut scintillæ in arundineto discurrent*. 4. *Subtilitas*, vt instar Spiritus non subiaceat necessitatibus vitæ vege-

Dotes corporis gloriosi.

1. *Matt. 13. 43.*

2. *Apoc. 7. 16. Isai. 49. 10.*

3.

4. *Sap. 3. 7. Matt. 22.*

Matt.22.30 tatiuæ; sed *erunt sicut Angeli Dei*, ait Christus. poterunt etiam penetrare per quoduis corpus: vt Christus ex sepulchro, & ad discipulos. O, verè *non sunt condignæ passiones hu-*
2.Cor. 4.10. Rom. 8. 18. *ius temporis*, quidni *mortificationem Iesu* nunc *in corpore nostro circumferamus?*

PVNCTVM III.

1. GLORIA sensuum. 1. *Visus*, ex aspectu tot glorificatorum corporum, in primis Christi, quo Iob solabatur se: *scio quòd in car-*
Iob 19. 25. *ne mea videbo Deum Saluatorem meum.* 2. *Au-*
2. Psal. 149. 5. *ditus*, ex colloquijs sanctorum plenis gratiæ, & ex laudibus Dei. nàm *exultationes Dei in*
3. *gutture eorum.* 3. *Odoratus*, à fragrantia corporum beatorum; quia hic fuerunt bonus odor Christi: cuius in primis est fragrantissimus.
Mat 24 28. *Vbi fuerit corpus, illuc & congregabuntur aquilæ*: cœlestes nimirum, attractæ à suauitate illius.
4. 4. *Gustatus*, vt absque cibis *omne delectamentum suauitatis* percipiat, siquidem tale manna in terris dedit.
5. 5. *Tactus* toto corpore diffusus, purissimo perfruetur sensu.

Psal. 93. 19. Ergò, *secundũ multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam*
Psal. 121. 1. *meam.* Ergo & tu, corpus, *lætare in his, quæ dicta sunt tibi*; sustine modicum.

MEDITATIO LIII.

De gloria cœlesti, vt respondet octo beatitudinibus.

PVNCTVM I.

PAVPERIBVS *spiritu, & persecutionem patientibus promittitur regnum Dei* quod *est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto,* ex visione clara Dei, quod intra ipsos est, vt auferri nequeat, & ita cuiusq; proprium, vt citra consortium aliorum quisque Rex foret. Hinc Ecclesia dicitur *Regina assistens à dextris Dei.*

Matt. 5. &c.
Rom. 14. 17
Psal. 44. 10

PVNCTVM II.

MITIBVS promissa est terra, nõ vt hæc morientium, & vallis lachrymarum, & subiecta maledicto; sed viuentium, in qua nemo ampliùs mori potest, affluens omni solatio: *vbi non est amplius neq; luctus, neque dolor:* quam irrigat *fluuius aquæ vitæ, ex sede Dei procedens*, ad cuius ripã *arbores cõsitæ sunt, ferentes fructum in singulos menses*: hi sunt beati ipsi.

Terræ possessio.
Apoc. 22.

PVNCTVM III.

LVGENTIBVS est plena consolatio: vbi *absterget Deus omnem lachrymam*, vbi semper lætissimum Halleluia cantatur, vbi gaudium non tolletur ab eis.

Consolatio.
Apoc. 21.

PVNCTVM IV.

Saturitas. ESVRIENTIBVS *& sitientibus iustitiam* est saturitas sine fastidio. Nunc nihil hominem satiat; non terrena, quia inania; non scientia, aut virtus, quia imperfecta. *Satiabor* autem, *cùm apparuerit gloria tua. Non esurient, neque sitient amplius.*

Psal. 16. 15.
Apoc. 7. 16.

PVNCTVM V.

Plenitudo misericordiæ. MISERICORDIBVS est misericordia: sunt enim alia vasa iræ, alia misericordiæ, sicut quædam honoris, quædam contumeliæ: hæc inferis, illa cœlo dicata, vbi coronat eos misericordiâ, & miserationibus. nā etsi beatitudo est corona iustitiæ, tamen est misericordia maxima, quia inde sumit initium. Hæc sunt vasa aurea, & argentea à charitate & puritate: reliqua lignea, & fictilia, quia casum admittunt, & franguntur.

PVNCTVM VI.

Visio Dei. MVNDIS *corde* est visio: nam pro fide datur lumen gloriæ, *in lumine tuo videbimus lumen*; & *in lumine vultus tui ambulabunt & exultabunt tota die: quoniam gloria virtutis eorum tu es: quàm dulce lumen, & quàm delectabile oculis videre solem?*

Psal. 35. 10.
Psal. 88. 16.
Eccl. 11. 7.

Pro *spe* datur comprehensio, & omnimoda possessio. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*

Cant. 3. 4.

Charitati demum accedet fruitio. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Cant. 2. 16.

PVNCTVM VII.

PACIFICIS est adoptio filiorum. Nam est duplex: vna imperfecta, & in hac vita; altera perfecta, ad quam aspirant ipsi filij *gementes, & adoptionem filiorum Dei expectantes*. Prior significata in Baptismo Christi, cùm audita est vox: *Hic est Filius meus*. Posterior in gloriosa transfiguratione, cùm eadem vox repetita. de vtraq; Ioannes: *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quod erimus. scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Adoptio filioru Dei

Rom. 8. 23

1. *Ioan.* 3. 2

MEDITATIO LIV.

De gloria cœlesti vt datur vincenti. Apocal. 2.

PVNCTVM I.

VINCENTI *dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitæ est Deus ipse. *Quia in ipso vita erat.* editur de illo per visionem claram. *Hæc est enim vita æterna: vt cognoscant te verum* DEVM, *& quem misisti* IESVM *Christum.* Paradisus est ipsum cœlum Empyreum: locus delitiarum Beatis: vbi suam gloriam Deus patefacit, fruendamque exhibet. sed datur vincenti.

Alia præmia.

1. Feruor.

Apoc. 2. 7.
Ioan. 1. 4.
Ioan. 17. 3.

* *
*

PVN-

PVNCTVM II.

II. Corona vitæ. *Apoc. 2. 10.*

ESTO *fidelis vſque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ;* & *qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* Promittit coronã vitę, hoc eſt, immortalem & immarceſcibilem. *Nec lædetur à morte ſecunda;* quæ eſt damnatio perpetua, atque æterna.

PVNCTVM III.

III. Manna abſconditum. *Apoc. 2. 17.*

VINCENTI *dabo manna abſconditum; & dabo illi calculum candidum; & in calculo nomẽ nouum ſcriptum: quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Manna eſt ipſa diuinitas, verè habens omne delectamentum ſuauitatis: & eſt abſconditum: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te!* hi ſunt beati. Calculus candidus eſt approbatio rata, & immutabilis: qua Deus beatos certos reddit, ac ſecuros de æterna ſua felicitate: eſt illud: *Venite benedicti, percipite Regnum.* Quòd ſi nunc internum teſtimonium Spiritûs ſancti, quòd ſimus filij Dei, ſic afficit iuſtos, quid tunc illud manifeſtum, & immutabile? Contrà, nigrum calculum reprobationis referent peccatores: *Ite maledicti.* Nomen nouum, eſt nomen Filij: quia tunc demum ſancietur æterna adoptio, quæ modò nutat, & imperfecta eſt: perficietur autem, cùm hæreditatem adibimus. *Nam ſi filij: & hæredes per Chriſtum.* Tunc lamentantes dicent impij: *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.*

Pſal. 30. 20. *Matt. 25. 34.* *Rom. 8. 16.* *Sap. 5. 5.*

PVNCTVM IV.

VINCENTI & custodienti vsque ad finem opera eius, dabo illi potestatem supra gentes; & reget eas in virga ferrea; & tanquam vas figuli confringentur; sicut & ego accepi à Patre meo; & dabo illi stellam matutinam.

IV. Potestas regnandi. *Apoc. 2. 26.*

Potestatem dabit supra gentes & principes; à quibus vexati fuerunt: quos sub pedibus habebunt & exultabunt de iusto Dei iudicio; quo illorum potentia vt testacea confringetur. *Exultabunt sancti in gloria, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos reges in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conscriptum*, atque decretum: *Hæc est gloria omnibus sanctis eius.* O *quàm honorificati sunt amici tui Deus.* Stella matutina est Christus Deus & homo. Quà Deus: nam *in splendoribus sanctorum ante luciferum genui te*: Quà homo: natiuitas eius extitit lucis principiũ; & post mortem resurrexit, Primitiæ dormientium. Hinc stella datur iustis, quando ad instar illius fiunt ipsi quoque stellæ in firmamento, configurati corpori claritatis illius.

Psal. 149. 5. *Psal 138. 17.* *Psal. 109. 4.*

PVNCTVM V.

QVI vicerit, vestietur vestimentis albis & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.

V. Vestitus albus. *Apoc. 3. 5.*

Vesti-

Vestimenta alba sunt, quoad animam, purissimum lumen gloriæ, & b; ssinum iustificationum, & liquidissimum gaudium. Quoad corpus autem, immortalitas, claritas, & reliquæ dotes. quare *in terra sua duplicia possidebunt. non delebit*. Hæc est alta securitas æternandi in bono adepto. *Confitebitur*, laudatorem aget; & deprædicabit rectè facta illorum: ac in eis gloriabitur. quod in iudicio etiam faciet ad confusionem malorum, &c.

Isai. 61. 7. 10

PVNCTVM VI.

VI. Columnæ. Apoc. 3. 12.

QVI *vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei & nomen ciuitatis eius Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum*. Columnæ erunt tanquam præcipua quædam cœli ornamenta, quæ in hac vita sustentarunt Ecclesiam, singulari sanctitate & fortitudine. *Et non egredientur amplius*; quia columnæ Ecclesiæ militantis aliquando deficiunt: in triumphante non poterunt. Tria inscribet nomina; DEI, tanquam de quibus gloriatur Deus, vt de peculiari possessione sua. IERVSALEM; quòd sint ciues Ierusalem, & beata visione pacis donati. Denique IESV, à quo saluati, & cuius sunt noua creatura.

PVNCTVM VII.

VII. Sedebunt in throno. Apoc. 3. 21.

QVI *vicerit. dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Pa-*

tre meo in throno eius. Quid maius dici potuit? non ſtabit vt famulus ſed ſedebit vt princeps;& mecum: me ſedente, conſidebit: quin *in throno meo*, eiuſdem conſors præcellentiæ Atque id ad modum, quo ego, quoniam vici, ſedeo in throno cum Patre meo. Et hoc eſt, quod orans petierat: *Volo, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus*. O Lucifer, qui dixeras: *ſuper aſtra exaltabo ſolium meum*: non ſic, ſed per humilitatem illuc conſcendere oportuit, nam *Deus ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*.

Ioan. 17. 2.
Iſai. 14. 13.
1. Reg. 2. 8.

Ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, & Beatiſsimæ Virginis eius Matris, Sanctorumque Ignatij, & Xauerij laudem & honorem, & Lectoris ſpiritualem profectum, Amen.

FINIS.



INDEX

INDEX MEDITATIONVM, QVÆ SVPER EVANGELIA DOMINICARVM ac Festorum dierum per totum annum iuxta Rom. & Gall. Ecclesiæ vsum in hoc Compendio Medit. R.P. Lud. de Ponte Soc. Iesu proponuntur:

Litera R. Roma. vsum designat; Vbi est discrepantia Euangeliorum.

In gratiam Concionatorum.

Pastores

Feria { 5. Accessit ad eum centurio. *Matt.*8. *part.* 3. *med.*20.
6. Estote perfecti, *Matt.*5.*part.*3.*med.*13.*p.* 3. Diligite inimicos,*part.*4. *med* 45. }
Sabbatho. Erat nauis in medio mari. *Mar.*6. *part.* 3, *med.*19.*pun* 2.
*Dom.*1.*Quadrag.* Ductus est Iesus. *Matt.*4.*part.* 3. *med.* 4 & 5.
Feria { 2. Cùm venerit filius hominis. *Matt.*25. *par.*1.*med.*14.15.
3. Ascendens Iesus Hierosolymam. *Ioan.*2. *part.*3.*med.*10.
4. Sicut fuit Ionas. *Matt.*11.*part.* 3. *med.* 10.*pun.*2.
5. De Chananæa, *Matt.*15. *part.*3.*med.*29.
6. Est autem Ierosolymis. *Ioan.* 5. *part.* 3. *medit.* 32. }
Sabbatho. Assumpsit Iesus Petrum. *Matt.* 17. *p.* 3. *med.*21.& 22.
*Dom.*2. *Quadrag.* De Chananæa. *part.*3.*med.*29. *R.* Assumpsit Iesus, *part.*3. *med.* 21.& 22.
Feria { 2. Cùm exaltaueritis filium. *Ioan* 8.*par.*4 *med.*41.
3. Amant primos recubitus. *Matt.*23.*par.* 1.*med.*18.
4. Ecce Ascendimus Hierosl. *Matt.* 20 *part.* 4. *med.* 2. Accessit ad eum mater. *Matt.*20. *par.*3.*med.*13.
5. Homo quidam erat diues. *Luc.*16.*par.*3. *med.*24.
6. De vinea elocata. *Matt.* 21. *par.* 3. *med.*55. }
Sabbatho De Filio prodigo. *Luc.* 16. *part.* 3.*med.* 49. *part.* 6. *med.* 12. *part.*2.3.

Dom.

Dom. 1. *post Pascha.* Cùm sex esset. *Ioan.* 20. *part.* 5 *med.* 10.
Feria. 5. De Cornelij conuersione. *ex epistola part.* 5 *med.* 32.
6. De Lancea & clauis. *part.* 4. *med.* 53. De SS. Vulneribus. *par.* 5 *med.* 11.
Dom. 2. *post Pascha. quadam vide part.* 5. *med.* 13. & *part.* 3. *med.* 48.
Dom. 3. Modicum. *Ioan.* 16. *part.* 5. *med* 16 *p.* 3. Mulier cùm parit. *par.* 4. *med.* 18. *p* 8.
Dom. 4. Vado ad eum. *Ioan.* 16. *part.* 5 *med.* 17. & *medit.* 22. *part.* 2.
Dom. 5. Si quid petieri's. *Ioan.* 16. *part.* 4. *med.* 18. *pun.* 3. *part.* 6. *meditat.* 33 & *part.* 3. *meditat.* 14.
In Vigilia Ascensionis. Subleuatis oculis. *Ioan.* 17. *part* 4. *medit* 19.
In Ascensione Domini part. 5. *med.* 18. & *seqq.* & *medit.* 14.
Feria 6. De regressu & collectione Apostolorum. *parr.* 5. *med.* 20.
Dom. infra octau. Ascensionis. Cùm venerit. *Ioan.* 15. *part.* 5. *med.* 21.
In Festo Penthecostes. Dum complerentur. *Act.* 2 *part.* 5. *med.* 22. 23. 24.
Si quis diligit me. *part.* 4 *med.* 18.
Feria { 2. Sic Deus dilexit mundum *part* 2. *medit.* 2.
3. Qui non intrat ostium. *part.* 3. *med.* 48. *par.* 6. *m.* 36. *p.* 3. }
In Festo SS. Trinitatis. De Nicodemo. *part.* 5. *meditat.* 26. De SS. Trinitate. *vide part.* 6. *medit.* 4.
R Estote Misericordes. *Luc.* 6. *part.* 6. *med.* 12. & 13.

R. Data est mihi omnis. *Matth.* 28. *part.* 5. *med.* 14. 15.
Festo Corporis Christi. part. 6. *med.* 45. & *med.* 39. & *seqq.*
Dom. 1. *post Trinitat.* De epulone. *part.* 3. *med.* 24.
R. Homo quidam fecit cœnam. *Luc.* 14. *par.* 3. *med.* 56.
Dom. 2. De Cœna magna. *Luc.* 14. *part* 3. *med.* 56.
R. De oue perdita *Luc.* 15 *par.* 3. *med.* 48.
Dom. 3. De oue perdita. *Luc.* 15. *part.* 3. *med.* 48.
R. Relictis omnibus. *Luc.* 5. *part.* 3. *med.* 6. *pun.* 4.
Dom. 4. Estote misericordes. *part.* 6. *med* 12 & 13.
R Qui irascitur fratri. *Matth.* 5. *part.* 1. *med.* 22.
Dom. 5. Relictis omnibus. *Luc.* 5. *par.* 3. *med.* 6. *pun.* 4.
R. Misereor super turbam. *Marc* 8. *par* 3. *med.* 17.
Dom 6 Qui irascitur fratri. *Matth.* 5 *part.* 1. *med.* 22.
R. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, sed qui facit, &c. *part* 1. *med.* 25. *part.* 3. *med.* 14.
Dom. 7. Misereor super turbam. *Mar.* 8. *par.* 3. *med.* 17.
R. De villico iniquitatis. *Luc.* 16. *part* 3. *med.* 52.
Dom 8 *Vide Dom.* 6. *Trin. R.*
R. Videns ciuitatem. *Luc.* 19. *part.* 4. *meditat.* 4.

Proprium Sanctorum.

De Communi.

F I N I S.

8-1

IHS

Digitized by Google